...a.
...imo.

M. GATINARIAE

MEDICI CLARISSIMI,

Nonum ad Almansorem in Gymnasio Papiensi publicè profitentis,

DE REMEDIIS MORBORVM OMnium particularibus: *Opus Medicinam exercentibus maximè utile, & accommodatum.*

Huic (ut uniuersam praxin Medicinæ studiosis exhiberemus) accesserunt,

De Curandis Febribus
Gentilis Fulginatis introductio,
Blasii Astarij libellus,
Cæsaris Landulphi Opusculum.

Cum Indice copiosissimo.



VENETIIS *apud Lodouicum Auancium,* 1569.

De los remedios de
Juana

INDEX BREVIS TOTIVS OPERIS

studiosis medicinæ non inutilis, nam nihil omissum quod potuimus diiudicare ad morbos ægritudinesq; curandas necessarium, inuenies enim in hoc indice omnes omnium morborum curationes.

FINIS

MARCVS GATENARIA DE CVRIS ÆGRITVDINVM TOTIVS CORPORIS.

De cura sodæ sanguineæ.

CVRA *sodæ sanguineæ ex dictis Rasis, & Auicennæ sex principalibus perficitur intentionibus. Quarum prima est debita regiminis administratio. Secunda abscisio causæ cum phlebotomia, quam laudauit Rasis cum dixit ex cephalica. Tertia capitis confortatio, ne recipiat sanguinem ad ipsum fluentem. Quarta sanguinis rectificatio. Quinta resolu-*

tio residui remanentis post euacuationes, & hoc insinuauit Rasis quando dixit, ut administrentur semina altheæ. Sexta intentio & ultima est remotio malæ qualitatis derelictæ. Prima intentio completur in debita administratione sex rerum non naturalium. Incipiendo ergo ab aere. Debet aer eligi ad frigidum declinans, maxime tempore æstatis. Debet ergo æger situari in camera frigida, & prohibeantur ingressus radiorum solarium in dicta camera, & alia quæcunque habent aerem calefacere, etiã frequentia hominum. Et ubi aer non reperiretur naturaliter, artificialiter fiat, irrorando cameram cum aqua frigida rosata & uiolata, sternendo etiam ramos arborum & herbarum infrigidantium, & uniuersaliter ingeniari, ut aer infrigidetur. In cibo autem & potu, debet uitare uinum & bibere aquam coctam cum hordeo, & ubi non possit uinum dimittere, bibat tale, quod sit debile & clarum, & sit bene limphatum: utatur etiam cibarijs frigidis, ut herbis frigidis, puta endiuia, cucurbita, alterentur etiam cibaria cum frigidis, ut succo uuæ acerbæ, aranciorum, limonum, acetosorum, &c. & dimittantur aromata calida. Quiescat etiam & non moueatur fortibus motibus, nec etiam nimium uigilet, sed dormiat, dimittat etiam reliqua, quæ habent calefacere ex sex rebus non naturalibus, dimittat coitum, licet superfluus infrigidet, caueat ab ira & furore, & reliquis calefacere potentibus, lætetur, &c. Et hæc de regimine sufficiant. Secunda intentio completur cum phlebotomia, si fuerit nimia plenitudo, à basilica, uel nigra lateris con-

trarij, ubi non tanta lateris eiusdem, uel à cephalica opposita, uel eiusdem lateris secundum tuum iudicium respectu habito ad plenitudinẽ, & de huiusmodi ordine, uide Auicennam prima tertij capitulo aureo. Cum materiam euacuare uolumus, &c. non prætermittendo can. positos quarta primi cap. de phlebotomia, maxime can. de lenitione uentris præcedente phlebotomiam. Tertia intentio completur confortando caput cum stipticis infrigidantibus & constringentibus ne membra capitis recipiant sanguinem fluentem, pro qua intentione laudat oleum rosatum & acetum conquassata & & applicata in forma embrocæ, uel epithymatis, intingendo pannum lineum in dicto oleo, uel aceto, & applicando capiti, quod si ex capite calido calefiat, renouetur: competit etiam aqua rosata simul cum aceto, & oleo, & debent ista applicari cum sua actuali frigiditate, & ubi opus, etiam debent infrigidari. De proportione uero olei, aceti & aquæ adinuicem, dubitat Gentilis, communis tamen dosis est, ut sit duplum olei, & aquæ, subduplum uero aceti, uerbi gratia. Recipe olei rosati, aquæ rosatæ, ana unc. iij. aceti unc. i. ʒ. misce. Vel Reci. olei rosati unc. i. aquæ rosatæ unc. iij. aceti unc. ij. secundum quod uis maiorem, uel minorem penetrationem. Ad idem conueniunt aquæ plantaginis, semperuiuæ, lactucæ, solatri, &c. uel eorum succi. Sed in administratione talium epithymatum, uel embrocationum sunt aliqui canones obseruandi. Primus quod debent radi capilli, ne prohibeant operationem medicinarum. Secundus quod talia ponantur in anteriori parte capitis,

quia est rarior posteriori, & ex consequenti facilius penetrant medicamina. Tertius *quod caput debet circundari coto, uel lana, uel panno lineo circumcirca admodum coronæ, ne liquores decurrant per faciem infirmi, ex quo infirmus fastidiatur.* Notandum *quod sunt aliqui casus in quibus administratio istorum repercussiuorum non est tuta regulariter operando.* In *febribus enim non competunt iuxta canones* Auicennæ, *qui dicit, quod sodam calidam multiplicant usus epithymatum, &c. & hoc uapores retinendo; tamen aliquando coacte hoc non obstante faceremus ubi dolor esset uehemens prosternens uirtutem. Secundus casus est, ubi materia sit totaliter fluxa, quia compingunt, & constipant materiam. Tertius ubi à capite descenderet reumatismus calidus, quia talia constringendo exprimunt materias, & sunt causa maioris fluxus.* Quarta *intentio completur primo aliquando solutione uentris. Sed dubitaret aliquis cum non peccet nisi sanguis, qui non educitur solutione; quare ergo administratur in hac intentione uentris solutio.* Dicendum *quod stante sanguinis abundantia, inflammatur sanguis; & huiusmodi subtile conuertitur in choleram, & spissum in melancholiam, etiam inflammatur cholera naturalis existens in corpore, & merito istius debet dari choleræ solutiuum, & ad hanc intentionem administrabat* Rasis *myrabolanos citrinos, nam ipsi euacuant choleram, & sunt frigidi & sicci, administra etiam pruna & tamarindos sic ordinando.* Recip. *prunorum & tamarindorum, ana unc. i. decoquantur in sufficienti quantitate*

aquæ, cui addatur myrabolani citrini simile pondus.ʒ.i.ʒ.et hoc dando myrabol.in substantia,in infusione do mirab.ʒ.ij.uel.ij.ʒ. Nota tamẽ quod regulariter operando,prius debet præcedere digestio,ut quarta primi de regulis communibus solutione uentris & uomitui, & prima quarti,cap.de cura put.in generalis,et Hippoc.prima aphor. Digestiua medicari, &c. Et licet Rasis non explicauerit, nihilominus fieri debet: ipse enim, ut breuiloquus prætermisit,notum ex libris principiorum. Et usualia digestiua quibus practici communiter utũtur sunt syrupi acetosi simplices,uiolarum de end.rosarum,de succo acet.de agresta.Si fortius uolumus,est syrupus de granatis, si fortius de limonibus, adhuc fortius,de acetositate citri.Quod si non sit multa caliditas detur syrupus acetosus simplex cũ syrupo de endiuia cum aquis proportionalibus habentibus uirtutem choleræ digestiuam,ut aqua endiuiæ, lactucæ,acetosæ,plantaginis,cicor.lupulorũ, buglossæ,etiam aqua conuenit licet non sit frigida,sed temperata ad cor confortãdum. Nota pro omnibus syrupis digestiuis,quod apud communiter practicantes,communis dosis syruporum est unc.i.ʒ.et aquæ cõmunis dosis debet esse dupla ad syrupum, puta.ʒ.iij.est ergo totum aggregatũ unc. iiii.ʒ.licet possit dari plus,: & minus,imò potest dari usq; ad.ʒ.vi.puta.ʒ.ij.syrup. & ʒ.iiij. aquarum, ut in iuuene fortis complexionis ubi peccet multa materia: componeremus ergo in proposito syrupum digestiuum sic.Reci.syrupi acetosi simp.ʒ.i.syrup.de endiuia.ʒ.ʒ. aquarum acetosarum endi. & bug.ana. ʒ.i.misce pro

syru. In principio ergo fodæ sanguineæ, dabo syrupos infrigidantes & stipticantes simul, uerbi gratia syrupum acetosum rosat. de succo acetoso, de granatis, quia habent uirtutem stip. & in frig. ingrossant enim hæc sanguinem, & immobilitant, & ideo competunt à principio, ubi uero materia sit fluxa, dabo syrupum acetosum, de endiuia, quia non habet multam stipticitatem. Nota etiam quod cōmuniter datur syrup. per quatuor uel quinq; dies secundum resistentiam materiæ suæ digestionis. Nota etiam, quod syrupus acetosus non est tantæ stipticitatis sicut syrup. de succo acetosæ, quia in acetoso miscetur multa quantitas aquæ, quæ non miscetur in illo de succo acetosæ, quæ etiam de se est herba multum stiptic. Digesta materia, eam euacuamus cum euacuatiuis appropriatis choleræ, & usualia sunt electuarium rosat. Mes. Elect. de succo rosato Nicolai, de prunis solutiuum etiam Nicolai, & hæc tenentur confecta, & in quibusdam locis tenetur confectum electuarium de psyllio, id est, Ianuæ. Medicinæ in forma solida pilulari sunt usualia ista, scilicet pilulæ aureæ, & aggregatiuæ. Dosis electuariorum est à. ʒ. iij. usq; ad. iiij. & raro pertransitur hæc dosis nisi in corporibus expertis & maxime robustis, ubi iam cōpertum est quod ab hac dosi non soluuntur, in quibus aliquando audemus usq; ad. ℥. i. ascendere, ut ego qui dedi uxori magnifici Petri comitis Bonomigni, cui dedi. ʒ. viiij. & parū operabantur. Etiam in hospitali in aliquibus rusticis maxime de ualle Telina quia sunt robustissimæ complexionis. Dosis uero pilularum est à. ʒ. i. usq; ad. ℈. iiij. fa-

ciendo pilulas quinque. Et hæc digestiua, & solutiua sunt usualia, & per hæc completur hæc intentio, quæ est rectificatio sanguinis, quia sanguine subtili existente proportionabiliter choleram purgamus. Quinta intentio, quæ est resolutio residui remanentis, quod non potuit eradicari completur administrando aliqua resolutiua calefacientia, & in hac intentione ualent primo semina altheæ, quæ parum declinãt ad caliditatem, de coquendo in sufficienti quantitate aquæ, postea applicando more emplastri capiti, addendo flores camomillæ, melliloti, et fœnu græci, ungendo etiam caput cum oleo camomillæ. Sexta & ultima intentio, quæ est remotio malæ complexionis remanentis, completur cum infrigidantibus cum sit calida. Ad hanc intentionem laudatur mucilago psyllij, quod in exteriori parte est intensæ frigiditatis, in interiori uero est calidissimum uesicatiuum & cauterizatiuum, & ideo mucilago debet fieri ex semine psyllij integri non excorticati, & hoc est satis uulgare remedium & notum, debet ergo hæc mucilago capiti applicari, & ad idem uidelicet aqua ros. & acetum, aqua plantagini, solatri acetosæ, infundendo pannos, in huiusmodi aquis, ualerent etiam succi: ponendo supra caput: conuenit etiam optime inunctio ex oleo rosato, & reliqua huiusmodi: Et cum his sex intentionibus completur cura sodæ sanguineæ, quare, &c.

Cura fodæ cholericæ.

IN hac etiam cura ſex colliguntur intentiones, prima debitum regimen, ſecunda digeſtio, tertia euacuatio, quarta repercuſsio, quinta diuerſio, maxime humore fluente ad caput, ſexta remotio malæ complexionis calidæ, & ſiccæ derelictæ in capite. Prima intentio completur per infrigidantia & humectantia, & in hac non eſt ſermo prolongandus, quia iam ſatis patet ex cura prædicta hoc uno addito, quod in hac debẽt remedia infrigidantia eſſe fortiora, cum cholera ſit calidior ſanguine, debent etiam eſſe humida cum cholera ſit ſicca, ſanguis uero humidus. Secunda intentio, quæ eſt digeſtio perficitur per digerentia, de quibus habitus eſt ſermo capitulo prædicto, in qua intentione. S digeſtionis, eſt aduertendum an humor digerendus ſit in fluxu, quia tunc ſimul digerendo debet fieri ſtipticatio, ut prohibeatur fluxus cum aquis & ſyrupis ad hoc ualentibus, ut aqua acetoſa, roſarum, &c. Nota quod ut habetur ex canonibus generalibus, hæc intentio digeſtionis eſt ponenda in actu practico, dummodo non ſit materia furioſa, nec dolor intenſiſſimus, merito cuius dubitetur de proſtratione uirtutis, nec materia incipiat facere apoſtema, quia ubi hæc fierent, et eſſent, non eſſet prolongandum in digeſtione, ſed eſſet cito ſuccurrendum materiæ euacuatione. Tertia intentio, quæ eſt euacuatio completur per ſolutiua. Vſualia & domeſtica ſolutiua in materia cholerica ſunt hæc: Primo: Recip. myrabolanorum citrin. ℥. ſ. infundantur in de-

coctione quam nominabimus, deinde facta infusione sufficienti tempore, fiat eorum expressio, cui addatur saccbari parum, ne sit gustui horribilis, & hoc ubi non adesset febris. Decoctio. Recipe tamarindorum. ℥.i. fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ. Tamarindi sunt dactili indi. tamar idem est, quod dactilus, usuale etiam est rheubar. uel in substantia, uel in infusione. In substantia dosis est à. ʒ.i. usq; ad. ʒ.i. ſ. in infusione usq; ad. ʒ.iiij. In substantia. Recipe rheubar. electi largi ponderis. ʒ.i. ſ. dissoluatur in aqua endiuiæ quantum sufficit, cui addatur ℥.i. syrup. uiolati & fiat potio. In infusione sicut sumitur ex Mesue capitulo de rheubar. sic præparatur. Recipe rheuba. electi minutim incisi. ʒ.iij. infundantur in aqua endiuiæ quantum sufficit, cui addatur spicæ parum, & uini albi odoriferi parum, dimittatur in infusione per horas 10. postea fortis fiat expresio, cui addatur diaprun. non solutiui. ʒ.ij. misce & fiat potio, posses etiam admiscere de aliquo alio electuario solutiuo minuendo tamen dosim rheubar. Solutiua usualia in forma pilulari sunt sicut pilulæ aureæ pilulæ aggregatiuæ, soluunt enim choleram, licet aggregatiuæ educant etiam humorem phlegmaticũ grossum, ut colligitur ex Mesue in antidotario. Nota etiam ex can. generalibus quod ubi cholera esset sanguini mixta, competeret phlebotomia, & ante pharmaci exhibitionem; & hoc uoluit Auicenna in isto capitulo cum dixit: Incipe à phlebotomia, nec debet esse copiosa sicut in sanguinea. Quarta intentio completur per ea quæ re percutiunt, & à principio debet poni in ope-

re quando materia est influxu. Et hic recordare canonum supra positorum in cura sodæ sanguineæ, & usuale remedium est positum hic à Rasi, scilicet aqua rosata, & acetum, cõquassata simul & oleum rosarum. Quinta intentio completur per ea, quæ diuertunt, ut parua phlebothomia oppositi lateris, fricationes extremitatum & balnea, & laudat Auicen: de mente Arthesagri appositionem uentosarum super spatulas, & hoc in omni materia cum sacrificatione loci illius ponendo sal & oleum post scarificationem, ne consolidetur, sed apertus manet. Sexta intentio & ultima completur per remouentia malam complexionem, qualia sunt alterantia, ut embrocæ frigidæ, odoramenta frigida, quæ magis placent Gentili, quàm localia, quoniam localia prohibent exitum uaporum & cerebro & capite toto, & usuale est aqua cum aceto embrocata & odorata, etiam aqua rosata trahendo per nares. Nota tamen quod quandoque ista omnia non sufficiunt, & tunc coacti ex uehementia doloris oportet nos uenire ad narcotica, tamen usus istorum est maxime suspectus, & non debet ad ea accedere nisi cum cautela, & in casu desperationis, maxime in passionibus istis cerebralibus propter duas causas. Prima membri principalis cuius influxus est necessarius super toto. Secundo quia cerebrum frigidæ est complexionis. Et narcotica sunt huiusmodi, & ideo Auicen. in cura fluxus absolute facit nos cautos, dicẽs: Vidimus qui supposuit sibi collyrium ex opio & mortuus est. Nota etiam ne sis audax in administratione narcoticorum, uidi enim in quadam nobili muliere

quæ cum stetisset per plures dies quod non dormierat medici decreuerũt, ut sibi supponeretur collyriũ quodam longum opiatum, quod fit cum filo communi appenso ut extrahi possit ad libitum, quæ cum supposuisset statim cœpit dormire, medici autem præceperunt ancillis, ut cum incœpisset dormire extraherent illud collyrium, quæ omittentes ipsum et non extrahentes, taliter profundata est in somno quod nunquam euigilata est, imò perpetuo dormit, quare, &c.

Cura sodæ phlegmaticę.

IN *hac cura colliguntur quinque intentiones quarum prima est debita regiminis administratio, secunda digestio, tertia euacuatio, quarta diuersio, quinta resolutio residui remanentis, & celebri confortatio. Prima intentio completur per administrationem sex rerum non naturalium, calefacientium, et exiccantium, cum materia phlegmatica sit frigida, & humida. Eligendus est ergo aer calidus, & siccus, & si sit tempus hiemale eligatur camera calida, et accendatur ignis in ea, quia per ipsum exiccantur uapores humidi, fiat etiam suffumigatio in ipsa camera ex calidis, puta, thure, cinnamomo, garioph. &c. In cibo etiam, & potu eligantur cibaria calida alterando ea cum pipere, cinnamo. zinzibere, gariophylo, & reliquis huiusmodi, dimittantur frigida, acetosa, ut arancij, limones, acetum, aggresta, &c. In potu bibat uinum maxime post euacuationem de quo dubium est apud Gentilem. Vtatur forti exercitio, et forti exiccatione, potenti etiã calore.*

uigilijs, ieiunio, & reliquis calefacere potentibus, & exiccare. Secunda intentio, quæ est digestio, quam licet Rasis dimiserit, ut breuiloquus, tamen præsupponit complere per ea, quæ incidunt, & subtiliant, cum humor phlegmaticus peccet in uiscositate, & grossitie. Et usualia digestiua phlegmatis sunt sicut mel rosatũ, oxymel simplex, compositum, & scylliticum quod est forte incisiuum quo utimur ubi materia est multum uiscosa, fortiora istis sunt syrupus de duobus, & de quinque radicibus, et syrupus de sticados. Nota quod in administratione istorum digestiuorum debemus semper incipere à debiliori tendendo ad fortiora, & hic canon debet esse uniuersalis in omni opere medici, fortia enim subtiliatiua à principio nocerent magis materiam extendendo, quàm iuuarent digerendo, debemus ergo in huiusmodi digestione incipere à melle rosato, uel oxymelle simplici, ut Recip. mellis rosati ℥.i. oxymellis simplicis ʒ.vi. cum ℥. iij. aquarum capitalium, quæ sunt aquæ maioranæ, saluiæ, betonicæ, hyssopi, &c. Dicemus ergo aquarum betonicæ, saluiæ, & buglossæ ad cor confortandum, ana ℥.i. misce, & continuare syrupos istos quinque, uel sex diebus, quoniam phlegma est difficilis digestionis. Facta itaque aliquali digestione cum lenibus huiusmodi fiat aliqualis materiæ minoratio, deinde iterum digeramus, & tunc uti poterimus fortioribus, dabimus ergo syrup. de duobus radic. uel de quinque cum oxymelle composito, & si fortius cum oxymel. scyllitico cum syrupo de sticados, uerbi gratia. Recip. syrupi de duobus rad. ℥.i. oxymel. com-

posti ℥.s. *aquarum betonicæ, saluiæ, & hyssopi, ana* ℥.i.*misce*. Fortius. Recip.*syrup.de sticados, oxymells, scyllitici,ana* ʒ.vi.*aquarũ saluiæ,& hyssopi,ana* ℥.i.s. *misce*. Tertia *intentio, quæ est euacuatio duplex est. Quædam eradicatiua,et quædam minoratiua,quia materia phlegmatica est difficilis euacuationis debemus à principio minuere postea eradicare. Vsualia quibus practici communiter utuntur sunt, uel in forma pilularum,uel electuarij.* Pilulæ *sunt duplices:quædam facilis solutionis sine custodia,quædam difficilis euacuationis, & cum custodia. Sine custodia sunt pilulæ de hiera simplici, uel de hiera magna elefangine assaieret quas ponit* Auicenna *capitulo illo. Cum materiam euacuare uolumus, &c.* Pilulæ *masticinæ, & alio nomine pilulæ* Marliani *dicuntur* Papiæ, & Mediolani, *quia ipse fuit, qui posuit eas in usu, & istæ pilulæ sine custodia possunt dari ante materiei digestionem, & communiter dantur in introitu lecti.* Et *ex istis posset quis istis indigens accipere omni hebdomada,ut in calido dolore capitis in paratis labi in ægritudines cerebrales materiales, & dantur communiter ex ipsis* ℈.ij. *uel* ℈.i.s.*agaricus etiam trochiscatus, potest inter has pilulas numerari miscendo cum prædictis pilulis: uerbi gratia.* Recip.*pilularum mastici s,agarici trochiscati, ana* ℈.i.*fiant pilulæ iij. Cum custodia uero sunt pilulæ cochiæ.* Rasis *de* Agarico *fœtidæ* Mes. *& possumus ipsas dare cum agar, trochiscis,dosis istarum fortium est usque ad* ℈.iiij. *& hanc non pertranseunt communiter operantes, datur enim* ʒ.i. *uel.s. uel* ℈.ij.*cum*

per se dantur. Nota *quod istæ pilulæ cochiæ* Rasis, *& aliæ similes, ut fœtidæ non debent à principio administrari, sed in primis debemus uti leuibus: ut sine custodia, licet* Rasis *dicat in principio, intelligitur enim in principio eradicatiuæ euacuationis non minoratiuæ, quæ ut uisum est primo debet fieri, dosis etiam posita à* Rasi *nõ est conueniens, sunt enim ʒ.ij.ß.& adhuc plus, nostra enim ætas non tantam tolerat dosim fortis solutiui quales sunt hæ pilulæ.* Solutiua *in forma electuariorum usualia sunt diafenicon* Mesue, *quæ alio nomine confectio de dactilis nominatur electuarium indum, licet, diafenicon magis competat in materia grossa mixta ex phlegmate, & colera, indum uero solum in phlegmatica.* Dosis *electuariorum est usque ad.℥.ß.licet in* Cumanis *regionibus usque ad ℥.i.& hoc ex regionum diuersitate.* Nota *quod quandoque practici consueuerunt dare pilulas cum electuarijs in potione, uerbi gratia.* Recipe *pilularum cochiarum ℈.ij.electuarij indi ʒ.ij. misce. ß. & cum decoctione capitali quantum sufficit fiat potio.* Decoctio *capitalis.* Recipe *saluiæ, maioranæ, betonicæ, sticados, hyssopi, foliorum lauri, ana.*M.i.*id est fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ, uerũtamen pilularũ administratio in forma solida magis laudatur ab* Auic. *capitulo illo cum materiam, &c.* Quia *cum materia debet trahi à longinquo eo quod non potest fieri in breui tempore, conuenientius est administrare pilulas, quæ longam trahant moram in stomacho quam potionem, quæ cito labitur, ut patet.* Nota *etiam, quod quia hæc intẽtio euacuatio-*

nis non potest per euacuationes factas ex solutiuis, & si plures fiant reiterationes, complere perfici, quin semper remaneant aliquæ reliquæ materiei, idcirco necessariæ sunt aliquæ, aliæ particulares euacuationes, quæ in capite uariæ esse possunt, ut sternutatoria, caput purgia, gargarismata, masticatoria. Iste tamen particulares euacuationes sequi debent, & non præcedere uniuersales, quia existente repletione nocerent, cum huiusmodi sint calefactiua, traherent enim magis quam euacuarent, & sic agitando, & dilatando humorem ualde noceret. Vsualia sternutatoria sunt, ut primo modo fiat cum aliqua re pungente in naso, ut est piper, fortius autem est condisi quod apud nos non habetur, loco tamen eius utimur elleboro albo. Caput purgia usualia primo, domesticum, & leue est, aqua maioranæ, deinde succus foliorum sicle facta residentia, & succus radicis eius, fortiora autem succus arthanitæ. Masticatorium usuale est, masticetur mastix & retineatur in ore. Gargarismata possunt fieri ex solutiuis, distemperãdo aliquod solutiuum in aliquo liquore, ut syrup. uel aqua etiam syrup. psyl. cum habeant uim solutiui, & decoctiones disponendo secundum debitum æstimatiuum iudicium. Nota tamen quod gargarismata & masticatoria sunt uerenda in paratis catarrho plurimum, & ad ægritudines pectorales, ut habetur ab Auic. cap. illo. Cum materiam euacuare uolumus, &c. Quarta intentio est diuersio, quæ à principio maxime ponitur in actu practico, cum humores ab alijs membris fluant ad caput, & hæc intentio completur per ea, quæ

trahaunt deorsum, ut clysteria, suppositoria, frictiones spatularum & extremitatum, & retentio extremitatum in aqua calida maxime in qua decoctæ sint res capitales, quæ dictæ sunt. Clysteria debent esse aliquantulum acria, ut possint trahere materiam phlegmaticam, & esset conueniens tale. Recipe *decoctionis capitalis ℥.x. uel lib.i. hieræ picræ* Galleni *℥.ſ. cassiæ fistulæ ℥. ſ. sacchari rubei ℥. ſ. olei camomillæ ℥. iij. misce pro clysteri, & quia ista non sunt multum solutiua potest poni salis communis ʒ. ij. ad stimulandum. decoctio capitalis supra iam descripta est: clysteria acuta & fortia habebis in capite de apoplexia epilepsia & subeth. Suppositoria etiam fiant. Leue autem, & usuale fit ex sale communi cum melle plurimum inspissato. Si fortiora uelis ponantur solutiua, ista habebis, ut uidebis. Competunt etiam in hac intentione uentosæ positæ super spatulas de quibus dicit* Auicenna *de mente* Arthesagri *quod conueniunt in omni materia.* Quinta *et ultima intentio completur per ea, quæ resoluunt reliquias materierum, qui remanserunt, et cerebrum confortant, et ista uel sunt interius applicata, uel exterius. De interius applicatis usualia, quæ tenentur confecta sunt sicut diamuscum dulce, & amarum.* Dosis *est ʒ. ij. & est* Mesues. Et *ad idem uidelicet plirisarcoticon* Nicolai, *dosis est eadem, quæ supra.* Et *in hac intentione laudat* Auicenna, *ut semel in hebdomada administretur, theriacæ, uel* Mithridati *ʒ.i. & est in usu, & debet dari in aurora per septem horas ante cibum, ut* Conciliator *tractatu de uenenis. Sed superius administrata*

possunt dari per horas duas ante prandium. Conuenit *etiam confectio diacori, & acorus conditus, & est satis forte, & uidelicet à proprietate, et potest dari dum ista sumuntur in potu, aliqua ex aquis capitalibus, scilicet saluia, maiorana, sticados, betonica, &c.* De exterius *applicatis sunt, ut inunctiones, uel embrocæ, uel emplastra, uel alia localia, ut odoramenta sacculi, et reliqua inungimus cum oleis, ut* Rasis *cum oleo sambucino, quod non est in usu, sed loco eius utimur oleo anethino & camomillino, etiam* Rasis *pro fortiori posuit oleũ de been quod non est in usu, sed loco eius utimur oleo de costo, de lilio, de spica, de ruta.* Laudat *etiam* Rasis *euphorbium, & castoreum, sed ad ista non audemus, quia fortiora sunt & supra membrum principale non est apponendum aliquid de quo sit ambigendũ, ut quarta primi.* De *odoramentis laudat* Rasis *algaliam & est confectio aromatica qua tamen non utimur, sed loco eius utimur alijs aromatibus calefacientibus.* Et *practici communiter utuntur pomo sic ordinato.* Recipe *maioranæ, sticados, gariophylorum, cinnamomi, &c. ana partes æquales cum cera fiat pomum, potest etiam addi aliquid de musco.* Si *uis epithymata & embrocas accipe saluiã, maioranam, sticados, folia lauri, cinnamomi, gariophyli, & fac bullire in lixiuio & cum actuali caliditate embroca caput, uel epithyma, uel fomenta sacculi etiam ex rebus capitalibus ex iam dictis faciendo pulueres, & ponendo in sacculo facto ex sindone carmesino & capiti apponere.* Nota *tamen quod hora administrationis horum omnium debet esse stomacho uacuo ne ex calefa-*

ctione fiat tractus uaporum etiam fumorum caput repletium. Nota etiam quod intentio hæc ultima fuit aggregata ex resolutione & cerebri cõfortatione quod habet ueritatem in hoc casu, quia materia est frigida & ex consequenti ægritudo frigida, unde ea, quæ resoluunt cum sint calida habent etiam confortare corrumpendo malam complexionem frigidam, quod non potuit fieri in cholerica, ut patet manifeste intelligenti, quare, &c.

Cura sodæ per communitatem.

IN *hac cura sunt duæ principales intentiones, prima est ad membrum mandans, secunda ad membrum recipiens, scilicet caput. Prima intentio completur secundum diuersam dispositionem & ægritudinem membri communicantis, de quibus habebitur in sequentibus, et quia ex communicantibus maxime est stomachus, ideo de eo exemplificauit* Rasis, *& hoc in dispositione qua stomachus est uacuus, quia scilicet tempore famis potest enim ad stomachum fluere cholera, quæ effumans ad caput facit sodam, ideo* Rasis *succurrit cum cibo & alterantibus frigidis, stipticis, quæ omnia sunt usualia, ut panis infusus in uino granatorum, uel agresta. Secunda intentio completur per duas particulares intentiones. Prima antequam cerebrum receperit multum confortando, cum stipticis ne recipiat. Secunda uertitur ad nocumentum impreßum, ut si sit mala complexio frigida alteretur cum calidis iam dictis, si calida cum frigidis, quare &c.*

Cura sodæ ex nimia mora in sole.

IN hac cura sunt tres intentiones. Prima remotio causæ prohibendo ipsum sub radijs solis morari. Secunda est regiminis rectificatio, quia habitet locum frigidum & prohibeatur ab appropinquatione ad ignem. Tertia uertitur ad malam complexionem calidam impressam ipsam remouendo cum infrigidantibus supra nominatis, in cura sodæ cholericæ administrando de aqua rosarũ, oleo, et aceto et caput liniendo, quare, &c.

Cura scotomiæ & vertiginis.

DVo quæramus in hac cura, uidelicet an ægritudo actu infestet, sic quod corpus sit actu ægrum & isti debetur curatio, uel tale corpus non est actu uertiginosum, sed aptum faciliter in uertiginem labi & dicitur neutrum decidentiæ, & isti debetur præseruatio. In regimine curatiuo sicut dicit Rasis primo continentis, debet primo inuestigari causa, qua cognita cura est abscisio eius, cum ista sit cura morbi dependentis, ut habetur à Galeno tertio techni ubi dicit: Oportet unã quanq; causam abscindere prius. Debemus enim considerare si causa sit ab extrinseco occurrens, ut fortis motus, circumgirationis intuitio, rerum impetuosæ giratarum, ebrietas & reliqua huiusmodi. Si causa sit nimius motus quiescat. Si intuitio rerum motarum desinat aspicere. Si crapula & ebrietas cura est, ut euomat, uel clysterizet, ut stomachus mundificetur, fiant etiam fricationes & alia, quæ diuertant à capite. Si causa sit

intrinseca, ut nimius motus spirituum debet quiescere et stare in loco obscuro & non in lucido, quia lux agitat & commouet spiritus. Et *in hac cura etiam competunt quæcunq; infrigidantia habentia immobilitare spiritus, ut sunt syrupi & aquæ infrigidantes. Syrupi sunt, ut rosarum de granatis, de ribes, de citonijs, & saccharũ rosatum, ut dando eius ℥. 5. cum aqua rosarum, lactucæ, plantaginis, &c.* In *regimine præseruatiuo debemus attendere ad abscisionem causæ, si causa est sanguinea cum phlebotomia, & hoc diuersimode secundum diuersitatem capitis & cordis, ut habetur ex cura sodæ sanguineæ. Si causa sit phlegmatica, uel alius humor per purgationem illius humoris cum euacuatiuis proprijs curatur, ut habetur capitulis de soda, licet* Rasis *soluin posuerit curam sanæ & phlegmaticæ tanquam sæpius contingentis, quia hi humores magis in caliditate abundant. Alia intentio in hac cura est repercussio, & est fienda à principio dum humores sunt in fluxu, deinde intendamus ad spiritus quietationem, postea ad confortationem cerebri et malæ complexionis remotionem, cum rebus supra nominatis secundum complexionis uarietatem, quare &c.*

Cura phrenesis.

D*Vo sunt in hac cura fundamenta notanda.* Pri*mum est, quod prohibeatur augmentum siue cõplementum apostematis, & hoc ubi, occurramus à principio. Secundum quod resoluatur quod iam fluxum est, & in istis tota cura consistit, neq; est tardan*

dum in remedijs. Hæc enim *ægritudo est de peracutis, et est sæuorum accidentium, succurrendum est ergo statim à principio iubente* Hippocrate *quarta aphorismorum ubi habet* : Medicari *in ualde acutis, &c. Sunt etiam remedia à principio fortia administranda sicut idem* Hippo. *prima aphorismorum uerbo illo*. Ad *ultimas ægritudines, &c.* V*bi autem hæc ægritudo sit confirmata uana, & cassa est medicorum operatio.* Primum *fundamentum perficitur quinq; principalibus intentionibus.* Prima *est debita regiminis administratio.* Secunda *diuersio*. Tertia *repercussio*. Quarta *euacuatio*. Quinta *rectificatio sanguinis, & humorum.* Prima *intentio completur in debita administratione sex rerum non naturalium*. Primo *in dieta, danda enim est subtilis dieta, ut in hoc capite præcipit* Rasis *dando aquam hordei siue ptisanam colatam, uel non colatam.* Hodiernis *tamen temporibus non est in usu ita subtilis dieta, si enim hodiernis temporibus solam aquam hordei daremus infames essemus uulgo, & ubi infirmus periret nobis ascriberetur, tamen etiam quia istis tẽporibus corpora non sunt ita robusta sicut antiquitus, etiam quia sumus usitati in maiore cibi assumptione, quam esset consuetudo apud ueteres, unde* Auicenna *tertia primi capite de regimine eius quod comeditur, & bibitur, dicit homines debere esse contentos una cibatione in die, uel ubi sint debiles una cibatione die una, alia die duabus, sic quod in duobus diebus ter comedat. Solent tamen practici istis temporibus dare ex farre siue farina hordei coquendo in aqua, & hæc quatuor primis diebus po*

nendo in ipsa de succo granatorum, de agresta, succo limonum, &c. Vt merito istorum humores constipentur, & coarctentur ne ad caput possint fluere. Aliae etiam res non naturales debent ad frigidum declinare, aer etiã alteretur ad frigidum accidentaliter, tamen si possibile sit eligatur naturaliter temperatus, qui alteretur cum infrigidantibus leuis frigidatis, ut aqua rosata, & aceto cameram irrorare. Secunda intentio est diuersio, quae completur per multa ingenia. Primum est phlebotomia, facimus enim primo phlebotomiam cephalicae, & hoc ubi non sit totius magna repletio, quia tunc primo faceremus phlebotomiam saphenae, deinde basilicae, ut in illo capite: Cum materiam euacuare, &c. fuit declaratũ. De phlebotomia est tamen communis dubitatio maxime mota à Gentile an in omni phrenesi uera competat phlebotomia, tenet enim Gent. quod non licet, ut in pluribus competat, & adducit ad hoc duas rationes. Prima quia stat materiam phreneticam esse cholericam puta sanguini non mixtam, quae per sanguinis euacuationem posset furere. Secunda, quia non in omni herisipila competit phlebotomia, &c. Matthaeus tamen Gradi tenet oppositum, & hoc ubi uirtus consentiat nec secundum eum Gent. rationes concludunt, quia phlebotomia fit multorum gratia, primo euacuationis, secundo diuersionis, tertio praeseruationis, quarto tentationis. Licet ergo phlebotomia euacuatiua non sit fienda nisi sanguine peccante, uel cholera sanguine mixta, tamen alijs intentionibus fieri potest nullo praedictorum existente. Gratia praeseruationis, ut à sanitate praeseruetur. Gratia tenta-

tionis, ut si quis dubitaret de lepra uidere si sanguis sit infectus, uel in melancholia ad cognoscendum melancholiam uidere si in sanguine sit aliqua adustio, & ideo in omni casu si non euacuatiua tamen aliæ competunt, nam semper non est quin in phrenesi propter maximum dolorem panniculorum cerebri, qui sunt maxime sensitiui attrahatur sanguis, & alij humores, ideo semper est bonum phlebotomare sicut in fractura cranei facimus phlebotomiam diuersiuam: quia locus dolorosus traheret materiam, & fieret apostema, & ideo semper bonum est facere phlebotomiam. Ad primam ergo rationem de humorum cholericorum ebulitione dicit, quod uerum est, quod euacuatiua copiosa illud faceret non tamen diuersiua modica, & præseruatiua, & licet fiat aliqua inflammatio tamen magis est iuuamentum de probibitone apostematis, quam sit illud nocumentum de modica inflammatione. Nota quod Auicenna laudat phlebotomiam copiosam nisi sit aliquod forte prohibens, ad insinuandum tantum esse phlebotomiæ necessitatem, quod quamuis sit aliquod prohibens, est tamen fienda dum tale prohibens non sit forte: hæc enim cura irregularis est & coacta, habemus ex canonibus generalibus quarta primi capite de phlebotomia, quod uentre repleto non debet fieri phlebotomia, tamen quia hæc indicatio est debilis non propter hoc desisteremus à phlebotomia, quoniam differre in talibus esset malum propter morbi sæuitatem, dubium enim esset, quod si tãto tempore tardaremus quanto cibus stomachum exiret ne materia tota flueret, & fieret complementum apostematis, quod

maxime uerendum est, & timorosum. Fit *etiam diuersio cum uentosis in spatulis, & cum fortibus ligaturis in adiutorijs brachiorum, & in coxis etiam cum fricationibus.* Ad *idem etiam facit euacuatio diuersiua cum solutiuis.* In *cholerica daremus solutiuum declinans magis ad lenitionem:* Vbi *tamen corpus esset ualde robustum adeo, quod non pateretur à lenitiuo daremus solutiuum forte.* V*sualia solutiua cholerae in forma electuarij sunt, electuarium de succo rosarum, electuarium rosarum, diaprunis solutiuum.* Dosis *eorum est à ʒ.iij.usq; ad iiij.* In *forma pilulari sunt pilulae aureae aggregatiuae.* Dosis *est à ʒ.i.usque ad ℈. iiij.* Competũt *etiam clysteria lenitiua, et fortia solutiua.* Lenitiuum *clystere tale est.* Recipe *maluarum, matrum uiolarum, uiolarum, & hordei, ana* M.*i.fiat decoctio de qua accipiantur ℥.x.uel lib.i.cui addatur casiae fistulae ℥.i.s. saccari ℥.i.olei uiol.℥.iij. salis communis ʒ.ij. misce, & fiat clystere.* Acutum *clystere fieret ubi isti loco caßiae ponerentur aliquod solutiuum, puta de electuarijs supradictis, scilicet diaprunis solutiui ʒ.ij. uel iij.* Tertia *intentio, quae est percußio completur cum embrocis infrigidantibus circa caput, & in hac intentione laudauit* Rasis *embrocationem factam ex orodino, idest, ex mixtione facta, ex aceto, oleo rosato, et aqua rosarum, uidelicet secundum quosdam, ut aqua rosata, ad alia sit proportio dupla, uerbi gratia.* Recipe *aquae rosatae ℥.viij.olei rosati, & aceti, ana ℥.ij. misce secundum alios uero, ut omnium trium aliud sit subduplum ad reliquum, uerbi gratia.* Recipe *aquae ros.℥.viij.olei rosa.*

℥.iiij.aceti ℥.ij.misce. Laudantur etiam in hac intentione, ut ponantur panni in dicto liquore madefacti cum actuali sui frigiditate super collū inuoluantur, ut stringant uias per quas fluit sanguis, et alij humores ad caput & ingrossent materias fluentes. Conuenit etiam, ut dicti panni madefiant in aquis frigidis, stipticis sicut aquæ rosarum, plantaginis, solatri, & debent isti panni frequenter renouari, ut fortior fiat refrigeratio. Conueniunt etiam odoramenta rerum frigid. ut odorare camphoram, & acetum, ponere etiam ad intra nares de aqua plantaginis. solatri, semper uiuæ, etiam ad intra aures & oleum rosatum. Quarta intentio est euacuatio per phlebotomiam, ubi materia sit sanguinea, si uero cholerica post digestionem per pharmaciam posset ubi urgeret necessitas ante digestionem fieri per ægritudinis sæuitatem, & hoc cum his quæ dicta sunt in intentione diuersionis in forma electuarij, uel pilularum. Quinta intentio, quæ est humorum rectificatio complectur per ea, quæ habent humidum coarctare, ut infrigidātia stiptica ingrossando restringendo etiam uias. Et ad hanc intentionem faciunt cibi infrigid. & stiptic. ut facti ex granis, & pasta infrigidantibus cum uino granatorum, & citoniorum, de agresta, limonum, & aranciorum. Etiam laudātur medicinæ infrig. ut aquæ & syrupi. Vsualis syrup. est iste. Recip. syrup. ros. ℥.i. syrup. de granatis ℥.s. aquarum solatri, plantag. et buglossæ, ana ℥.i. misce, & debent administrari de mane, et post cœnam, ut cum uaporibus cibi caput petant. Secundum fundamentum, quod erat ad hoc, quod factum

est completur per duas intentiones, prima est resolutio & consumptio materiæ fluxæ, secunda correctio accidentium. Prima intentio completur, primo per euacuationem appropriatam ad materiam apostemantem faciendo euacuationem cum myrabolanis, uel rheubarbaro, uel cum pilulis dictis, capite de soda, & istud magis conuenit, deinde si aliquid remansit resolue cum localibus positis supra caput temperate tamen calidis, & ad hoc uidelicet columbus per medium scissus, & euisceratus cum actuali caliditate supra caput positus, etiam catulus, pulmo arietis, & reliqua dicenda in capitulo de melancholia. Secunda intentio completur per duo secundum, quod duo sunt accidentia, scilicet instantia uigilarum, & materiæ retentio. Ad primum iuuatur cum somniferis. Et ad hanc intentionem laudantur omnia somnifera. Auicenna tamen uituperauit opium maxime si uirtus non sit fortis. In forti autem exhibet licet parum, multum enim in hoc capitulo minuit opium. Et est locus notandus quem Matthæus Gradi adduxit cum fuisset uocatus ad curam cuiusdam qui patiebatur fluxum dysentericum, & per dolorem decreuerant medici exhibere opium, uel philonium, uel egetheam, & iam concluserant ponere opium, tamen superueniens Matthæus Gradi dixit se nolle consentiri, quia cũ in patiente uirtus est debilis, ex tali opio periculum erat de totali caloris extinctione cum etiam esset ætate senex, & adduxit præsentem textum. Timet etiam Auicenna ad extra applicare nisi uirtus sit fortis, & in isto uirtus est debilis, etiã administratur ad intra. Adduxit etiam

textum alium in capitulo de cura fluxus absolute decimasexta tertij, ubi loquens Auic. de opio dixit. Et quocunque modo sit non administretur ei cui uirtus est debilis. Vsualia tamen somni prouocatiua sunt: syrupus de papauere, et unguentũ populeon & sunt satis domestica, syru. etiam uiol. cũ acqua lactucæ, est. n. uiola narcotica, ut Mesue capite proprio. Secundum accidens erat urinæ retentio ad quod opponimus cum urinam prouocantibus, ut cum inunctione olei scorpionum facta in pectine circa regionem uesicæ, & cum fomentatione facta ex paritaria decocta & more emplastri, illi loco applicata. Oleum scorpionum uidelicet a proprietate. Conuenit etiam titillatio facta cum digitis in radice uirgæ prope anum, quare, &c.

Cura apoplexię.

NOta, quod hæc cura est multum difficilis. Est enim ægritudo hæc pessima ex qua difficillime euadunt infirmi, ideo dicunt medici cum protestatione se intromittere ipsis medẽdo dicendo hos raro liberari, tamen si qua proficere possint, sunt illa, quæ sunt administrando. Debet etiam primo cognoscere an apoplecticus uiuat an non. Sunt enim ipsi parum à mortuis differentes. Et ad hoc cognoscendum ponuntur aliqua signa, & ingenia. Primum signum est quod si apposito coto carminato ad os, et nares, tale cotum uideatur moueri est signum uitæ, aere enim extra expulso per anhelitũ motus talis causatur quare signum est uitæ si anhelitum habet. Si autem nõ mouetur signum est

oppressiti. Secundum signum est quod si candelæ accen-
sæ & ori naribus applicatæ flamma uideatur agitari
erit signum sicut de coto dictum est. Debet tamen ob-
seruari ne aliunde hæc agitatio fiat puta ex aere nimis
moto in camera patientis ex motu hominum multum
anhelantium. Tertium signum, quod si ciathum aquæ
plenum pectori superponatur uideaturq; agitari si-
gnum est uitæ, quia adest pectoris motus. Quartum
signum, quod si speculum limpidum, & tersum naribus,
& ori applicatum uideatur maculari, & defœdari si-
gnum est uitæ, quia anhelitus aere uaporoso exeunte
inficiet speculum. Nota ulterius, quod & si nulla uitæ
signa in istis appareant tamen non sunt talia corpora
sepelienda statim imò debent morari spacio 72. hora-
rum & sunt tres dies completi, quia uisi sunt, quam plu
rimi qui priusquam ducebantur ad ecclesiam ostende-
bant signum uitæ. De quibus casibus habes historias
multas, et hoc maxime accidit mulieribus et corde fri-
gidis. Nota etiã, quod cura huius ægritudinis diuersifi-
catur secũdũ diuersitatẽ causæ. Et quia ut in pluribus,
uel huiusmodi causa est sanguis, uel phlegma, et magis
phlegma, quã sanguis, ideo specialiter de his duabus po
netur cura, et primo de sanguine in qua tres sunt prin-
cipales intẽtiones. Prima diuersio. Secunda eradicatio.
Tertia remotio malæ qualitates, & cerebri cõfortatio.
Prima intentio, quæ est diuersio, cõpletur per phleboto
miã & quia existente plenitudine sanguinis in capite,
raro est quin sit totius plenitudo, ideo nunquã in hoc ca
su facimus à principio phlebotomiã, ex cephalica, sed

ex saphena, uel basilica deinde ex cephalica. Secunda intentio est eradicatio materiæ, fluxæ actu oppilantis et in hac intentione cōuenit phlebotomia cephalicæ, uel uenæ frontis. Et de tali loquens Auicen. supra capite de soda: dixit, quod talis phlebotomia extirpat ægritudines omnes capitis à sanguine uenientes. Et licet Rasis in præsenti cura laudet phlebotomiam uenarum guidem, non tamen est fienda, neque est in communi usu apud practicos, quia est multum periculosa maxime in appoplecticis siue paratis suffocationi, quia quando fit phlebotomia oportet multū restringere collum, etiam quia fit per eas maxima sang. emissio. Nec de facili consolidari possunt cum non posint ligari & ligatura debite stringi. Vidi enim in quodam scholari robustissimo, qui ludens cum socio ense fuit uulneratus in uena guidem et emisit plusquam xx. lib. sanguinis in tantum quod nunquam potuit consolidari nec reperiri potuit ingenium aliquod in consolidando nisi, ut unus continue teneret digitum comprimendo ne sanguis egrederetur tanto tempore quo fatigaretur, deinde alius adueniebat quousque fuit facta consolidatio post magnos labores. Tertia intentio, quæ est remotio malæ complexionis derelictæ in cerebro completur administrando ea, quæ infrigidant, sicut est acetum & oleum rosarum, & hoc est in fine. Est tamen timor ne oppilent uias constringendo maxime in paratis ad oppilationes. Possent etiam à principio administrari in intentione repercussionis, licet non sit ita tutum, &c.

Cura apoplexię phlegmaticæ.

Quatuor sunt in hac cura intentiones. Prima diuersio. Secunda eradicatio. Tertia particularis euacuatio. Quarta resolutio residui remanentis. Prima intẽtio completur per multa ingenia. Primo enim diuertimus cum clysteribus acutis respicientibus phlegma, ut esset clystere positum à Rasi, similiter clystere ex hiera simplici ad deponẽdum phlegma, etiã hiera logodion, quæ est fortissimum electuarium. Et sunt talia fortia adhibenda etiam à principio, quia in istis uirtus est multũ sopita. Competeret autem in proposito tale clystere, & est usuale. Recipe saluiæ, maioranæ, foliorum lauri, rorismarini, sticados, origani, calamenti, ana, M.i. decoquantur in sufficienti quantitate aquæ ex qua decoctione sumatur lib.i. cui addatur hieræ simplicis ℥.i. uel hiera logodion ℥.ß. sacchari ℥.i. cassiæ fistulæ ℥.i. olei camomillæ ʒ.ß. laurini, uel rutæ ℥.ij. salis communis ʒ.ij. uel salis gemmæ ʒ.ß. misce pro clysteri, est enim clystere hoc multum capitale & forte. Laudantur etiam suppositoria longa quantitatis vi. digitorum facta ex colocynthida, uel agarico, uel elleboro cum melle inspissato, uel etiam ex speciebus hieræ picræ, uel hiera logodion cum sale gemma, uerbigratia. Recipe specierum hieræ picræ ʒ. vi. salis gemmæ ʒ.i. cum melle fiant suppositoria longa, ut supra cum filio appensa, ut possint ad placitum remoueri. Nota, quod ista debent sæpe reiterari, ubi non operentur. Conueniunt etiam in hac intentione uentosæ super anchas, &

ſuper ſpatulas etiã ligaturæ doloroſæ in adiutorijs brachiorum & in coxis, & ubi oportet, & in teſticulis, ut cauſetur maximus dolor, & uirtus expergefiat, & materiam expellat. Secunda intentio eſt eradicatio, quæ debet ſtatim fieri non expectata digeſtione, quia morbus hic eſt de non dantibus inducias. Et debent etiam adminiſtrari, ut prius dictum eſt fortia ſolutiua propter duo, quia uirtus eſt ſopita, ſecundo, quia uiæ ſunt anguſtate, membra enim in iſtis ſunt relaxata, & frigida, quia non tranſeunt ſpiritus, neque ſanguis. Ideo unus paries membri cadit ſuper alium, unde fit conſtrictio uiarum. Debent ergo iſta ſolutiua fortia eſſe, & in magna doſi. Vſualia in forma pilulari ſunt pilulæ de euphorbio, & cochiæ, & fœti de diſſoluendo eas cum aqua ſaluiæ, uel cum ſyrupo de ſticados, ut posſint deglutiri, quia apoplectici non poſſunt in forma pilulari ſumere. Doſis iſtorũ eſt a ℈. iiij. uſque ad ʒ.i.s. uerbi gratia. Reci. pilularũ de euphorbio ʒ.i.s. ſyrupi de ſticados quantũ ſufficit ad diſſoluendũ. Diſſoluantur eodẽ modo pilulis cochijs. Tertia intẽtio eſt particularis euacuatio, & in hac intentione cõpetunt ſternutatoria, ut elleborus, condiſi, & hoc ſtomaco uacuo. Etiam cõpetunt caput purgia et maſticatoria, ubi posſit, ſcilicet cũ releuãt ab actuali apoplexia. Quarta intẽtio eſt reſolutio reſidui remanentis, & cerebri confortatio, quæ completur per interius, et exterius applicata. Per exterius ut per euaporationes, & cum rebus capitalibus ſupra nominatis, per embrocas, etiam per unctiones inungendo ex oleo de ſpica, de lilio, de euphorbio, de ruta, de co-

sto, quod singularissimum est, & capitale. *Etiam emplastrum sinapi Mesues, & est in eius antidotario, & est multum usuale à quo generantur uesicæ, & attrahit uehementer. Competunt etiam suffumigia, ut ex castoreo, odoramenta etiam, quæ dicta sunt in superioribus. De interius applicatis sunt, ut cōfectio anacardina, quæ calida est multum, & febrium prouocatiua. Dosis eius est ciceris quantitas, quæ debet retineri in ore. Potest etiam deglutiri confectio diacori, & acorus conditus etiam cum aquis, uel sine aquis, quare, &c.*

Cura subeth.

HAec cura diuersificatur secundum causæ diuersitatem, nihilominus generalis modus curæ consistit in tribus intentionibus. Prima est diuersio. Secunda confortatio. Tertia excitatio à paroximo. Et hoc quantum ad ipsam ægritudinem merito membri læsi. Nota etiam quod subeth, uel est per essentiam, uel per communitatem. Si per communitatem duæ sunt principales intentiones. Prima est ad membrum mandans. Secunda ad membrum recipiens. Ad membrum mandans intendimus cum euacuantibus materiam ab illo membro, & de disponentibus ne amplius mandet. Ad recipiens intendimus cum intentionibus dictis supra. Nota quod illa, quæ est per communitatem, uel est à causa intrinseca, uel primitiua. Si à primitiua, uel uenenosa, uel non. Et in utraque competit regimen dictum uerum in uenenosa, ut ex potu opij, uel fungorum comestione, &c. Cum hoc, quod cōuenit illorum euacuatio. Competit etiā confor-

confortatio cum croco, castoreo, cassia lignea, quæ cum hoc, quod sunt calida, sunt etiam bezoardica, & theriacalia repugnantia uenenositati. Et potest *exhiberi ex istis usq; ad ʒ.i. Si autem causa sit per essentiam, uel prouenit à sola mala complexione siue materia frigida, sicca, & humida quæ dispositio plurimum contingit in infantibus maxime in locis frigidis, & humidis, competet tantum una intentio, scilicet rectificatio talis malæ complexionis, primo per fomentationes calidas, & siccas, uerbi gratia, accipe spongiam infusam in decoctione rerum calidum, maxime capitalium de quibus abunde supra dictum est, etiam inunge caput cum oleis calidis iam dictis, ut de costo, &c. Conueniunt etiam interius applicata, ut diamuscum dulce, & amarum, confectio anacardina, quæ maxime calefacit, confectio diacori, quæ est maxime usualis, quare, &c.*

Cura subeth à materia phlegmatica.

IN *hac cura sicut in primo notato dicebatur, sunt tres intentiones dictæ supra.* Prima *diuersio.* Secunda *confortatio.* Tertia *releuatio à paroxismo.* Prima *intentio completur primo per clysteria acuta, quia in hac ægritudine ex materia phlegmatica maxime conueniunt, & usuale, & conueniens esset descriptum in cura apoplexiæ ponendo de hiera simplici, uel logodion usq; ad.ʒ.i.* Possumus *etiam in dicto subeth exhibere de pilulis ad hoc ualentibus dissolutis in decoctione, &c.* Dosis *pilularum per se est.ʒ.i. s. dissoluendo etiam cum aliqua aqua capitali.* Debent *autem istæ pilulæ dissolui*

propter causam dictam de apoplexia: Competunt etiam *suppositoria acuta lõga dicta supra. Secũda intentio est cõfortatio, et repercussio materiæ maxime, quãdo fluit, & hoc cũ stipticis cõfortãtibus participãtibus aliquali caliditate ne in infrigidatione adderemus, & hoc potest fieri per diuersa ingenia de quibus dictum est supra infundendo acetum supra caput. Tertia intentio est euigilatio à somno in qua maior pars curæ consistit administrando fricationes, & ligaturas dolorosas etiam odoramenta, ut odorare acetum, est enim maxime euigilatiuum sua acuitate, & exiccatione, facere etiam sternutatoria, & reliqua huiusmodi, quare, &c.*

Cura congelationis.

N*Ota, quod congelatio sumitur multis modis. Primo pro humidi aquei inspißatione, & condensatione, ut sumitur à philosopho 4. metheor: Secundo modo pro somno graui, & longo, ut subeth, ut habetur illo aphorismo:* Somnus, *& uigilia, &c.* Tertio *pro læsione sensus, tactus, ut est stupor quomodo sumpsit* Galen. *4. de accidenti, & morbo. Quarto pro quadam paßione terribili consequente malam complexionem frigidam, & siccam, in cerebro per quam ingroßantur spiritus, & de tali non uidetur Auicenna fecisse mentionem siue singulare capitulum, reperitur tamen in capitulo de subeth aßari, ubi Auicenna facit unum uerbum & dicit:* Et cum aperit oculum *suum est ipsius apertio sicut apertio habentis subeth, & congelationem absque*

palpitatione. Et *ibi Gentilis dicit, quod subeth assari, id est, dormitatio uigilatiua, ita quod plurimum euenit dicit ipse à materia phlegmatica, & cholerica simul in qua uapores cholerici non prætermittunt uapores plegmaticos facere perfectam oppilationem.* Nota *etiam, quod istius ægritudinis sunt plura signa propria huic ægritudini, ex quibus distinguimus inter reliquas ægritudines, & istam.* Primum *signum est, quod in hac dispositione infirmi stant sub eodem situ, & habitu sub quo erant dum incurrunt in paroxismum istius morbi, ut si erant sedentes etiam remanent sedentes, si flexis genibus eodem modo.* Et *causa est, quia membra stant rigida ex frigiditate, & siccitate materiæ. Secundum signum, quod huiusmodi ægrotantes stant cum oculis apertis, ut dicit* Auicenna *capite allegato propter contractionem ex frigiditate, & siccitate, in musculis oculi peruenientem, ideo remanent contracti.* Et *si diceretur quare non remanent cum ore aperto ita, quod musculi maxillarum remaneant contracti?* Dici*tur, quod musculi maxillares magis resistunt suæ contractioni: Sed forte melius esset dicendum, quod si isti reperirentur in aduentu paroxismi congelationis cum ore aperto remanerent eodem modo, sed tunc non differt hoc signum à principio.* Tertium *signum, quod amittunt motum, & sensum ex eo, quod spiritus ingrossati sunt, & cum hoc alterati à sua naturali dispositione, & complexione ad præter naturalem omnino dispositionem, & complexionem omnino contrariam, scilicet frigidã, & siccam, ideo ita indispositi non influunt*

& cessat fluxus, & ideo non uere dormiunt quia ibi non sit reditus spirituum ad principium suum, & hæc ægritudo à Serapione dicitur athatas. Quartum signũ, quod non sunt uere dormientes, quia ad somnum requiritur reditus spiritum. Nota etiam, quod apoplexia, & congelatio conueniunt, & differunt, conueniunt in hoc, quod in utraq; est priuatio sensus, & motus, sed differunt primo, quia in cõgelatione spiritus sunt in dispositi, non potentes morari ad instrumenta sensus, & motus, nec sunt conueniens uehiculũ uirtutum animæ, in apoplexia uero non, nam indispositio non est in spiritu, sed ratione opilationis non penetrant ad membra. Item congelatus manet in eodem situ, apoplecticus uero non. Item in apoplexia membra sunt relaxata, & mollificata, in congellatione uero contracta, & rigida, quare, &c. Accedendo ad eius curam nota, quod non debet in hac passione approximari acetum, quia maxime est exiccatiuum, & hæc ægritudo indiget humectatione cum temperata caliditate, ideo præcedentibus diuersionibus debent administrari resoluentia istam materiam ex, quibus usualia sunt hæc: Primo oleum sambucinum, & est oleum de sisamino inungendo caput ex eo, & hoc remedium laudat Rasis in litera, est enim huiusmodi oleum temperatæ caliditatis cum aliquali humiditate, ponitur autem in unaquaque lib. istius olei. ℥. i. euphorbij, & fit forte resolutiuum. Aduertendum tamen est ne à principio nimis exiccemus, ne fiat paucorum spirituum, qui sunt in corde totalis resolutio, & ex consequenti extinctio, sed procedere debemus gradatim apponendo pannos cali-

dos, & anodina, ut sunt mellilotum, & camomilla faciendo ex ipsis decoctionem, ex quibus fiant fomentationes, etiam fomentando ex decoctione uini cum saluia, maiorana, sticados, & reliquarum herbarum capitalium, conuenit etiam oleum de lilio, quod habet proprietatem uiuificandi calorem naturalem, & cum hoc habet uirtutem theriacalem, etiam oleum de spica, de ruta, de euphorbio. Si magis calefacere uolumus conuenit potus uini optimi aromatici, ut esset uinum dictum maluas. & cum tali remedio dicit Galenus tertio de simplici medicina distinctione secunda capite secundo, se curasse congelatum. Et enim tale uinum apud ipsum appellatum listos, uinum enim huiusmodi aromaticum uirtutē habet uiuificandi, ut dicit Auicenna sexta quarti capituli de uenenositate ex medicinis frigidis. Curam hanc perfectius habebis capite de melancholia, ubi ponentur medicinæ, & remedia ad humorem melancholicum, quare, &c.

Cura paralysis.

Quinq; sunt intentiones in hac cura: Prima debita regiminis administratio. Secunda digestio humoris phlegmatici. Tertia euacuatio. Quarta diuersio. Quinta resolutio materiæ remanentis, & confortatio membrorum ægrorum. Prima intentio completur, ut 6. res non naturales conuertantur ad contrarium ægritudinis. Debet enim regimen esse calidum, & siccum cum causa sit phlegmatica. Debet enim primo aer alterari, & disponi, ut declinet ad calidū, &

ſiccum ſuffumigando cameram cum gariophylis, thure, & alijs calefatientibus, obſeruādo tamen ne à principio nimis calefaciamus maxime humoribus exiſtentibus in fluxu, & motu ne per apertionem uiarum ex nimia calefactione magis fluat de materia. In cibo uero, & potu debent uitari acetoſa cibaria, & frigida, & humida, & debent eligi calida, & ſicca, conueniunt ergo aſſata, & frixa propter eorum ſiccitatem, carnes etiam, quæ ex natura ſua ſiccæ ſunt, ut paruarum auium, & perdicis, &c. Secunda intentio completur per ea, quæ habent dirigere humorem phlegmaticum. Aduertendus tamen can. eſt Auicennæ ne nimis pro paremus cum fortibus digeſtiuis nimium calefacientibus, & hoc uſque ad quartam diem, ſed eſt gradatim procedendum à debilioribus ad fortiora, uerbi gratia, à principio debemus procedere cum melle roſato colato tantum, poſtea aſcendere ad ſyrupum de ſticados dādo de ipſo cum melle roſato, poſtea factis euacuationibus multis, deuenire ad ſyrupum de ſticados ſolum, quia eſt multum calefactiuus, & capitalis, & eſt in communi uſu, faciemus ergo à principio huiuſmodi ſyrupum. Recipe mellis roſati colati. ℥.i. ſ. aquarum ſaluiæ, et betonicæ, ana ℥.i. ſ. miſce, & iſtum continuabimus per ſex dies, uel circa uſquequo ſit facta aliqualis digeſtio, mel enim roſatum facit digeſtionem, & confortationem. Factis autem tribus, uel quatuor euacuationibus poſſumus tranſire ad ſyrupum de ſticados ſolum, conuenit etiam oxymel ſolum, uel cum ſyrupo mellino ad rectificationem aceti. Cum enim eſt phlegma uiſcoſum competit acetum, uerum quantum

possibile est uitari debent acetosa, acetum enim nocet neruis, ut habet Auicen.capite de cura uniuersali curationis neruorum fen secunda tertij. Tertia intētio completur per ea, quæ euacuant materiam phlegmaticam in qua intentione obseruandus est canon Auicennæ, quod in principio huius ægritudinis non est procedendum cum fortibus solutiuis sicut etiam dictum est de syrupis digestiuis. Vsualia solutiua in forma pilulari, quæ magis conueniunt, sunt, ut à leuibus incipiamus, pilulæ de hiera simplici, de hiera composita, elefangine, assaieret. Auicenna in capite illo. Cum materiam. Descriptæ pilulæ masticinæ, descriptæ à Concilaitore in additionibus. Mes. capite de indigestione stomachi elefangiæ, euacuāt à capite, & istis possumus addere de agarico trochiscato, uel per se dare, uel dare de ipsis mixtis adinuicem, agaricus ualet mirabiliter in ægritudinibus neruorum exhibendo de istis. ʒ. s. elefanginarum. ʒ. s. aga. uel ana ℈. ij. secundum infirmi tolerantiam, pilulæ assaieret in quibus ingrediuntur myrabolani, sunt in communi practica, & euacuant cum constrictione, & confortatione, pilulæ etiam fœtidæ, quibus practici communiter utuntur sunt multum utiles, non sunt autem descriptæ à Rasi, sed secundum Dominum Mesuem in antidotario, & tenentur confecte, sunt enim leuiores illis Rasis, pilulæ etiam cochiæ descriptæ à Rasi in capite de soda conueniunt, damus enim, quandoque pilulas fœtidas cum cochijs, quandoque alteras ipsarum da per se, euacuant enim à capite, dosis est usque ad scrup. ij. reducendo ad formam quinque, uel septem pilularum se-

cundum beneplacitum, pilulæ etiam de ſerapino multum iuuant, quod eſt gummi quoddam, etiam de euphorbio, de oppopanaco, iſtæ tamen ſunt multum fortes, ideo ad eas non ſemper aſcendimus, debent autem ſolutiua dari in his paſſionibus in forma pilulari, quia materiæ ſunt diſtantes a uijs ductuum ideo oportet, ut ſolutiua ſint talia, quod lõgam moram trahant in ſtomacho quales ſunt pilulæ, longo enim tempore morantur antequam diſſoluantur. Quarta intentio completur per ea, quæ probibent materias fluere à cerebro ad nucham trahendo ad alias regiones, & in hac intentione laudantur ſternutatoria, clyſteria, & maſticatoria, ſed ſternutatoria, & maſticatoria non dentur à principio, ſed poſt euacuationes plurimas, fit autem ſternutatio per iniectionem ellebori, uel condiſi ad nares, maſticatoria cũ maſtice retento in ore, & maſticato liquefacit enim, & reſoluit phlegma, & facit ipſum declinare ad uiam oris. Quinta intentio, quæ eſt reſolutio reſidui remanẽtis, & confortatio, completur per interius, & per exterius applicata. In exterius applicatis debet obſeruari canon Galeni tertio interiorũ ubi recitat hiſtoriam de uno, quẽ curauit, paralyticatus erat enim in digitis manus ex caſu à mula unde ille appoſuit digitis læſis emplaſtrum calidum, tamen non iuuabatur eo. Galenus autem idem emplaſtrum poſuit ſuper locum ſuper quem ceciderat, & breui tempore ſanatus eſt, quia ex illo loco oriebatur neruus digito adueniens, qui ex dolore attracta materia oppilatus eſt, & ideo ſpiritus ad manũ pertrãſire nõ poterant, debet ergo origo attẽdi. Secundus can-

Auicennæ, quod cum calefactiuis debent permiſceri aliqua infrigidantia, uel temperata, ut ſuccus liquiritiæ, & endiuiæ. Tertius canon, quod in reſolutiuis debet fieri proceſſus à debilibus ad fortia, à principio enim adminiſtrabimus reſoluendo talia, quæ ſunt oleum camomillæ, poſtea de ſpica. Poſtea factis euacuationibus, dabimus oleum de coſto, oleum etiam de terebenthina, quod deſcribitur à Meſue in antidotario, oleum etiam philoſophorum Meſues, oleum uulpinum quod etiam multum commendatur ab Auicenna 2. canon. Et hic eſt modus eius, ut accipiatur uulpis uiua, & dimittatur in oleo bullienti, & tandiu decoquatur quouſque ſeparentur oſſa à carne, & tunc exprimatur, & coletur, oleum illud multum ualet in paſſionibus neruorū. Item aqua uitæ eſt multum appropriata. Item accipiantur uermes terreſtres, & ponantur in olla, deinde ponātur in furno, & ibi exiccentur in tantum, ut poſſint puluerizari, poſtea capiatur galangæ ʒ.iij. piperis ℥.iij. et cum tribus libris mellis diſpumati fiat augmentum, uel emplaſtrum, ualet enim mirabiliter in paſſionibus neruorum, & eſt à me expertum. Item ſuccus ireos ualet multum ad reſoluendum. Item emplaſtrum de ſinapi Meſ. etiam caſtoreum. Et eſt notandum in his fortibus emplaſtris ne multum dimittantur morari ſuper loco, quia comburerent, & apoſtemarent, & Auicenna dat modum in litera ad cognoſcendum cum ſatis moram contraxerint. Conferunt etiam ad eandem intentionem balnea ſulphurea, nitroſa, ſimiliter lutum balneorum iam dictorum eſt ſingulariſſimum, & iſta omnia ſunt

de exterius applicatis. De interius autem applicatis sunt, ut oleum diacori Mes. descriptum capite de paralysi, dando singula die ℥.ij. Conuenit etiam acorus conditus quem laudat maxime Auic. similiter acorus nutritus qui à Mes. uocatur hueg. et de istis nõ pertransitur ℥.i. contra illos, qui dant coclearium unum, et semel in hebdomoda, etiam conuenit theriaca, ut dicit Auicenna in capite de soda phlegmatica, etiam diamuscus dulce, et amarus, dando ℥.i. sticados etiam multum prodest calefaciendo, et exiccando cerebrum hieræ au.i. piperis aur.ij. omnia enim ista calefaciunt exiccant et resoluẽt. Nota, quod est quædam herba, quæ dicitur iua, quæ secundum Simon. Ian. est camepitheos species, multum ualet in passionibus neruorum, et schiatica, Mesue appellat eam ziniam, et à Nicolao exponitur quod est iua, etiam ab Antonio Guaynerio, et ego expertus sum in quodam iuuene reuerendi domini Prothonotarij de Sciopiono, ualet enim multum secundum omnem modum administrationis eius, quare, &c.

Cura torturę oris & faciei.

IN *hac cura sunt quinque principales intentiones, prima debitum regimen, secunda digestio, tertia euacuatio, quarta diuersio, quinta resolutio causæ coniunctæ. Prima intentio completur per ea, quæ sunt calida, et sicca, debet enim regimen esse calidum, et siccum, diuersimode tamen, quia à principio non debet esse nimis calidum, et siccum, debet etiam æger situari in loco obscuro. Dicta à principio debet esse subtilis,*

et præcipue, usque ad quartum diem. Nota etiam quod licet regimen debeat esse calidum, et siccum, tamen oportet, quod istæ res non sint difficilis digestionis, nec stipticæ cum intendamus lenire uentrem, et propter hoc Auicenna uituperat pullos columbarum, et pastam factam cum melle. Secunda intentio est digestio, unde debemus considerare materiam cum, ut plurimum sit phlegmatica, et debemus à principio procedere cum leuioribus, unde simus contenti solum melle rosato. Facta autem aliquali minoratione possumus addere syrupum de sticados fit ergo sic. Recipe mellis rosati colati ℥. i.ß. aquæ betonicæ, uel hyssopi, uel maioranæ ℥. iij. misce. Tertia intentio est euacuatio, unde cura regulari non debemus à principio exhibere fortia euacuantia, sed cura coacta sic quia forte timemus maiora nocumenta, ut apoplexiam, uel epilepsiam. Si ergo materia uideatur digesta à principio, dabimus pilulas masticinas, uel elefanginas, uel assaieret, et agarici trochiscati, postea si paßio non sit totaliter ablata iterum debemus dare digestiua, postea fortiter euacuatiua sicut pilulas fœtidas cochias. Si autem esset materia mixta cum sanguine debemus facere a principio phlebotomiam. Quarta intentio est diuersio, in qua conueniunt clysteria suppositoria, fricationes, retentio extremitatum in aqua calida ubi sint decoctæ res calidæ, ut maiorana, calamenthum, origanum, pulegium, Conferunt etiam gargarismata ex synapi, et syrupo acetoso, conferunt masticatoria, ut mastix multum confert euacuat.n. materiam a capite, etiam cum liquiribus

qui per nares attrahuntur,ut trahere aquam, auriculæ muris per nares,aut loco eius aquã maioranæ,uel etiam quod maxime confert aquam blitis,ista maxime conferunt,& hoc post euacuationes ne humores agitentur,& fluant. Quinta intentio, & ultima est resolutio causæ coniũctæ,quæ completur per interius, & exterius applicata.Per interius debent exhiberi calefacientia,maxime conferunt res calefacientes,ut acori conditi, confectio diacori, theriaca, diamuscus dulcis, & amarus. Dosis est ʒ.ij.diacori,aut acori conditi, usque ad ʒ.iiij. possumus exhibere, nux muscata retenta in ore est maxime conueniens, & usualis, uel dimidium eius, etiam radix acori conditi. Per exterius applicata conueniunt inunctiones,ut inũctio cum oleo uulpino,de costo,et hæc maxime conueniunt, uaporationes ex aceto simul cum rebus calefacientibus ,ut calefaciendo simul cum aceto saluiam, maioranam, & calefacere, ponendo etiam lapillos ignitos in tali decoctione,& facere ascendere fumum ad partes faciei,& capitis,& inuoluere caput ex pannis, ut totus fumus in capite recipiatur. Etiam ad resoluendum conferunt carnes elixatæ syluestres,positæ supra caput,ut gazellarum,et aliæ quas ponit Auic.capite proprio minutim incisæ, & super torturã positæ et in illis ponatur tegula ignita supra locũ similiter, quod est maximi,et proficui iuuamẽti ponere cõfectionẽ anacardinam supra locũ læsum ad modũ emplastri, & hoc expertus sum etiã interius assumere,& eis adhibere speculũ ex calib.factũ,ut uideant suam difformitatẽ,& conentur,& ingenientur,ut ad situ reducãtur, quare,&

Cura ſpaſmi.

PRocura huius ægritudinis, & maxime repletionalis, quia frequentius contingentis prouenientis à materia phlegmatica, primo ſex intentiones ſunt obſeruandæ, prima debita regiminis adminiſtratio, ſecunda digeſtio materiæ ſpaſmum facientis, tertia euacuatio, quarta diuerſio, quinta reſolutio, ſexta accidentium correctio. Pro prima intentione debemus aduertere ſicut primo notatum eſt in capite de cura paralyſis, quod regimen debet eſſe calidum, et ſiccum, ut ſupra, etiam alias res non naturales ad calida, & ſicca præparare præparando etiam cibaria, & aerem. Secunda intentio eſt digeſtio, & debent digeſtiua calida, & ſicca applicari, & canonem ſupra poſitum capite de paralyſi non ommittere, quod fortia digeſtiua, uſque ad 4. 5. uel 14. diem approximari non debent. Vnum tamen nota canonem, quod ſemper primo digerimus quam euacuamus, licet aliquando euacuamus, quia aliquando ſunt in ſpaſmo ſæuisſima accidentia, quia intenſus dolor ratione cuius uirtus maxime proſternitur, ideo ſi prius intenderemus digeſtioni dum digereremus materia infirmum periret, quia uirtus deficeret, ideo cum medicus uidet ſæuiſsima accidentia, debet primo euacuare, & non expectare digeſtionem, hoc ergo quod eſt à principio euacuantibus procedere, uel non relinquitur iudicio æſtimatiuo medici ſecundum, quod uidet uirtutem melius, uel deterius pati accidentia, & talia digeſtiua ſunt ſupra commemorata, ſcilicet mel roſatum cum ſy-

rupo de sticados cum aqua hyssopi, maioranæ, saluiæ, foliorum lauri, abrotani, &c. Tertia intentio est euacuatio, et aliquando à principio fienda est, sed ubi ægritudo dat inducias, et regulariter procedendo debemus primo digerere, & euacuatiua communia, & usualia sunt pilulæ fœtidæ, & cochiæ. Si fortia uelimus sunt pilulæ de serapino, & de oppopanaco, sed ista non usitantur, quia uirtus est debilis propter sæua accidentia. Si patiens uellet accipere medicinã liquidam, ut infusionem agarici, uel dissoluere agaricum trochiscatum, cum aliqua aqua appropriata, & capitali diafenicon electuarium indum dissolue cum decoctione respiciente caput, ut saluiæ, maioranæ, radicum acori, dirigunt enim uirtutem medicinarum ad caput, & neruos. Quarta intentio est diuersio, quæ completur cum fricationibus ad partes inferiores, & ignobiles, & facere clysteria cum decoctione rerum maxime capitalium, etiam facere masticatoria, sternutatoria, & hoc præcedente digestione. Quinta intentio est resolutio, et exiccatio factis diuersionibus, & euacuationibus, postea ad localia est deueniendum habendo respectum ad materiã sub forma causæ coniunctæ, ut eã trahamus à neruis in qua intentione competunt inunctiones supra dictæ, ut cum oleo de lilio, de quo dicit Auicenna, quod adhibeatur si non fuerit febris timens eius nimiam calefactionem, ideo à fortiter calefacientibus abstinẽdum est, conferunt etiã oleum uulpinum, & costinum, & ut membrum patiens teneatur in tali oleo cõfert ualde. Similiter inunctiones cum unguentis, & singulum est unguentum de bdellio, &

erat secretum clarissimi doctoris magistri Ioan. Giringelli, confert enim maximum iuuamentum in spasmo. Similiter pelles luporum nouiter excorticatorũ maxime cũ actuali sua caliditate inuoluendo mẽbrũ spasmatũ. Similiter ponantur catuli ad buliendum in oleo, uel uino, uel aqua, & in tali decoctione retineatur membrum spasmatum. Similiter experimentum egregium, quod refert Nicolaus Florentinus de mente Thadei, quod facit ad resolutionem, & remissionem doloris. Accipiatur anser pinguis, et euisceretur postea capiatur cattus minutim incisus, et ponatur in uentre anseris cum lardone, myrrha, et thure, deinde suatur uenter anseris, et ponatur ad coquendum in ueru, et supponatur uas aceto albo medium, quando uera pinguedo liquefiet ab ansere per decoctionem, et non à principio cum primus succus egreditur, quia talis parum est iuuatiuus, deinde capiatur talis pinguedo supernatans aceto, et reseruetur in uase, alio postea capiatur anser, et bulliat in dicto aceto, et maxima pinguedo separabitur ab ansere, et aceto supernatabit, et talis separetur, et misceatur cum prima, et ex illa ungatur membrum spasmatum, et ea usus sum in pluribus patientibus spasmum, et hoc in hospitali et maxime fuit unus, qui habebat spasmum ita fortissimum, quod uertix usque ad anchas uertebatur cui fuit cum ista pinguedine succursum, et euasit. Conuenit etiam uentosæ super locum spasmatum positæ sine scarificatione, si spasmus est debilis, sed si est fortis cum scarificatione, quia ex eo, quod multa materia attrahitur, si non scarificaretur

causaretur apostema, & ideo dicit Auicenna, cum est magnus dolor si non scarificamus in ponendo uentosas est mortale. Similiter conueniunt submersiones in aqua frigida, curant multotiens per accidens, quia tracto calore ad interiora fortificatur calor, & per consequens uelociter fit resolutio materiæ remanētis. Similiter conuenit in hac cura prouocare febrim, ut præcipit Auicenna. Et debet talis febris esse ephimera, & de illa intelligit Auicenna, quia si putrida induceretur putrescerent multi mali humores in corpore existentes, & causarent febrim peiorem. Ego autem hoc nondum feci, nec uidi aliquem fecisse, quia est timorosum, quia nescimus ad quam febrem deueniat, etiam quia aduenient forte petit, & tunc incurrit medicus infamiam ab astantibus credentibus medicum eum occidesse, tamen quia tempore Auicennæ, homines erant temperatiore in uita, & modo uiuendi, ideo in illorum corporibus non ita generabantur humores cum parce uiuerent, ideo si febris adueniebat in pluribus erat ephimera, isto uero tempore, quia homines sunt gulosi, & pleni malis humoribus, ideo non fit. Balnea etiam multum laudantur, & naturalia, ut sulphurea, salsa, aluminosa, & artificialia, unde competit facere decoctionem ex camomilla, maiorana, saluia, betonica, rore marino, abrotano, aut ex omnibus istis simul, uel aliquibus eorum, & ponere ægrum super peluim illius decoctionis, etiam ualet ponere lapides ignitos, & fumus, qui uirtute sua est exiccattiuus exiccat materiam, & cum linteamine coopereatur corpus totum, et caput ne fumus agredeatur. Et medicinæ,

& con-

& confectiones per interius calefacientes siue electuaria resoluentia maxime iuuant. Et usualia sunt, diacorus, acorus conditus, diamuscus dulcis, & amarus, & de istis omni die exhibere ad quantitatem duarum.ʒ. uel etiam de fortibus calefacientibus, ut theriaca, Mithridatum, & exhibere semel in hebdomada, ualet etiam confectio anacardina si uellemus febrim prouocare, oppopanacum, & castoreum, quæ laudat Auicenna, esse sumenda post cibum, ex eo quia cum non sint fortiter resoluentia, & calefacientia, si ante cibum acciperentur sua actuali non refracta caliditate epar penetrarent, & eum maxime læderent, sed cum post cibum exhibentur obtunditur eorum fortitudo à cibo. Sexta, & ultima intentio est accidentium remotio, & est maxime dolor remouendus cum in talibus sit aliquando intensissimus cum maximis laboribus coniunctus, & tunc maxime uirtus prosternitur ita ut fateor quosdam uidisse in hospitali de quibus maxime miserandum erat, ita clamabant incuruantes se à uertice ad lumbos propter malum motum spasmum, & isti semper debent stare in balneo, sed non multum ne uirtus laxetur, & resoluatur, & ita subito practici isti occurrentes succurrunt accidenti isti, scilicet dolori, & faciunt ei balneum ex oleo communi cum decoctione uermiũ terrestrium, uel sine, sed primum est singularissimum, & stetit in illo oleo tepido, uel actu calido, & postmodum accipere uermes terrestres, & contundere, & supra locum emplastrum apponere ex ipsis etiam oleum uulpinum, fit ex oleo tali balneum si diues est, et si est pauper facere de-

coctionem ex oleo chamomilino, ex semine lini, & fœnugræci, maluarum, matrum, uiolarum, &c. Et ita stent in tali balneo actu calido. Et ita feci primum balneum ex oleo communi simul cum uermibus, & ex oleo uulpino clarißimo uiro magistro Cæsari Landulpho cum pateretur motum spasmum in coxis & cruribus, & cum sibi adueniebat dolor ita faciebat, et stabat parum. Iterum in lecto reponebatur, & dolor ille, & contractio cessabat. Similiter accipere caput, et intestina castratorum, & ex eis facere decoctionem est multum conueniens sedatiuum doloris. Si autem talis spasmus sit à materia sanguinea debemus incipere à phlebotomia, in qua ponit Auicenna canonem non esse extrahendum totum sanguinem, qui est necessarius extrahi, ut si una lib. sanguinis peccaret non est tota euacuanda, quia uirtus destrueretur, ideo melius est multiplicare uices, etiam, ut uirtus posſit malo accidenti resistere. Si autem proueniat ab humore cholerico, uel melancholico, fiat etiam eodem modo sicut supra dictum est, scilicet digerendo postea euacuando cum syrupis, & medicinis conuenientibus, de quibus supra dictum est. Si à uentositate ueniat cito transit & uulgo uocatur ranso, tunc calefacimus pannis calidis, & inunctione, et cum fricatione resoluitur. Si ex inanitione proueniat curandus est cum rebus humectantibus siue cibis, siue medicinis, brodia pinguia adhibeantur, contusum ex carnibus optimis, uinum limphatum, & hoc in fine, quia in principio facit materias in neruos penetrare, balneum tepidum, & humectatiuum ei multum conuenit, ut ex capitibus, & in-

testinis castratorum, & post exitum balnei præcepit Auicenna in præsenti cura, ut inungantur loca balneata, ut cum oleo rosarum, quia sua uirtute stiptica prohibet ne humiditas actualis exhalet, similiter ex oleo cucurbitino, ut dicit Auicenna, facere etiam balneum ex alijs oleis ab Auicenna descriptis, & postmodum etiam inungere ex oleo rosato, quia sua uirtute stiptica retinet confortat, & conseruat actualem humiditatem aliorum oleorum. Si autem sit à punctura aliquorum animalium uenenosorum extrahatur humiditas uenenosa à loco puncturæ per hoc experimentum, capiatur gallus uel gallina, & ano eius depilato bene loco puncturæ superponatur. Et quia continue anus eius sugit, suget totum uenenum in tali loco existens. Secundum remedium, quod quidam pro maximo habebat secreto. Capiatur scabiosa, & contundatur & cum uitello oui reducatur ad modum emplastri, & attrahit totum uenenum in loco puncturæ existens. Ideo quidam tempore pestis pro maximo secreto habebat scabiosam suprapositam bubonibus tempore pestis apparentibus. Et in tali punctura optimum emplastrum attractiuum est factum ex cepæ cocto, uel non cocto supraposito, & etiam eius succus. Attrahit enim omnem humiditatem, etiam ponere uentosas supra locum puncturæ, uel morsus, & applicăt cum scarificatione, & istis uentosis maxime chirurgici utuntur, quando infirmo occurrunt uenenato. Quidam dicunt theriacam supra locum emplastratam maxime conferre, sed de isto dubitat Gentilis, quia uidetur, quod sit pessima, quia de natura theriacæ est

uenenum, expellere ergo uenenum magis profundabitur per eius appositionem quam extrahetur, tamen quinto canone, ubi disputat hanc materiam, tenet quod sic, quia conuenit, & ibi respondet ad hoc argumentum. Si autem accidat propter puncturam ex ferro acuto, super quo uide quæstionem Gentilis, *quam facit, & de causis spasmi an sit mortalis, in qua nos debemus primo intendere, ut locus uulneratus sit apertus, ut possit materia transpirare.* Et *si esset strictus cum ferro aperiatur, ne materia siue humiditas propter stricturam retineatur, & ibi putrefiat, & ponitur ibi unguentum exiccatiuum & corrosiuum, ut unguentum apostolorum, et fortius unguentũ basilicon. Sed quia aliquãdo intensissimus est dolor, ideo pro imitigatione doloris nota tria.* Pri*mum est glutinum albotin, idest, terebenthina, est enim singularis ad sedandum dolorem mixta cum oleo rosato, et ad neruosorum membrorum dolorem auferendum, est multum bona quam expertus sum in filio comitis* Guidonis Torelli *qui ceciderat à loco alto, & stetit per tres horas sine operatione sensuum, postea ex illos casu facta est in capite contusi et læsus fuit neruus auris unde intensissimum auris dolorem patiebatur, tandem applicaui de ista terrebenthina cum oleo rosato, & cessauit dolor. Secundum quo practici maxime utuntur, est capere uermes terrestres, & ponere ad bulliendum in oleo, postea ex dicto oleo facere balneum supra locum dolorosum, & ex uermibus facere emplastrum, & mitigat dolorem.* Tertium *est maxime usuale, scilicet panis infusus in lacte, postea super locum doloris in forma*

emplaſtri ſuperponatur. Quartum in caſu deſperationis uenimus ad ſtupefacientia, ubi alia non ualent, et ponimus panem cum decoctione papaueris albi, uel ʒ.ij. opij miſcere cum pane, et apponere loco dolenti, quare, &c.

Cura epilepſiæ.

IN *cura huiuſmodi ægritudinis duplici regimine procedimus, ſcilicet præſeruatiuo, et curatiuo. Primum regimen debetur corporibus, quæ non incurrunt epilepſiam, ſed parata ſunt ad hoc qualia ſunt puerorum corpora, qui faciliter cadunt in hanc ægritudinem, unde mater puerorum dicta eſt hæc ægritudo. Secundum regimen debetur corporibus iam ægrotantibus hac ægritudine, et tale regimen eſt duplex, quoddam eſt quod conuenit tempore quietis, aliud quod conuenit tempore paroxiſmi. In regimine præſeruatiuo, ut dicit* Ni*colus de monte* Galuanij *debet puer nouiter natus antequam ſugat lac iſto regimine regi, ut detur infanti hoc electuarium*. Recipe *ſacchari albi puriſſimi ʒ.iij. olei ſiſamini, quãtum ſufficit ad diſſoluendum ſaccharum, uel olei amyg. dul. et adminiſtretur admodum electuarij, quando à ſomno ſurrexerit, abſtergit enim malas humiditates in ſtomacho et in inteſtinis puerorum exiſtentes à quibus eleuantur mali uapores, qui ad cerebrum peruenientes faciunt, epilepſiam, et obſtetrices conſueuerunt ponere loco olei butyri recentis, quantum ſufficit, et hoc eſt ſatis rationi conformæ, poſtea coclearium unum ſyrupi de cicorea adhibeatur omni die ſine*

aliqua aqua, deinde quando incipiunt ambulare adhibeatur syrup. de cicorea cum urina propria, & recitat Nicolus *quod ipse curauit filios cuiusdam nobilis uiri, qui omnes moriebantur ex epilepsia.* Quædam *à proprietate remouent epilepsiam, uel eam prohibent, scilicet pœonia secundum omnem modum administrationis eius etiam suspensa collo, et debet isto modo parari.* Accipiantur *radices pœoniæ, & incidantur secundum latum, & fiat corona, & collo suspendatur, etiam lapis smaragdus, & corallus suspensus sicut etiam nuc moris est, & optimum est.* Debent *etiam infantes custodiri ab occursu excellentium sensibilium, & maxime subito, ut cessent sonitus fortes, & strepitus, & timor, unde* Matthæus Gradi *recitat historiam de filio suo lactanti, qui cecidit in epilepsiam ex forti sonitu tubarum uide loco suo.* Debet *etiam nutrix se abstinere à coitu, quia alterat lac, & debet uti cibis bonis, ut bonum generent lac, etiam uitet crapulam, & omnia, quæ habent malum lac generare cuius oppositum hodiernis temporibus fit.* Regimen *curatiuum, quod debetur tempore quietis respiciens causam epilepsiæ completur quinque principalibus intentionibus, quæ ponuntur in cura epilepsiæ prouenientis à materia phlegmatica tanquam sæpius contingente.* Prima *est debita regiminis administratio, secunda digestio, tertia euacuatio, quarta diuersio, quinta & ultima resolutio, & cerebi confortatio, & remotio malæ complexionis in cerebro derelictæ.* In *prima intentione laudat* Auicenna *acrem debere alterari ad calidum, et siccum, ut sit præsentia bo-*

norum odorum, sed non debent eis sæpe uti, sed moderate, quia aliquando propter nimiam euaporationem agitantur humores, & camera non sit frigida, & ubi esset suffumigari debet cum gariophylis, corticibus citri, ponere etiam in camera de saluia, maiorana, rore marino, sticados, &c. In regimine cibi, & potus, cibus nimis quantitatis est malus, quia nimis euaporat ad caput unde declinare ad subtilitatem est melius, uitent etiam omnia cibaria euaporabilia, omnibus enim caput haben tibus frigid. & humid. præcipitur ne multum comedant in cœna, quia multi uapores eleuantur, & inde infrigidati faciunt catharrum, apium à proprietate facit epilepsiam, ideo debet uitari, uitentur etiam carnes caprinæ propter idem, quoniam secundum quosdam inducunt epilepsiam, & licet Auicenna laudet, intelligit de caprina carne iuueni, uituperatur autem antiqua, iuuenis enim propter propinquitatem generationis est facilis digestionis, etiam sunt siccæ complexionis, licet uniuersaliter, & absolute sint difficilis digestionis, uituperantur omnes herbæ frigidæ, ut lactuca, portulaca cum aceto, laudantur autem herbæ calidæ, ut saluia, maiorana, & inter alia hyssopus, ideo dicit Serapio testor multos curasse exhibendo hyssopum, ut in decoctione et in cibarijs, caueat uinum, quia inducit epilepsiam, si tamen sit temperatum, & in modica quantitate conceditur, si sit calamus aromaticus, etiam omnes aliæ res non naturales ad caliditatem declinent. Secunda intentio est digestio, cũ ergo materia sit phlegmatica digestiua debent appropriari, phlegmati, qualia sunt mel rof.

oxymel simplex, compositum, scylliticum, ut Recipe *mellis rosati* ℥. i. *oxymellis, scyllitici* ℥. 5. *aquarum saluiæ, et betonicæ, ana* ℥. i. 5. *misce, postea syrupum de sticados cum aquis dictis de quibus singularissima, et usualis est aqua hyssopi, ut dictum est, et debet digeri per continuationem syruporum* 6. 8. *uel decem diebus.* Tertia *intentio est euacuatio, quæ completur cum his, quæ supra dicta sunt in cap. opoplexiæ, et subeth, singularissima tamen, et usualia sunt hiera simplex cum agarico, clamant enim omnis in uirtute agarici, in euacuando phlegma in capite existens, ut* Recipe *hieræ simplicis* ʒ. vi. *agarici trochiscati* ʒ. i. *dissoluantur in aqua saluiæ, bethonicæ, uel hyssopi, quantum sufficit.* Conueniunt *etiam pilulæ elefanginæ, et masticinæ semper addendo agaricum, pilulæ etiam de hiera magna sunt multum usuales, pilulæ etiam cochiæ, et fœtidæ, quæ sunt multum fortes, ut* Recipe *pilularum cochiarum, et fœtidarum, ana* ℈. i. *dosis enim istarum maxima, ut dictum est* ℈. iiij, *uel* ʒ. i. 5. Vbi *uero esset multum sopita, sed hoc non est tempore quietis, sed in actuali paroxismo posset esse in forma potabili.* Competunt *electuaria dissoluta cum aquis appropriatis, ut electuarium diafœnicon, electuarium indum, dosis est,* ʒ. i. 5. *ut* Recipe *diafœniconis* ʒ. i. 5. *decoctionem saluiæ, betonicæ, hyssopi, maioranæ, sticados, dissoluatur, et fiat potio.* Quarta *intentio est diuersio, quæ completur per ea, quæ trahunt ad inferiora, ut clysteria, fricationes, suppositoria factis aliquibus euacuationibus, caput purgia, masticatoria, sternutatoria,*

ut ſupra ample in cura paralyſis,& apoplexiæ dictum eſt. Quinta intentio eſt reſolutio reſidui remanentis,& cerebri confortatio,quia manente mala complexione frigida adhuc re aggregatur noua materia, ideo oportet reſoluere,quod remanſit, & exiccare ipſum cerebrum, & completur hæc intentio per interius,& exterius applicata. De interius applicatis eſt primo diacorus, acorus conditus,diamuſcus dulcis,& amarus,confectio plirisarcoticon Nicolai,medicamen de ſcylla,quod eſt ſingulariſsimum ad præſeruandum ab epilepſia. Accipiatur ſcylla,& incidatur tempore æſtatis infruſta,& ponatur in olla uitrea, & ſi in olla fuerit de melle rectificabit acuitatem ſcylle,& tunc bene claudatur,& ponatur in ſole omni hora uertendo, ut ſol tangat ipſam ex qualibet parte, & poſt 40.dies inueniemus liquorem ſegregatum uirtute ſolis, & ex tali liquore cum melle componatur electuarium, & hoc electuarium ponitur à Raſi primo continentis, & ab Auicenna in præſenti cura,confert etiam electuarium poſitum in litera, & omnes practici tenent pro ſingulari remedio, & multi teſtantur ſe multos curaſſe cum hoc electuario. Conueniunt etiam omnia ſimplicia hic poſita à Raſi,& primo continentis,& ab Auicenna,etiam Nicolao Florentino, ponit unum electuarium in hac cura cum dicit ſe curaſſe epilepticam 40.annorum,quæ ab infantia uſq; ad illam ætatem fuerat epileptica cuius doſis eſt hæc. Recipe herbæ ſancti Petri, uel ſancti Pauli, ſiue herbæ paralyſis, & eſt coſtus,ſiue piperella,quantitatem aliquam,ſubtiliter incidat, deinde accipiantur gariophylorum, pæo-

niæ, & pirethri, ana partes æquales misce, & cum melle sufficientis quantitatis, fiat electuarium de quo omni die coclearium exhibeatur. Conuenit etiam in eadem intentione theriaca, & mithridatum de quibus tantum semel in hebdomoda administramus. Conueniunt etiam ea, quæ ualent à proprietate de quibus primo est ruta, quæ commendatur singulariter ab Auicenna ter, uel quater, non solum interius administrata, sed etiam exterius odorando ipsam, etiam pœonia, ut dictum est collo suspensa, & per interius in puluerem administrata. Laudatur etiam uesica apri plena urina, accipiendo apri uesicam, & cum urina sua ponatur in furno ad desiccandum, & exiccata, & pulverizata de puluere quotidie exhibeatur coclearium unum. Laudatur etiam ab autoribus cornu cerui, lapis etiam smeraldus collo suspensus, corium etiam frontis asini à paroxismo epilepsiæ liberat, castoreum etiam, & assa fetida euaporata etiã per interius sumpta. Laudatur etiam lapis hirundinum, qui reperitur in stomacho pullorum hirundinum, maxime, ille, qui est diuersorum colorum capiatur, dictus lapis, & inuoluatur in corio uituli, & ponatur in capsa argentea, & collo suspendatur, est enim maximi iuuamenti. Craneum etiam humanum competit à proprietate. Gerardus enim habuit secretum hoc à fide digno, & dabat ipse epilepsiam patientibus, & liberabantur, & sic craneum masculi masculo, fœminæ uero fœminæ. Galenus etiam. 11. de simplici medicina, capite 11. dixit: Quidam dabant ossa humana ignorantibus sumentibus, & hoc ad bibendum, & liberabant eos ab epilepsia, &

arretica. Si autem epilepsia sit confirmata in adultis maxime difficile curatur. Inquit enim Gordonus ego multos habui in manibus diuites, & pauperes iuuenes, & senes, masculos, & fœminas, sed illi qui sunt adulti, & epilepsia est per essentiam non curantur, causam nescio deus scit. Curatur autem in infantibus, & in illis, qui propter inordinationem regiminis, & in illis quibus fit per communitatem ab aliquo membro. In adultis autem, ut dictum est non curatur. Si autem causa sit materia sanguinea, fiat phlebotomia saphenarum à principio deinde cum phlebotomia cephalicarũ, postea uenæ frontis, &c. Si à melancholia fiat codẽ modo sicut in phlegmatica cum respicientibus melancholiam, quæ dicentur in cura melancholiæ. Si à cõmunitate alicuius membri à quo eleuatur malus uapor uenenosus tẽpore inuasionis debet fieri stricta ligatura in uia transitus si est possibilis, ne malus uapor transeat ad caput post inuasionem uero debemus intendere ad curam illius membri remouendo malam dispositionem in eo existentem. Si fiat communitate stomachi potest euacuari sicut dictum est in cura phlegmaticæ. Si autem ab aliqua materia retenta in aliquo membro saniosa, uel uirulenta, puta in membris exterioribus, ut coxa, brachio, pede, uel digito, debet fieri talis membri excoriatio, & apertio, ut materia exeat, ut mihi contigit de quodam cui sæpe adueniebat paroxismus epilepsiæ, quem interrogaui an aliquid sibi accidisset, ut puta casus, uel percussio, qui respondit, quod non, feci eum exuere, & inueni coxam unam tumidam, sed nullum per-

ceperat dolorem, interrogaui, quod illorum prius euenit an tumor, an epilepsia, ille nesciuit respondere, unde uidens nullum regimen præcesisse in sex rebus non naturalibus, quod esset melancholiæ generatiuum arbitratus sum, & merito causam epilepsiæ esse tumorem illum, feci aperire locum cum cauterio, & inuenta est in loco humiditas multa putrefacta in tantum, quod usq; ad os erat putrefactum, & ita dimisso loco aperto processi exiccando humiditatem illam malam, et continue paroxismi tardauerunt, & in tantum processi donec extractum est de osse putrefacto, & ex certo nondum rediit paroxismus epilepsiæ. Regimen uero curatiuum, *quod debetur epileptico tempore paroxismi consistit in unica intētione, scilicet releuationis à paroxismi, & in hac conuenit diuertere uapores, uel quæcunque causa sit à cerebro, & hoc per ingenia superius dicta, scilicet cum fricationibus uentosis suppositorijs si est in ætate forti, & clysterijs dictis, capite de apoplexia, etiam sternutatoria ibi dicta, etiam suffumigatio rerum facientium ad resolutionem materierum, ut ponendo castoreum supra carbones ignitos, & recipiat fumum, etiam radicem pœoniæ, & semen eius, similiter assa fetida supra carbones ignitos. Conuenit etiam succus rutæ ex contusione foliorum eius, & fiat cum coto licinium, & naribus immittatur, uel etiam folia rutæ per se contusa, odorare etiam eam sicut est etiam castoreum in licinio simul cum ruta, uel succo eius, etiam assa fetida, ita quod accipiatur castoreum, & assa, & simul in succo rutæ infundatur, & fiat liciniū, et naribus immittatur, quare, &c.*

Cura incubi.

INcubus dicitur ab incubo incubas, quod idem est, quod supra stare, uel iacere, quia putant aliquam rem super eos esse, cura huius ægritudinis clara est, quare, &c.

Cura melancholiæ.

NOta primo, quod medicus non debet ire solus ad huiusmodi melancholicos uisitandos, quia isti ex corruptione uirtutum interiorum quãdoq; possent medico nocere, etiam tales sint ligati si oportet, unde aduerte ad casum, qui accidit Matthæo Gradi, qui cum uisitaret unum melancholicum per cameram ambulantem, & cum ipse esset in pontili exiuit sibi obuiam, & ostendens eum amplecti, amplexus est, & uoluit eum proijcere extra pontile. Nota etiam, quod isti melancholici sæpe secundum uarietatem phantasiàrum requirunt uarias medici industrias in curando eos, quandoq; enim oportet eos uerberare, & eis minari, quandoq; eos applaudere, & confirmare opiniones eorum, & ea dicere quæ dicunt sicut contigit magistro Ioanni Marliano, qui cum eßet Mediolani melãcholicus, quidam, qui æstimabat se habere ranas in corpore, et medici dicebant nõ esse uerum, unde ipse nondum uoluit liberari, neq; uolebat eis obedire, unde uocatus Marlianus cum interrogasset eum, quid haberet, respondit se habere ranas in corpore, & ipse dixit uerum dicis, & scio multas habere in corpore, sed mihi obedies eas extraham, ille multũ

congaudens aßensit curari. Marlianus cū purgare eum uellet, præcepit astantibus, ut cum ostenderent egestiones imponerent ranas uiuas in uase, ut uideret, & ipse, quod factum fuit, et sic cum bono regimine liberatus est. Multa etiam alia possent narrari, quæ breuitatis gratia omittimus, ista tantū sufficiant pro medici industria. Cura eius perficitur quandoq; principalibus intentionibus, prima est debita regiminis administratio, secūda digestio, tertia euacuatio, quarta diuersio à cerebro, & corde ad membra ignobilia, quinta, & ultima resolutio residui remanentis, & cerebri, & cordis confortatio. Notandus est can. Auicennæ, quod in hac ægritudine principio debemus præuenire, quia hæc ægritudo confirmata est difficilis curæ. Prima intentio perficitur per administrationem debitam regiminis sex rerum non naturalium, debet enim regimen ad calidum, & humidum declinare magis tamē humectare, quàm calefacere, quia humiditas est minus actiua quam caliditas, & quia minus potest per eā læsio causari. Aer ergo fiat artificialiter humidus cū uase aquæ pleno calidæ factæ ex decoctione maluarū, matrū, uiolarū, & altheæ, & ponere in camera, habeatur etiam res boni odoris, & grati, dimittantur ex parte cibi, olera, præter humectatiua, dimittantur, legumina carnes assatæ, & salitæ, utantur carnibus hœdi castrati, brodio, etiam gallinarum, caponum, phasianorum, utatur somno, uitet uigilias, procuretur somnus cum fricationibus leuibus, si non potest cum hoc fiat balneum hoc modo. Recipe lactucarum, foliorū salicum, seminis papaueris albi, seminis lactucarum, de-

coquatur prædicta in aqua, in qua retineatur extrema, et balneetur aliqualiter caput cum dicta aqua, fit etiam somni prouocatio inungendo tempora cum oleo uiolato, nenufarino, unguẽto populeonis, uel facere clysteria, uel dando syrupum, de papauere dando post cœnam. Si non potest dormire cum istis deueniendum est ad opiata, & considera in exhibendo ea, quia est timor, puta quando uirtus est debilis, ipsa tamen administrando incipe à le- uioribus. Secunda intentio, quæ est digestio completur per administrationem syruporum appropriatorum me lancholiæ: Et usuales syrup. sunt isti: syrupi de thymo, de epithymo, de pomis simplex, & compositus: ut Reci- pe syru. de pomis simp. ℥.i. syru. de epithymo. ℥. s. aqua- rum buglossæ, & endiuiæ, ana. ℥. i. s. misce, aquæ appro- priatæ sunt aquæ boraginis, buglossæ, scolopend. endi- uiæ, fumiterræ, lupulorum. Si uero uolumus syrupos magis frigidos, dabimus syrupum de fumo terræ cum sy rupo uiolarum, ut Recipe syrupi de fumoterræ. ℥. i. sy- rupi uiolarum. ℥. s. aquarum buglosse, & lupulorum, ana. ℥. i. s. misce. Tertia intentio, quæ est euacuatio com pletur cum medicinis appropriatis educentibus melan- choliam de quibus sunt quædam leuia, et quædam fortia. Leuia usualia sunt, ut aqua lactis maxime caprini epi- thymum, & est optimum, possumus enim dare epithy- mum per se, uel cum aqua lactis maxime dicta, & est bonum, & optimum epithymum damus in infusione, & dosis est. ʒ. ij. in substantia drach. i. habemus etiam my- rabolanos indos. Fortia sunt sicut foliculi siue lapis la- zuli, et lapis armenus, uerũ ista melius est administrare

rectificata qualia sunt in confectionibus, & de istis con-fectis, & compositis sunt sicut confectio amech. pilulæ, inde pilulæ de lapide lazuli. Dosis istorum compositorum *est usque ad ℈. iiij. & semper cum istis damus aliquid humectatiuum sicut est syrupus uiolatus.* Quarta *intentio fit cum clysteri, usuale autem est hoc.* Recipe *decoctionis epithymi seu polipodij, lupulorũ, thymi, fumiterræ. ʒ. vi. uel vij. casiæ fistulæ. ℥. i. sac. rubri ℥. i. olei uiol. ℥. i. s. salis cõmunis. ʒ. i. misce, & fiat clystere, præcipitur etiam tenere extrema in aqua calida, facimus etiã fieri fricatiões in extremitatibus aliquo modo, etiã facimus applicare uentosas sine scarificatiõe, uel cũ scarificatione, ut in sanguinea.* In *euacuatione etiã iam dicta conuenit phlebotomia basilicæ sinistræ, si sanguis exiens uideatur niger tunc debemus extrahere.* Si *autem subtilis, & clarus, debemus retinere, pro hoc uide* Auicennam. *Quinta, & ultima intentio, quæ est resolutio, &c. completur per ea, quæ per interius applicantur, & quæ per exterius.* De *exterioribus est epithyma cordiale capiendo florum buglossis, et boraginis, ana* M. *i. been albi, et rubin, ana. ʒ. ij. gariophylorum. ʒ. i. misce.* De *interius autem exhibitis sunt diabuglossatum, diaboraginatum, fortiora diamuscus dulcis, et amarus, electuarium de gemmis* Mes. *electuarium lætificans* Rasi, *electuarium* Conciliatoris, *semper cum istis ponendo de sacchario uiolato.* In *intentione etiam humectationis confert balneum hoc, et est usuale.* Recipe *maluarum, matrum, uiolarum, althea, capita, et intestina castratorũ decoquantur in aqua, et fiat balneum.* Istud *autem balneum est*

hume-

humectatiuum mulum, pro hoc uide Ioannem Matthæũ Gradi. *Et nota, quod non debent nimium isti stare in balneo, quia nimis resolueret, potest etiam fieri balneum particulare capiti cum decoctionibus prædictis, quare,&c.*

Cura catharri.

Nota pro cura catharri oportet unum considerare, utrum scilicet causa catharri, & catharrus ipse conueniant, aut differant, quia aliquando cũ differunt intendentes causæ nocemus catharro, & econtra, ut si causa sit frigiditas, & materia fluens sit calida, quæ per frigoris expressionem fluat, tunc si calidis intendamus causæ nocemus catharro, quia materiæ calidæ fluenti. Si autem materias fluentes rectificare uolumus cum frigidis causæ nocumentum ingerimus, quare hoc maxime aduertendum est, & in talibus ubi indicationes contrariæ complicantur obseruare oportet. Auicenna canone quarta primi, capite ultimo, quod in talibus succurrendum est rei timorosæ magis altera nõ neglecta. His habitis cura catharri consistit in sex intentionibus principalibus, prima est debita regiminis administratio, secunda materiei catharri digestio, tertia euacuatio, quarta diuersio, quinta retentio fluxus catharri, sexta prohibitio nocumentorum à catharro euenientium resolutione remanentis, & cerebri confortatio. Prima intentio diuersimode completur secundum diuersitatem catharri. In calido enim catharro utentur calida omnia, & uenti de quibus est uentus australis, & septen-

trionalis adueniens maxime post australem, quia poros constringit, & comprimendum fluere facit, cibi etiam calidi uitentur in catharro calido, & in frigido exhibeantur. Somnus uero fac, ut non sit longus in catharro frigido, maxime immediate sumpto, cibo, uitent supine dormire, & dormiant super uentre suo, ut materiæ ad nares deriuentur. Accidentia animæ, quæ habent inflammare uitentur in calido, & quæcunque habent etiam cerebrum debilitare uitentur maxime in causa frigida. Secunda intentio est digestio in qua etiã diuersimode proceditur, aliter enim in calido, & aliter in frigido. In calido enim, ut puta salso, amaro, acuto, mordicatiuo, quia ut plurimum etiam isti humores sunt subtiles procedimus cum ingrossantibus infrigidantibus, & syrupi usuales in hac intentione sunt sicut syrupus uiolarum de iuiubis, de papauere. Vbi autem materia in pectore esset recepta, & propter eius grossitiem non posset per sputum eijci conuenit iulep uiolatum, alij uero syrupi sicut acetosus rosatus, de endiuia, de succo aceto, licet sint frigid. ingrossatiui, tamen usuales non sunt in hoc morbo, quia secundum plurimum pectori, & pulmoni communicatur materia catharralis, ideo administrandi sunt syrupi participantes lenitione, non autem stipticitate, quæ pectori nociua est, illi autem syrupi stiptici sunt, conueniunt ergo supra memorati cum sint pectori iuuatiui. Aquæ etiam usuales quibus utimur communiter sunt aquæ endiuiæ, cicorij, hordei, sacchari, decoctio etiam pectoralis cum seminibus frigidis, & cum iuiubis, quidam utuntur aqua hordei, post cœnã quando ua-

dunt dormitum, & aliquando aqua frigida, in catharro subtili acuto calido, & iuuat remittendo acuitatem, in frigido uero multum obest, ideo uulgares multum errãt in omni catharro exhibendo aquam frigidam. In catharro frigido siue à materia grossa, & frigida, digestiuum singulare est mel rosatum, & licet Auicenna laudet mel rosatum in catharro calido, tamen hoc non obstat quin non laudet mel rosatum, quo cõmuniter utimur, sed illud est saccharum rosatum, est enim duplex mel, scilicet mel apum, & est calidum, et ex illo fit mel rosatum, quo communiter utimur, est aliud mel, quod dicitur mel cannæ, & istud est saccharum, ex quo fit saccharũ rosatum, & istud bene depuratum est quasi temperatum in actiuis, et cum melle ros. semper permiscemus aliquid sputum facilitans, & usuale est syrup. de liquiritia, ut dando. Reci. mellis rosati colati, ℥. i. syrupi de liquiritia. ℥. ß. aquarũ saluiæ, & hyssopi, ana ℥. i. ß. misce, uel cũ decoctione pectorali calida in qua ponitur liquiritia, ficus citrinæ, passulæ, iuiubæ, sebestẽ, &c. iste syrup. est satis domesticus, et eo utimur à principio. In processu uero possumus uti fortioribus, et magis incisiuis, et subtiliatiuis, et syr. usuales quibus comuniter practici utũtur, sunt syrup. de duobus radicibus, de hysso, de prassio, et in istis debemus gradatim procedere secundũ quod materia est magis, et magis digesta, et facta aliquali minoratione tẽdere possumus ad fortiora tandẽ deueniẽdo ad syrup. de sticados qui singularissimus est. Aquæ autem usuales in hoc casu sunt sicut aqua sal. hyssopi beton. &c. Et si uolumus sputũ facilitare conuenientius est uti decoctione pectorali,

in qua ponitur liquiritia, capillus ueneris, ficus siccæ, passulæ, &c. Vbi autem materia *sit uiscosa conuenit oxymel simplex, & compositum, & sunt usualia cum aquis proportionabilibus.* Tertia intentio *est euacuatio, quæ completur per solutionem uentris, & phlebotomiā. Solutiua autem uentris usualia sunt ea, quæ dicta sunt in cura sodæ, de quibus sunt pilulæ, & electuaria.* De pi*lulis, ut pilulæ aureæ aggregatiuæ, de electuarijs electuarium de succo rosarum, electuarium rosarum, diaprunis solutiuum, dosis electuariorum est à drach. i. usque ad 4. de pilulis à ʒ. i. usque ad* ℈*. iiij. & hæc conuenientia sunt in calida materia.* De phlebotomia *uero notandum est, quod quantum est possibile debet uitari, ut habetur ex doctrina diui* Mesue, *capite proprio, & ideo secundum ipsum tantum in tribus casibus competit.* Pri*mus casus in corpore calido, multum sanguinis abundante, & robusto, & catharro existente calido competit phlebotomia. Secundus casus in intentione præseruationis à futuro nocumento, ut squinantia, & pleuresis, ut materia diuertatur, & non fluat ad locum in quo est parata fluere facimus phlebotomiam.* Tertius *casus quando cum catharro complicatur febris conuenit phlebotomia, quia febris est causa super calefactionis humorum, in alijs autem nequaquam fienda est, quia cerebrum est exangue, quod ex natura sua est frigidum, ideo ille paucus sanguis, qui est in cerebro euacuaretur.* Solutiua *uero conuenientia in materia frigida, usualia sunt in forma pilulari, sicut pilulæ cochiæ de agarico, quæ ualent multum in materia in pectore contenta exhibendo isto*

modo. Recipe pilularum cochiarum, pilularum de agarico, ana ℈.ij. misce, & fiant pilulæ quinque, & iste ualent ad euacuandum materiam grossam. In forma uero electuarij habemus diasinicon, electuarium indum, quæ etiam laudata sunt in materia calida, ualent etiam in utraque, dosis est illa supra posita à ℥.i. usque ad ℈.iij. Quarta intentio, quæ est diuersio completur per fricationes, per uentosas in spatulis, & in natibus, per caput purgia, quæ fiunt per liquores attractos per nares. Et usuales in calida sunt, aqua uiolarũ, uel hordei, quæ dilatando uias nasi faciunt ad diuersionem materierum ex cerebro. In materia uero frigida usualia sunt, aqua maioranæ. Fortiora sunt aqua siue succus radicis blitis, uel foliorũ eius, decoctio etiã nigellæ, fortior adhuc sicut succus ireos, etiam decoctio cyclaminis, id est, panis porcini, est autem in his gradatim procedendum à debelioribus ad fortia, diuertimus etiam per sternutatoria, quia materiæ per ea ad nares conuertuntur. Sed nota, quod ista caput purgia, & sternutatoria non debent à principio fieri, sed factis euacuationibus, quia per ista fit motus, & agitatio, materia autem catharri ad hoc, ut digeri possit indiget quiete, & quietantibus eam, aliæ autem diuersiones possunt uniuersaliter in quocunque tempore fieri, confert etiam in eadem intentione cauterium in commissura coronali, quia multas materias per partes illas exhalare facit, & ad illas conuertit: & Ioannes Arculanus testatur se nihil tanti iuuamenti inuenisse quanti est huiusmodi cauterium in passione hac, conuenit etiam apertio facta post aures iuuat enim maxime.

Quinta intentio est catharri retentio. Sed nota quod catharrus quantum possibile est non debet sisti, quia fit retentio in membro principali, uerum quandoque necessitas urget, ut retineatur, & hoc in aliquibus casibus. Primus esset nimius fluxus suffocatiuus, & timeremus de suffocatione tunc est retinendus. Secundus ubi iste catharrus esset calidus acutus, & excoriatiuus, tunc demus sistere, Tertius ubi cum catharro coniungatur tussis aspera cum instantia uigiliarum, tũc etiam sistendus est. Et de his, quæ sistunt, quædam sunt, quæ hoc faciunt stipticitate sua, sicut bolusarmenus, spica, olibanum, sandaraca, et cum hoc non nocet pectori maxime spica, etiam hic appropriate hoc faciunt, quia ingroßant materias, & de istis sunt sicut succus liquiritiæ, syrupus de liquiritia, syrupus uiolarum, saccharum uiolarum, penidiæ, diadragantum, loch, de papauere, syrupus de papauere, electuarium etiam diacodion, pilulæ bichechiæ, id est, contra tussim tenendo unam in ore ad quantitatẽ lupini. Et de istis quædam gargarizantur quædam in ore tenentur, quædam deglutiuntur, sicut sandaraca, & olibanum, etiam conferunt stipt. gargarizata, ut ex aqua rosata, & aceto. Pro complemento istorum uide Mesuem, & ubi eßet instantia uigiliarum cum tussi aspera exhibere oportet, ut alia non iuuant pilulas alchaiber, id est, de cinogloßa, quæ describuntur à Mesue in præsenti capite, & in antidotario distinctione 10. de pilulis, & appellat eas pilulas ad omnes morbos catharri, & in eis ingreditur opium, & dosis est drach. i. usque ad mediam. Et ad ista opiata deue-

niendum est in casu desperato. Sexta, *& ultima intentio est prohibitio nocumentorum à catharro euenientium sicut est opilatio in caysim, idest, partis anterioris nasi, ita ut ex naso ad palatum nihil transit nec econtra.* Et *curam huius habes cap. proprio fen quinta tertij tractatu secundo.* Competunt *etiam in hac dispotione ea, quæ habent aperire:* Et *decoctio lentium esset iuuatiua.* Etiam *ubi accideret timor de squinantia.* Et *in hoc casu competunt gargarismata prohibentia fluxum, ut ex aqua ros. & aceto faciendo diuersiones cum phlebotomia, & alijs ubi expediat, etiam dandum est in reliquis, quæ consequi possunt ad catharrum, cura dispositionem illam secundum quod meretur.* Et *si catharrus sit à materia frigida debet fieri remotio malæ complexionis remanentis, ne iterum reaggregetur noua materia.* Hoc *fiet cum saculis ex rebus calefacientibus, & cerebrum confortantibus, ut ex saluia, maiorana etiam cum thure, milio, & sale, cum lotione etiam capitis, cum lixiuio in quo coctæ res capitales calidæ sæpe dictæ, lauare etiam caput cum uino aromatico, ut uernacino, uel maluatico ponendo etiam de gariophylis, pipere, zinzibere, &c.* Ad *confortandum cerebrum etiam possumus dare confectiones, ut confectionem plirisarcotion, diamusculum dulcem, & amarum, theriacam.* In *materia calida uero existente cum frigidis, quare, &c.*

Cura ophthalmię non veræ.

CVra hæc diuersificatur secundũ suas species. Nã quædam est ophthalmia uera, quædam non uera. Non uera autem est, quæ cum rubor in oculis apparet, ista curatur per solam causę abscisionem. Et *hæc ut plurimum causam habet primitiuam, ut fumus, et isti sufficit remotio à fumo, uel caliditate aeris à sole, et isti sufficit poni in aere frigido, &c.* Deinde *natura resoluit uapores, quãdoq; cõtingit ex sola agitatione humorũ facta ex motu corporis, & istã curat sola quies ubi corpus nõ esset repletũ, & ista species est de qua dicit* Aui. *qđ sola quietatio humorũ sanat aliquando ophthalmiã. Sedatur autẽ motus humorũ cũ frigidis simplicibus, & stipticis, agitati autẽ fluctes ad oculũ sedãtur cũ lacte mulieris puerũ lactãtis, etiã cũ albumine oui, et aqua rosata, hæc.n.humores istos ab oculis repercutiũt. Si uero causa sit casus, & pcußio, tũc uel est in principio fluxus materiæ, et tũc cõpetũt solũ repercussiua. Si autẽ in augmẽto ita, quod partim fluxerit, partim fluxura sit tunc indiget repercußiuis mixtis cũ resolutiuis, ut essent rosæ cũ semine fœnugræci, quod semen fœnugræci propter tẽperatã caliditatẽ quã habet dicitur resoluere materiã fluxurã, ubi ergo intendamus solũ repercutere exhibeamus aquã ros. et similia frigida sola, ubi autẽ intẽdamus repercutere, & cũ hoc resoluere exhibemus rosas, et semẽ fœnugræci, rosa.n.repercutit, & semen fœnu græci resoluit, decoquemus ergo ambo in aqua, & ex decoctione illa faciemus euaporationem ad oculos.* In *statu uero*

ubi materia amplius nõ fluit solũ administrabimus reso lutiua, & in hac intentione laudatur ouũ induratũ cum sua actuali.calid.ponẽdo super oculos,et multũ ualet ad remotionem frigiditatis,& ad resolutionem, & remotionem ruboris, & à uulgaribus obseruatur, quare,&c.

Cura ophthalmiæ veræ.

O*Phthalmia uera est apostema calidum coniunctiue,et hæc,ut plurimum fit à materia sanguinea,uel cholerica, ut satis patet ex diffinitione, in cuius cura sex intentiones obseruãdæ sunt. Prima est debitum regimen. Secunda diuersio humorum ad oculum fluentis. Tertia repercusßio. Quarta digestio. Quinta euacuatio eradicatiua. Sexta resolutio residui remanentis in oculo. Et aduerte quod omnes can. & remedia posita ab Auicenna,reducuntur ad alteram istarum intentionum. Prima intentio completur per ea,quæ faciunt ad prohibitione apostematis, si non incepit fieri,uel ad prohibitionem complementi eius,si incepit fieri,et hæc intentio completur ponendo infirmum in aere frigido,et si est æstas infrigidando artificialiter cum his,quæ supra dicta sunt,sternendo folia herbarum frigidarum, & arborum, & irrorando cameram. Aer etiam debet esse obscurus,& non luminosus, quia lumen agitat humores,& resoluit spiritus. Dieta sit multum tenuis,ut membra sint auara in retinendo humores, & ita non fluant ad oculum,dimittatur uinum pro principio augmento & stato,& si conceditur,ut Hipp.sexta aphorismorum,in declinatione potest exhiberi. Lauda-*

tur somnus, ut oculus quiescat. In tempore enim uigiliæ continuæ oculus agitatur, & mouetur, & inde humores agitantur. Secundo, quia tempore somni dolor non fit, quia hebetatur uirtus sensitiua, & ita dolor non attrahitur reuma. Secus fit in tempore uigliæ. Tertio etiam, quia quietantur humores, ita quod non eodem modo fluunt. Etiam de accidentibus animi uitentur ea, quæ faciunt ad humorum inflammationem, declinandum est etiam ad inanimationem, unde uitentur ea, quæ replent. & sanguinem multiplicant, ut sunt oua, carnes, et similia, uinum, &c. Secunda intentio est diuersio humorum, quæ completur cum phlebotomia cephalicæ, & hæc quidem phlebotomia est conueniens in qualibet specie ophthalmiæ secundum Auicennam, & de isto dubitat Gentilis, diuersificatur uero hæc phlebotomia, secundum diuersitatem corporum patientium ophthalmiam, ut si est maxima repletio incipiendum est a saphena. Si autem non tanta à basilica, uel media, & si non tanta à cephalica lateris oppositi. Si autem magna sit repletio, incipiendum est à saphena lateris eiusdem non autem opposita, quia fieret secundum duos diametros, & materia non tam bene diuerteretur, quo facto, & quietato corpore per octo horas, postea fienda est phlebotomia à uena communi oppositi lateris diuersificatur etiam quantitas sanguinis extrahendi secundum diuersitatem corporum, ut uerbi gratia, in sanguineo carnoso uirtute forti utente bono regimine, est magna copia extrahenda, ita ut aliquando usque ad lipothomiam, melius tamen est diuidere in plures uices,

ut dicit Auicenna. Diuertimus etiam cum applicatione uentosarum in spatulis, & ita practici communiter utuntur incidendo locum uentosarum etiam non incidendo, & istis quotidie practici utuntur, ponendo eas in adiutorijs brachiorum, & in spatulis. Diuertimus etiam cum fricationibus ante cibi assumptionem fricando à sursum in deorsum, etiam ponendo pedes, et manus in aqua calida, ut superfluitates ad partes inferiores diuertantur, & practici communiter utuntur isto remedio ante cibi assumptionem. Diuertimus etiam cum clysteribus, & solutiuis uentris, cum pilulis, & ita facit Rasis in exhibendo myrabolanos. Tertia intentio est repercussio, & hæc perficitur per ea, quæ habent claudere, & constipare porositates oculi, ut oculus non recipiat materias fluentes, & ad hanc intentionem faciunt ea, quæ supra frontem liniuntur, ut cum aqua rosarum, plantaginis, solatri, cum albumine oui, oleo rosato, & aceto, corticibus granatorum, balaustijs, &c. Possumus facere emplastrum, & supra frontem ponere. Et in hoc dat canonem Auicenna, quod est considerandum, an materia fluens fluat per uenas, & arterias, quæ sunt extra craneum, & hoc ut plurimum euenit, quia coniunctiua egreditur ab illo panniculo craneum cooperiente, & tunc maxime iuuant repercußiua. Si uero materia fluat per arterias et uenas existentes intra craneum, tunc repercußiua uituperantur ex eo, quod materias illas uidentur constringere uersus duos opticos. Et de illis, quæ communiter practici ponunt supra oculos est cotum infusum in.

aqua rosata, uel lactucæ, cõmuniter tamen utuntur aqua rosarum, deinde ponendo super oculum ligando cum petia lini ligatura, ne causet dolorem comprimendo oculum, repercutimus etiam cum his, quæ ad intra oculum ponuntur. Domestica, *& usualia quibus practici communiter utuntur, sunt sicut aqua rosarum cum albumine oui, conquassatis adinuicem, & distillando ad intra oculum, uel etiam lac faciendo emulgere ad intra, collyria etiam & sunt liquores, qui ponuntur ad intra oculum sicut tutia coralli rubei, gummi* Arabici, *dragantum, & cerussa. Si tamen dolor est uehemens, et cum dictis non remittatur, oportet, ut cum dictis adiungatur aliquid, quod habeat uirtutem stupefactiuam, ut non tantus dolor sentiatur, uel eligatur repercussiuum habens utranque uirtutem, ut repercussiuam, et stupefactiuam.* Et *de istis repercussiuis, et domesticis stupefacientibus quibus practici communiter utuntur est sumere de aqua rosarum, et de semine papaueris albi, et pone simul ad buliendum, postea accipere de dicta aqua sic bullita, et distillare ad intra oculum.* Etiam *possumus miscere cum dicta aqua albumen oui.* Habemus *etiam aliud remedium, scilicet capere medullã panis, et eam infundere in dicta aqua cum uirtute papaueris albi, ista enim faciunt ad remotionem doloris. Si autem ista non sufficiunt sief album est magis stupefactiuum, sed ad istud non est deueniendum nisi in magno et intensissimo dolore, etiam nisi alij remedij prius factis.* Ratio, *quia ex tali forti stupefactiuo ingrossantur spiritus, et debilitatur uirtus uisiua.* Capiatur *enim sief, et dissoluatur cum aqua rosa-*

ta,et de eo sic dissoluto distillant in oculum,uel etiam ac cipere de dicto sief,et miscere cum albumine oui,et cum coto,distillando in oculum. Et nota quod non est deueniendum ad istut sief,quamuis sit multi iuuamenti, nisi prius alijs factis, et de hoc uidi effectum bonum in quadam domina,quæ longo tempore passa est,intensißimum oculorum dolorem adeo,ut dormire non poterat,et omnibus alijs expertis, et non conferentibus deuenimus ad huiusmodi sief,et statim sedatus est dolor, ex quo dicta domina dum incidebat in illum dolorem semper petebat de huiusmodi sief. Ponit tamen Auicenna can.in administratione rerum ad intra, uel circa oculum quod usque ad tres dies non est aliquid admiuistrandum,de quo tamen dubitat Gentilis. Quarta intentio est digestio, et digerimus cum syrupis usualibus, quales sunt syrupi de granatis acetos. simplicis,cum aquis acetos. plantaginis,et rosarum,etiam cum syrupo de squinanto,et ros. et debent ista digestiua esse stiptica, quia cum hoc quod digerunt faciunt ad materiæ cohortationem. Quinta intentio est euacuatio,et hæc completur cum myrabolanis, citrinis, pilulis aggregatiuis aureis cum electuario de succo rosarum, et electuario rosarum, et cum phlebotomia euacuatiua ex cephalica lateris eiusdem. Et nota,quod multi errant, qui phlebotomant de uena, quæ est inter pollicem et indicem dicentes eam esse cephalicam, et ex consequenti uenam capitis, sed non est uerum, imò est ramus uenæ communis, et nulla est differentia inter hanc et illam nisi in magis diuertendo in phlebotomando dictum ramum existentem in manu cum

sit magis remotus. Sexta intentio est resolutio residui remanentis in oculo, & in hac intentione laudantur localia, ut decoctio seminis fœnugræci cum spongia, uel petia infusa, & ponere supra oculum. Laudatur etiam decoctio melliloti, balneum etiam laudatur in declinatione tantum, non autem in principio liquefaciendo humores, dilatando uias, faciunt materias fluere, uinum etiam bibitum post cibum, si uero accipiatur aloes, & dissoluatur in aqua fœniculi, et distilletur in oculo mirabiliter ualet, laudatur etiam singulariter sarcocolla, & est gummi quoddam calidum, ex eo quod uirtutem resolutiuam et maturatiuam, dissoluitur enim cum aqua rosarum, uel cum lacte, et ita dissoluta inijcitur in oculo quia tunc non nocet. Sief etiam citrinum, siue puluis citrinus etiam ualet, ouum etiam coctum induratum cum sua actuali caliditate supra oculum positum ualet ad idem, quare, &c.

Cura debilitatis uisus.

Nota, quod Auicenna, et alij medici deficiunt in cura debilitatis uisus, quia plures causas ponit in quibus non subiungit curam, ut potest uideri, de quo tamen dubitat Gentilis. Nota etiam, quod alias differt à nyctilopa, quia nyctilopa est, qui eam habens de nocte, non existente lumine male uidet, alias uero male de die, et bene de nocte. Hæc uero passio quandoque fit per communitatem, quandoque per essentiam, quandoque uero fit per communitatem, duæ sunt obseruandæ intentiones, una ad membrum commnnicans, alia ad

membrum recipiens, scilicet oculum. Prima intentio perficitur considerando malam dispositionem membri communicantis, ut esset in ethicis propter exiccationem, et in hac cura est in bene restaurando corpus et sanguinem ut boni spiritus et laudabiles generentur. Secunda intentio est ad oculum, ut si oculus est exiccatus, est intentio in humectando ipsum oculum, et caput imponendo lac in ipso oculo, etiam cum decoctione facta ex maluis, althea et similibus epithymare caput etiam de ea ponere ad intra oculum. Si uero fuerit alia mala impressio per contraria curetur, et idem de communicatione particularis membri, et ubi membrum communicans esset stomachus conueniens est uomitus. Vbi uero hæc passio proueniret per essentiam posset à pluribus contingere, ut in tunicis oculi, et quando ex illis à quibus dicta passio prouenit, fiunt ab Auicenna specialia capitula, et alia aspicienda sunt, ut ex ophthalmia, ungula et alijs, fit tamē aliquādo ex parte tunicarum propter siccitatem corrugantem dictas, et inde opacæ fiunt, et non diaphanæ, et ibi cum rebus humectantibus est procedendum, est enim ista cura difficilis, quia cum dictæ tunicæ sint duræ substantiæ, et humiditas sit minime actiuitatis, ideo non potest bene penetrare, laudat Auicenna decoctionem humectatiuam supra caput effusam siue embrocatam, etiam balneum ex decoctione maluarum, &c. Ex decoctione capitum, pedum, et intestinorum castratorum, laudat etiam aquam lactis, et serum lactis, de quo butyrum est extractum, de quo dubitat Gentilis an conueniat uide eum. Quando uero prouenit merito humiditatis

exiget hæc ægritudo in cura quinque principales intentiones. Prima est debitum regimen. Secunda digestio humorum. Tertia euacuatio. Quarta diuersio: Quinta, et ultima oculi, et uirtutis confortatio cum localibus abstergentibus humiditatem. In prima intentione, quia causa est humorum, debent applicari sicca, et ideo aer humidus pluuiosus, et habitatio humida uitentur accedendo ignem in camera, et suffumigando aerem cum rebus calefacientibus, et exiccantibus. Laudatur etiam pectinatio frequens capitis ex eo quod diuertit fumositates ex oculis ad cutim capitis: ut dicit Auicenna. Sed in regimine cibi, ut fiat bona digestio, obseruandæ sunt hæ egregiæ regulæ. Prima ut non sumatur cibus nisi prima digestione completa, considerando quantum tempus apponitur in digerendo cibum, quare cibus indigestus euaporat ad caput, et nocet oculo. Secunda, quod caueantur à diuersitate ciborum, quia diuersitatem tẽporis in digestione requirunt, et fit multa euaporatio, et diuersa. Tertia est quod non debent, usque ad satietatem comedere, sed surgere cum aliquali desiderio in anima remanente, quia quærimus exiccationem oculi. Quarta quod post cibum sumptum sumatur aliquid, quod reprimat ascensum uaporum ad caput, et ideo iubet practici, quod post cibum comedatur frustum panis torrefacti non bibendo postea post ipsum, etiam exhibent coriandros confectos, uel non confectos, uel de confectione citoniorum, etiam possumus exhibere tripheram in qua ingrediuntur myrabolani, qui restringunt, uel exhibere confortantia uisum, ut est fœniculus, ut di-

ut dicit Mes. autoritate Democriti, quod animalia reptilia fricãt huiusmodi fœniculo oculos suos, ut recuperẽt uisum debilitatum propter moram in cauernis in tẽpore hyemis, ut serpentes bubones, &c. Laudatur etiam caro uiperarum abscindendo tamen caput, & caudam, deinde de coqui faciendo, & abijciendo frequenter aquam postea dare ad comedendum sicut fit in lepra. Dant etiam aliqui carnes uiperarum coctas ad comedendum, gallinæ etiam brodium adhibendum, & in tanta quantitate dant quousq; gallina deplumetur, quia tunc est signum quod uirtus talium carnium penetrauit & est in bibita, postea de coquunt gallinam, & de ea dant ad comedendum infirmis, & de usu istarum carnium uiperarum recordor, quod cum Ioannes Matthæus Gradi curasset quendam leprosum fama diuulgata usq; ad Galliam, & quidam alius accessit Papiam, ut curaretur à lepra, & inueniens ipsum mortuum accessit ad me cui exhibui multa remedia, tandem deueni ad exhibitionem talium carnium, quæ laudantur ab omnibus medicinæ autoribus, & dixi illi Gallo, ut eas caperet, & fecit, & quia erat multum auidus curari accepit de eis in multa quantitate. Cum autẽ in mane ipsum uisitarem inueni ipsum sæuissimis accidentibus, & uenenosis ita, quod timui ne carnes illę ipsum occiderent, sed quia uirtus erat fortis expulit per partes cutis, et facti fuerũt per corpus quasi totum bubones, qui tandem deuenerunt ad saniem, & curatis illis remansit liberatus. Et propter hoc medici non sint audaces in exhibendo multam quantitatẽ rerum uenenosarum. Quinta regula est, ut non dormiant post

cibum, sed prolongetur dormitio quantum est possibile, & quantum uadunt dormitum somnus eorum sit breuis, omni die fiat lenitio uentris, ut munda sint intestina ne fiat euaporatio, & non pertranseat somnus spacium horarum septem. Secunda intentio *est digestio, & recurrendum est ad praecedentia, ut cum melle rosa. oxymelle simplici, deinde cum syrup. de sticados, non à principio cum aquis saluiae, foeniculi, quae singularissima, est etiam hyssopi.* Tertia intentio *est euacuatio, cum quibus autem perficiatur, recurrendum est ad praecedentia, ut supra uidelicet à principio, exhibere pilulas, elefangianas cum agarico trochiscato, masticinas, etiam cum agarico, similiter de hiera simplici, uel composita, etiã cum pilulis lucis* Mesue, *quae sunt usuales ualentes in passione frigida oculorũ, etiam cum pilulis sine quibus esse* Nolo *in causa calida quas* Matthaeus Gradi *cum haberet hanc passionem à causa calida tentatus, quia debilis erat appellauit eas sine quibus esse* Nolo, *quia apud ipsum fortes inuentae sunt, licet ex se non sint multum. Sed si postea uolumus eradicationem facere, dabimus pilulas cochias, uel foetidas, exhibẽdo à.ʒ.i. usq; ad ℈.iiij.* Quarta *intentio est diuersiio trahendo ad partes ignobiles, quae completur primo cum clysterijs suppositorijs, fricationibus, posítione extremitatum in aqua calida in qua decoctae sint res capitales, ut folia lauri, saluia, rosmarinus &c.* Diuertimus *etiam cum masticatorijs specialiter à capite, & cum ruptorijs, et est in communi practica ponere ruptoria post aures, & tenere locum apertũ, facimus etiam sectanum in collo hoc modo:* Capimus *carnem*

cum tenaculis, & tenemus eam strictã per aliquod tẽpus ut illa pars priuetur spiritibus, & mortificetur, postea eam perforamus, & tenemus locum apertum isto modo: Si est pauper ponimus cordam in dicto foramine, & sæpe hinc inde trahimus, ut locus melius aperiatur, & humiditas exeat, & si est diues ponimus in eo anulũ aureũ rotundũ apertum ex una parte, postea eũ stringimus ne ex illa parte aperta anulus exeat ex foramine, & ita omni die circumuoluimus dictum anulum. Diuertimus etiã cum ruptorio in cõmißura coronali posito, siue cum cauterio actuali, siue potentiali: & Ioannes Arculanus dicit, quod multum ualet, & recitat duas historias quas uide, tenendo igitur locum apertum, & abstergendo in mane, et sero superfluitates, quæ erũt in dicto loco iuuãt ualde. Quinta intentio est confortatio resolutio, & absterſio, completur per ea, quæ per interius, & exterius exhibentur. Per interius autem exhibemus nucem muscatam de qua uide laudes à Mesue, dicit enim quod si quis ea utatur omni die, uidelicet capiendo unam in aurora uisum recuperat, etiam exhibemus myrabolanos, Kebulos conditos, scilicet in dicta confortatione uisus, & damus communiter duos semel, uel bis in hebdomoda. Electuaria, quæ ualent in confortatione cerebri, sunt ista uidelicet, confectio plirisarcoticon, acorus conditus, diacorus confectus etiam singularissimum est electuarium Mesue, etiam electuarium Humain, de hoc dare ℥.ij. siue cloclear unum mane, & sero quando uadunt dormitum, cõfert etiam mithridatum, diamuscus dulcis, uel amarus. De his uero, quæ per exterius ap-

plicantur ad oculi confortationem nos habemus aquam fœniculi, & succum, & est Democriti *autoritas, etiam collyrium* Mesue *ex succo fœniculi. Contunditur enim fœniculus, & ponitur in uase æneo, ut partes grossæ separentur à subtilibus, deinde accipitur pars superior, & .℥.i. sacchari, & mellis, & folia 6. auri, deinde ponitur in ampulla uitri, & ponitur ad solem in æstate, & frequenter mutatur de uno uasc in aliud uas proijciendo semper superfluitatem.* Aquam *etiam, quam commendat* Arculanus, *ut accipiendo fœniculum, berbenam, rosas, chelidoniam, rutam, & ex istis fit aqua distillata ad elambicum, & ista aqua posita ad intra oculos multum ualet:* Gentilis *in quodam suo consilio cõmendat hoc collyrium si sumatur tutia præparata cũ antimonio, quod est mirabile, habens uirtutem exiccatiuam distillando in oculis cum aqua fœniculi.* Gerardus *autem de solo dicit si accipiatur pica auis, & comburatur, & contundatur, & in puluerem reducatur, ut de puluere dicto insuffletur in oculis, uel distilletur ad intra oculos cum aqua fœniculi mirabiliter ualet.* Serapion *autem secundo breuiter describit liquorem sic factum.* Capiatur *epar ursi, et scindatur in frustra, & inter unum frustum, & aliud ponatur piper longum, & assetur colligaturq́; liquor emanas, & ponatur intra oculum, similiter fel gallinæ, & perdicis multum laudatur ab autoribus.* Est *tamen sciendum, quod sunt quatuor genera fellium.* Primum, *et acutius est animalium de rapina.* Secundum *animalum quadrupedum, & inter illa fel illius animalis, quod est calidius, communiter tamen utimur felle agni, uel castrati.*

Tertium fella reptilium animalium uenenoſorum habitantium in cauernis, de quorum approximationis timore dicetur infra. Quartum fella piſcium, quæ ſunt temperatoria cum refrenētur à complexione frigida piſcium, et iſta gradatim debent approximari in exiccatione talis humiditatis, & ſemper in approximatione iſtorum medicus ſit præſens, & ſi dolorem inferunt poteſt accipere aquam roſatam, albumen, oui uel parum de lacte, et pannos lineos in iſtis madefactos apponere ad remouendum dolorem inductum ab huiuſmodi fellibus. Vſuale tamen magis fel eſt, fel gallinæ, laudatur etiam fel canis læporarij, fel tauri, ſed uſuale magis eſt fel perdicis. De emplaſtris exiccatiuis recitat Matthæus Gradi *de quodam emplaſtro poſito à quodam empirico in oculo cuiuſdam nobilis matronæ* Papienſis, *& in rimotione emplaſtri ſecutus eſt oculus emplaſtrum ita quod ſui fortitudine euulſit ligamenta oculi, ideo in eorum uſu eſt maxima cautela habenda, quare, &c.*

Cura catharactæ, & imaginationum.

Differt cura catharractæ à cura imaginationum, quia ea quæ ualent in cura catharractæ debent eſſe fortiora, & hæ ægritudines poſſunt eſſe per communitatem, & per eſſentiam. Et *quando eſt per communitatem primo oportet attendere membro communicanti, uerbi gratia, ſtomacho ſi ab eo ueniat, & debemus conſiderare an uirtus ſtomachi ſit debilitate, et ita confortare eam, & ſi eſt materia phlegmatica oportet dirigere eam, deinde euacuare, ſed hoc dicitur capite de in-*

digestione stomachi proueniente à materia phlegmatica. Alia intentio est circa oculum, & tunc coportet eum calefacere, & exiccare, ut dicetur. Si uero fit uitio proprio oculi, uel cerebri, oportet considerare si catharracta sit confirmata, uel non, quia si sic non recipit curam nisi per operationē manualem, ut cum acut. & aliquando est talis dispositionis, quod etiam cum hoc ingenio non recipit curam, ideo debent haberi signa ad cognoscendū si est confirmata, uel non. Primo ergo debet fieri compressio ipsius oculi, aliquanto tempore, postea aspicienda est pupilla ipsius oculi si illa catharracta est subtiliata, est signum, quod non adeo grossa, et inuiscata cum tunicis oculi, quin possit deponi. Si uero esset nimis subtilis non obediret depressioni, nō oportet, quod talis catharracta habeat substantiam mediocrem, & cōmuniter hoc obseruant practici, quod si talis catharracta non sit confirmata recipit curam absque operatione manuali, quæ perficitur, ut dicetur. In hac cura quinq; intētiones sunt obseruandæ. Prima est debitum regimen. Secunda digestio acquositatis in cerebro, et oculo parate fluere. Tertia euacuatio. Quarta diuersio. Quinta exiccatio, & consumptio illius materiæ. In prima intentione ex quo materia euaporosa, uel aquosa, regimen debet esse calefactiuum, & exiccatiuum, uitandus est ergo aer pluuiosus, & humidus, & est alterandus aer ad calidum, & siccum, etiam dicta debet esse calida, & sicca, & regimen multum facit in cura istius ægritudinis, ex eo quod materia siue ægritudo est chronica, ut dicit Auicenna in principio capituli, quod debent esse contenti

ieiunio, & abstinentia, comedant semel in die, uel si est eis difficile saltem alleuient cœnam, non comedant brodia, nec bibant uinum, de quo dubitat Gentilis, an conueniat uide eum loco suo, & ita aliæ res non naturales ita disponatur, ut calefactio, & exiccatio ex eis proueniat. Secunda intentio est digestio aquositatis, digestiua autem sunt sicut mel rosatum, si participaret aliquãta uiscositate, ut Recipe mellis rosarum.℥.i.oxymellis simplicis, *unc. s. aquarum fœniculi, & maioranæ, ana.℥.i.s. misce etiam cum syrupo de sticados cum aqua fœniculi, & maioranæ, maiorana enim est multum singularis etiam eius olfactus, ut dicit Auicenna, & ita practici faciunt, ut patiens teneat saccum sindonis plenum maiorana sicca ante oculum, & nares, possumus enim exhibere prædictos syrupos usq; ad 9.dies. Tertia intentio est euacuatio, de qua ponit Auicenna canone uidelicet, quod non debemus esse contenti una euacuatione, sed sæpius est fiende, & non solum bis, uel ter sed totiens donec ægritudo in totum remoueatur, complemus autem hanc intentionem euacuationis maxime cum pilulis, ut exhibendo pilulas lucis, quæ singulares sunt in euacuando aquosam materiam à cerebro, & oculis, agaricus etiam trochiscatus ualet multũ. Si uero sine custodia uolumus dabimus pilulas masticinas, elefanginas, de hiera, aßaieret, dando singula hebdomada tres quando uadunt dormitum. Si autem communi custodia uolumus euacuare, & radicare materiam, dabimus pilulas cochias exhibendo à drachmam unam usque ad ϵ.iiij. laudant etiam aliqui phlebotomiam, tamen raro fienda*

est ut dicit Auicenna,*&* Gentilis,*quia per phlebotomiã cerebrum infrigidatur,et multiplicatur aquositas in eo,* Quarta *intentio est diuersio, quæ completur cum fricationibus,clysterijs suppositorijs, positione extremorum in aqua calida cum ruptorijs,& sectano,ut supra.* Quinta,*& ultima intentio est exiccatio uaporum,et catharractæ, si enim potest resolui cum his, quæ per interius applicantur laudantur confectiones calefactione,& resolutione aquositatis, ut dictum est exhibendo unaquaq; die.ʒ.ij.confectio* Humain *maxime laudatur à* Mesue *cap.debilitatis uisus exhibendo.ʒ.ij.post cibum quando uadunt dormitum,ut similiter cum uaporibus cibi caput & oculum petant.* Ea *uero,quæ per exterius applicantur sunt multa, sed in usu eorum oportet duos canones* Auicennæ *obseruare.* Primus *can.est,ut non deueniamus ad ista per exterius applicata nisi corpore prius euacuato, nam ista attraherent aquositatem, & uapores.* Secundus *canon est, quod debemus incipere à leuioribus, de quo facit dubitationem.* Gentilis,*uide ipsum, & quia oculus est membrum maxime sensitiuum, ideo oportet paulatim eum aßuefacere, ut primo cum aqua fœniculi, uel eius succo præparato, uidelicet faciendo eum residere, ut dictum est supra, aqua etiam mellis, quæ fit ex melle elambicato est optima in abstergendo.* Guilielmus Iudæus *eam multum laudat in maculis faciei abstergit ei multũ, laudatur etiam dicta aqua mellis à* Gentile, *qui dicit se habuiße à fide digno oculista, quod multum ualet ad albuginem, & maculas oculorum, ualet etiam aquarutæ, & succus eius extractus*

ſicut ſuccus fœniculi, domeſticum etiam eſt ſaccharum Candum *ſiue* Nabith *in remotione macularum,& albuginis de quo liberaui quandam dominam de* Butigellis*, quæ paſſa fuerat longo tempore albuginem in oculis,et cui facta fuerant multa remedia, & tandem exhibui ei puluerem ſacchari* Candi*, & curata eſt. Serapinum, quod eſt gummi quoddam, eſt etiam ſingulariſſimum,ut habetur ab* Auic. *ſecundo can. capite proprio cum quo curaui quendam, qui paſſus fuerat cataractam, & per ſolam applicationem ſectaui per ſex menſes, & ſerapini diſſoluti in uino granatorum curatus,eſt capitur etiam,et diſſoluitur dictum ſerapinum in aqua roſarum,uel fœniculi, uel mellis elambicati, & paulatiue ipſum apponitur miſcendo de lacte, & de albumine oui,& ſaccharo* Cando*,ut oculus aſſuefiat commendatur etiã ab* Auicenna *puluis capitum hyrundinũ, urina etiam infantis,qui nondum deuenerit ad pollutionem,curat enim uirtute ſua exiccatiua ,& quia dicta urina habet horribilem odorẽ, neque extracta à ueſica, poteſt longo tempore conſeruari quin putrefiat, poſſumus cum hoc ingenio eius odorem remouere, poſſumus enim accipere parum fœniculi,& ponere cum urina ad elambicum,& diſtillare,et quod exibit non habebit tan tum fœtorem,nec ita putrefiet,balſamus etiam eſt optimus ſi una gutta ponatur in oculum exiccat eum, & etiam conſeruat in illa diſpoſitione, quæ erat tempore ſanitatis ipſius oculi, ſed quia eſt de eo penuria non eſt ſic in uſu.* Alminiſtin*,id eſt,os ſcipie de quo utuntur aurifices multum laudatur puluerizando ipſum, & im-*

mittendo in oculum abstergit enim aquositates. Fella *etiam multum ualent, sed ad ista tam fortia à principio non est deueniendum nisi cum timore, stent ergo aliquo tempore, ut non imponantur.* Vbi autem alia remedia *non contulerint, & necesse est applicare huiusmodi fella incipiendum est à debilibus.* Debilius autem est fel piscium, *etiam fel agni castrati est satis debile, si etiam, debilius uolumus habemus fel gallinæ, & perdicis. Si autem fortia uolumus, habemus fella animalium de rapina uiuentium, ut ancipitris, falconis, aquilæ, fel etiam uiperæ, & aliorum animalium reptilium ualet.* Nota tamen, *quod in administratione fellis uiperæ, & aliorum animalium uenenosorum est timor propter uenenositatem, penetrant enim huiusmodi fella, & alia imposita in oculum ad os per colatorium, unde posset ad spiritualia & stomachum per os transire, ideo aduertendum est, & debemus ingeniari, ut non transeat ad huiusmodi membra, & per hoc uide Gentilem. Sed unum ingenium singulare est, ut teneant in ore patientes aquam, quãdo ponunt huiuscemodi fella, quia pertransiens ad os permiscetur cum aqua, & non transit, debet etiam hæc aqua sæpe renouari, & si cum hoc poneretur de aliquo theriacali cum aqua esset bonum maxime de his quæ habent specialem contrarietatem ad uenenum uipere, quæ habent uideri sexta quarti, præparationum autem carnium uiperarum habes quarta quarti capitulo de lege ibi, & modum administrandi, et conditiones, quare, &c.*

Cura fluxus sanguinis narium.

Creticus fluxus secundum Auicennam proueniens à materia sanguinea, uel ab apostematibus nō debet restringi can. est Auicennæ. Sed in cura fluxus non cretici requirunt quatuor intentiones, prima debitum regimen, secunda diuersio sanguinis ad nares fluentes, tertia retentio eius, quarta abscisio causæ fluxus. In Prima intentione regimen debet esse ad retentionem sanguinis, & constrictionem uiarum per quas transit sanguis. Aer ergo disponatur ad frigiditatem cum aqua imponendo, acetum cum aqua rosarum, etiam frondes, & folia rerum frigidarum, ut folia uitis, salicis, nenufaris, uiolarum, rosarum, &c. In regimine cibi dimittantur carnes, & oua sorbilia, & licet Auicenna laudet oua, hoc tamen est secundum diuersam præparationem alterata puta ad frigidum, & indurata, quia non oportet, ut multum generent sanguinem, oua autem liquida tremula sunt, quæ generant multum sanguinem, & subtilem, indurata uero grossum, & eum taliter ingrossant, quod sanguis redditur ineptus fluxui. Vbi uero sanguis sit subtilis, et cholericus præparabimus cibos cum agresta, uino granatorum, succo aranciorum, limonum, &c. etiam cum aqua ferrata, quia sua stipticitate restringit sanguinem, et adhibenda sunt cibaria uiscosa, ut pedes, et capita animalium, ut uituli castrati, &c. etiam utatur cibis de pasta caseo recenti uiscoso, utatur etiam quiete, et non motu, ut humores non agitentur, et fluant. Secunda intentio est diuersio in qua

maior pars curæ consistit, in qua intentione laudat Rasis strictionem brachiorum, & appositionem uentosarum supra uentrem, sed caue ne ponantur super umbilicum, ut sibi non accidat sicut accidit cuidam mulieri, de qua recitat Syllanus cui fuit apposita uentosa supra umbilicum, & repleta est uentosa pinguedine, & mortua est mulier illa, etiam laudatur phlebotomia, quæ est melior res secundum Auicennam, quæ possit fieri in hac intentione, quia diuertimus sanguinem, qui est in uia fluxus, loco autem phlebotomiæ per quæ diuertimus diuersificantur secundum diuersitatem corporum, quia si est corpus repletum fienda est phlebothomia ex latere contrario, si uero non multum repletum fienda est ex latere eodem. Auicenna autem laudat phlebotomiam uenæ inter spatulas, quæ est sublimis iuuamenti ex eo, quod prohibet sanguinem eleuari ad partes superiores. Ventosæ etiam in diuersis locis applicatæ laudantur cum scarificatione, etiam sine scarificatione, & hoc secundum uirtutis tollerantiam, laudantur etiam uentosæ appositæ supra hypochondria, & sunt maximi iuuamenti uidelicet si sanguis fluit ex nare dextra, tunc ponãtur super hypochondrium dextrũ, si uero econtra fiat econtra, etiam ligaturæ dolorosæ, etiam fricationes ualent, etiam ponere manus, & pedes in aqua calida, similiter inductio magni timoris ualet multum, quia retrahitur sanguis ad cor de quo uidi experientiam in Leonardo de Vale. laudatur etiam proiectio aquæ frigidæ in faciem infirmis non aduertentibus proijciendo duos, uel tres ciathos unum parum post

alium, etiam per alios timores. Tertia intentio est retentio sanguinis, quæ fit cum constringentibus uias, & ingrossantibus sanguinem, & hæc intentio completur cum diuersis ingenijs, primo cum infrigidantibus per interius, & exterius applicatis, per exterius cum embrocationibus supra caput, cum insufflatione in naribus cum liquoribus licinijs positis ad intra nares, & cum odoramentis etiam per interius administrando facientia ad Clausionem, quædam per infrigidationem, ut opium, lactuca, hyoscyamus, portulaca, quia immobilitant sanguinem. Secundo cum stipticis etiam sunt, quæ faciunt unionem in substantia membrorum per quæ fluit sanguis, & sunt sicut rosæ, balaustiæ, cortices granatorum, sumach, tela aranearum, & cum inuiscantibus, & cauterizantibus generando crustam. De inuescatiuis sunt sicut flos farinæ molendini, mucilago psyllij, ista enim sua inuiscatione generant escaram, & faciunt adhærere partes uulneris per exterius applicata, calx autem, & uitriolum generant escaram cauterizando, confert etiam administrare cauteria. Completur etiam hæc intentio cum his, quæ à proprietate ualent, ut cum basilicone, scilicet succo eius per nares attracto, etiam cum succo porrorum, occulta enim proprietate ualent, & non manifesta, possumus tamen cum eis administrare res, quæ remouent manifestũ caliditatem sicut facit Rasis miscendo succum albedarungi, id est, basiliconis cum camphora. Et licet istæ habent manifestam qualitatem caloris, plus tamen facit illa occulta proprietas quam illa manifesta qualitas. Stercus etiam asininum ualet

inuoluendo cotum in ipso maxime quando est recens, et in nares imponendo, ualent etiam cerebella gallinarum, et lapis iaspis, habet etiam proprietatem restrictiuam, ualet etiam si fiat licinium ex folijs urticæ prius tamen in manibus aliqualiter fricatis. Nota *tamen, quod* Auicenna *in administratione rerum infrigidantium ponit duos canones obseruandos. Primus canon, quod in capite non utamur ultima infrigidatione propter congelationem sanguinis in cerebro existentis, ideo à nimia infrigidatione cauendum est. Secundus canon, quod debemus semper à leuioribus incipere. In administratione autem cauterizantium ponit can. quia et si huiusmodi restringat sanguinem, illico tamen, quia postea cadit escara, tunc magis fluit sanguis, quia foramen ampliatur. Infrigidatur etiam sanguis cum his, quæ per interius exhibentur, ut exhibere syrupũ infrigidantiũ in aurora ut syrupum de succo acetosæ, de citonijs, de granatis, et hoc si sanguis est subtilis non inflammatus, sed si esset inflãmatus possumus exhibere fortiores, ut de agresta, de acetositate citri, de limonibus, exhibẽdo eos cũ trochiscis habentibus uirtutẽ retẽtiua, ut trochisci de terra sigillata, de charabe exhibendo a ℈.ij. usque ad ʒ.i. ut* Recip. *syrupum rosarum ℥.i. syrupum de granatis ℥.s. aquarum plantaginis, et acetosæ, ana ℥.i.s. conuenit etiam aqua salatri, et omnes sunt usuales cum prædictis syrupis, si uero ista non sufficiunt ultimo, et in casu desperato ad stupefactiua deuenimus, quæ ingrossant sanguinem. Primum, et domesticum stupefactiuum quo practici communiter utuntur est athanasia, quæ exhibetur à ʒ. s.*

usque ad ℥. i. filonium Persicum etiam, et multum ualet in superfluo fluxu sanguinis, et de eo recitat Matthæus Gradi historiam de quodam, qui non poterat dormire per. 22. dies, et cum exhibuisset dictum filonium statim dormiuit, et cessauit sanguinis fluxus, dosis fuit ℥.i. de quo fuit prius etiam sermo. Retentio etiam sanguinis fit per ea, quæ per exterius applicantur, ut cum epithymatibus capiti appositis etiam collo, factis cum aqua rosarum, plantaginis, solatri, semperuiuæ, lactucæ, capiendo ex uno istarum, uel ex pluribus, et infundendo pannos lineos, et ipsos infusos supra caput ponere, et circa collum, ut constringantur uiæ, et infrigidetur sanguis etiam faciendo trahere per nares de istis aquis. Retinemus etiam sanguinem cum licinijs capiendo totum infusum in dictis aquis, et in nares ponendo etiam sanguinem draconis, bolum armenum, & thus, & incorporando in albumine oui, deinde dicta licinia intingendo, & ponere intra nare, sed Galenus 5. de simplici medicina dicit, quod nullum est excellentius remedium, quàm compositio ex aloe, & thure, incorporentur enim adinuicem cum albumine oui, et excedit, dicit ipse, omne remedium ad retentionem sanguinis, non autem est timendum de aloe, etsi aperiat orificia uenarum, hoc enim habet uirtutem exhibitum per interius, sed per exterius non aperit imò habet uirtutem glutinatiuam, etiam ualent insufflationes puluerum in nares, succus etiam basiliconis, qui à proprietate curat attrahendo eum per nares, uel cum licinijs appositus, stercus etiam asininum exiccatum, & in puluerem redactum & dedicto pulue-

re insufflando in nares. Nicolus Florentinus *ponit, si capiatur sanguis columbæ, & exiccetur, ita ut in puluerem redigatur, postea insuffletur in nares cum canna, multum ualet, uel etiam cum albumine oui incorporetur, & licinia intingantur, quæ ad intra nares ponantur, etiam ualet limatia cum testa assata, & in puluerem redacta, postea insufflata intra nares, uel si incorpore ut dictus puluis cum albumine oui, et intingantur licinia, ut supra, ualent, laudatur etiam thus incorporatum cum aloe, ut dictum est de mente* Galeni. *Aliquæ per cantationes ponuntur à* Nicolo Florentino, *quod si aliquis accedat ad bursam pastoris, & genibus flexis dicat ter* Pater *noster, & totidem* Aue Maria, *& concede deus cum tuo precioso sanguine, &c.* Et *eam suspendendo collo ualet in retentione sanguinis, dicit etiam, quod si de sanguine fluente ex naribus scribatur consumatum est, etiam ualet ista uide per te ipsum.* Quarta *& ultima intentio est abscisio causæ fluxus, prima causa potest esse cholericitas, & acuitas sanguinis, quem oportet purgare etiam cum his, quæ contentiuam confortant, secunda causa potest esse ruptio uenæ, quæ curatur cum consolidantibus. Si uero causa fuerit uenenositas, ut in pestilentialibus, illa debet remoueri, ut dicitur in cura febris pestilentialis. Si aquositas illi debet euacuari, si debilitas contentiuæ, illa debet confortari, quare, &c.*

Cura

Cura squinantię.

PRo cura squinantiæ sex intentiones sunt obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda diuersio humoris fluentis ad locum apostematis, tertia repercußio, quarta digestio, quinta eradicatiua euacuatio, sexta resolutio, & istæ intentiones (debentur squinantiæ) per resolutionem terminandæ. Si uero terminetur per uiam collectionis ad saniem, aliæ intentiones requirunt, prima est maturatio, secunda ruptio, tertia absterſio, quarta consolidatio, et in his completur tota cura, sed priusquam ad curam deueniamus, sunt notandi canones aliqui. Primus est, quod in huiusmodi cura cum sit de his cito terminalibus oportet apponere omne studiū, quod eadem die curemus eam iuxta aphorismum, quartæ particulæ, Medicari in ualde acutis, &c. & primæ particulæ. Ad ultimas ægritudines, &c. & quarta primi. Quando ægritudo est timorosa, &c. Nota etiam, quod istæ sex intentiones reducuntur ad duo fundamenta. In præsenti ergo cura duo principaliter intendimus. Primū est quando occurrimus corpori squinantico prohibere augmentum squinantiæ sicut dictum est de phrenesi, quia si squinantia deuenit ad completam magnitudinem interficit suffocando, prohibito ergo augmento & fluxu, postea intendimus remouere, quod fluxum est. Primo ergo prohibemus augmentum apostematis per primam intentionem, scilicet cum administratione debiti regiminis, uidelicet eligendo aerem frigidum, & facere, ut infirmus utatur dieta sub uno, uel duobus diebus

stando sine cibo si est possibile, utatur etiam cibis liquidis faciliter deglutientibus, ut ptisana, hordei, amilo dissoluto in aqua hordei, uitentur oua sorbilia, etiã uinum, quia facit ad inflammationem humorum, & apertionem uiarum, utatur etiam in potu suo iulep. rosatum, aqua hordei, uino granatorum. Secunda intentio in qua maior pars curæ consistit ad probibendum augmentum apostematis, est diuersio, & hæc completur per phlebotomiam: Auicenna autem in capite generali, & spirituali laudat eam, quia duo capitula facit squinantia, debet autem sufficiens quantitas sanguinis exhiberi de quo fuit dubium, quia primo laudat phlebotomia, usque ad sincopim, postea timet sincopim dicendo quod est timendum uirtute existente debili, maxime quia sunt impotentes in deglutiendo, & non possunt cibum accipere, uirtute uero existente forti, & cum plenitudine corporis, tunc facimus phlebotomiam usque ad sincopim secundum discretionem medici uidentis. Diuersificatur enim uena, quæ debet phlebotomari, secundum diuersitatem repletionum, quia maxima existente repletione primo debet fieri phlebotomia à saphena, postea à basilica, uel nigra, deinde à cephalica, & non primo à cephalica, quia plus de materia traheretur ad superiora, quàm euacuaretur, potest etiam fieri magis, uel minus copiosa secundum diuersitatem corporum, & relinquitur hoc discretioni medici. Diuertimus etiam faciendo solutionem uentris, ubi materia sit alia à sanguine, uel sanguini mixta, ideo laudat Rasis succũ fructum. Auicenna autem timet solutiua fortia, quia agitant hu-

mores, qui postea fluunt ad locum apostematis, et maxime in principio, debilia uero possumus exhibere, ut dando. Recipe prunorum thamarindorum, ana ℥.i.s. coquantur cum ℥.viij. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, deinde decoctioni admisceatur mannæ electæ ℥.i.s. & fiat potio. Diuertimus etiam cum clysterijs, quæ non sunt acuta, nec multum fortia, nec inflammabilia, sed sint leuia maxime, ubi coniungatur febris, ubi autem non coniungatur febris possumus exhibere fortiora maxime materia existente phlegmatica. Diuertimus etiam cum applicatione uentosarum in spatulis, in adiutorijs brachiorum, sed primo applicandæ sunt in partibus inferioribus, quia magis diuertunt. Diuertimus etiam cum fricationibus, ligaturis, cum impositione extremitatum in aqua calida, ut supra dictum est. Diuertimus etiam, & est ingenium uulgare cum fricatione compressiua facta, in parte syluestri brachiorum prope iuncturam manus, ubi inueniuntur quædam parua nodorum ad modum nerui, quæ tamdiu fricentur quousque uideantur deleta, quod fieri non potest absque dolore, quare diuertunt cum dolore. Tertia intentio, quæ fit ad prohibendum augmentum apostematis, est repercussio, quæ completur cum gargarismatibus frigidis, & sticticis in gutture, ut constringantur uiæ, & membrum apostematum, uidelicet cum aqua plantaginis, solatri, lactucæ, rosarum, uel aceto, siue succis earum administrando, & gargarizando. Laudat etiam Auicenna acetum, aquam fontium, & aquam rosarum cum aceto, singularis etiam est aqua agrestæ, etiam uinum grana-

torum, etiam succus mororum, & facere gargarismum ex istis omnibus, & hoc per spacium trium dierum in quibus materia fluit etiam singularis est succus nucum uiridium, accipiendo nuces uirides, siue eius cortices exteriores, & contundere, & extrahere succum, & de dicto succo gargarizare dicit Galenus libro 6. 10. tractatuum. Excedit omnia in repercussione, & ibidem Galenus recitat historiam de rustico, etiam possumus exhibere composita ad gargarizandum, ut confectionem de succo nucum, & ponitur a Mesue, & tenetur confecta. Est aliud practicum remedium, scilicet diamoron, et tenetur confectum. Est etiam aliud usuale multum usitatum à barbitonsoribus, uidelicet saccharum retinendo ipsum in ore, uel dissoluendo in aquis prædictis, est etiã diagragantum Nicolai, debet enim teneri succus in ore, est, etiam confectio diacodion, quæ dicta est in cura catharri calidi, facta ex succo papaueris albi, etiam est syrupus rosarum, de succo acetos. de granatis. Sed in repercussione duo canones sunt obseruandi, primus est ut non applicentur extra, siue circa collum repercussiua, quia intus constringerent materiam ideo practici non inungunt cum oleo rosato, sed amygdalarum dulciũ, & chamomilino, sed non in principio, sed postmodum. Secundus, quod non sint applicanda calida, quia plus traheremus quàm resolueremus, sed quando factum est apostema semper cum repercussiuis administranda sunt abstersiua, quia semper resuda aliquid ex loco apostematis & hoc est commune omnium apostematum intrinsecorum, ut admiscendo parum sacchari, quia abstergit, &

hoc quando crescit apostema magis miscemus repercussiua. Quarta intentio est digestio, unde si materia fuerit calida, digeratur cum syrupis frigidis, ut cum syrupo rosarum, de succo acetos. de granatis, de citonijs, quia frigidant, & ingrossant materiam cum aquis plantaginis, & aceto. Si autem materia est frigida, conueniunt mel rosatum, cũ syrupo acetoso, oxymelle simplici, quia incidunt, & ingrossant, conuenit etiam aqua absinthij, habet enim simul uirtutem stipt. & digestiuam. Quinta intentio est euacuatio eradicatiua, quia completur cum phlebotomia, & solutione uentris, cum phlebotomia uidelicet phlebotomando nenam cephalicam, siue uenam sub lingua propinquam loco errant ergo barbitonsores qui à principio phlebotomant uenas sub lingua, quia uisum est scholarem unum mortuum esse ex tali phlebotomia. Si tamen Auic. laudat eam eadem die non facit hoc, nisi factis alijs phlebotomijs & euacuationibus ne æger suffocetur. Auic. dicit quod aliquando phlebot. non est necessaria, quia stat, quod aliquando nõ sit in capite, nec in corpore repleto & materia sit pauca. Consulo tamen quod in omni casu bonum est facere phlebot. quia in omni coniungitur repletio, ille autem casus, qui dicit quod stat quod non sit repletio est casus ad imaginationem, non autem de facto conuenit, completur etiam hæc intentio cum solutione uentris, uidelicet cum euacuantibus humores calidos, ut cũ pil. aggregatiuis, pilulis aureis, electuario de succo ros. cum myrabolanis in substantia, uel infusione, & sic de alijs. Sexta intentio est resolutio materiæ fluxæ remanentis, quæ completur cum garga-

risimatibus, emplastris, gargarizando ex decoctione pas sularum, ficuum siccarum, dactilorum, croci, faciunt enim ad maturationem, & resolutionem apostematis, laudatur etiam lac maxime in augmento, non autem in principio, quia est minime frigidum, ideo, non bene re percuteret, laudatur etiam de coctio fœnugræci, et cha momilæ gargorizando de ea, possumus etiam mel ros. in istis decoctionibuss admiscere, errant ergo barbitonso res, qui à principio faciunt ista, & causa eroris est quia aliquando uident medicos facere ista remedia, ut exhibe re diamoron, &c. ipsi autem barbitonsores ignorant in quo tempore ista exhibenda sunt, & quod hoc sit uerum patet, quia exhibent diamoron in omni tempore, quod est infrigidans, et constrictiuum. Complemus etiam hanc intentionem resolutionis cum inunctione olei chamomi læ, alij cum emplastro facto ex farina fœnugræci, semi nis lini, olei amygdolarum dulcis, etiam cũ emplastro fa cto, quod à proprietate ualet, scilicet facto ex nido hirũ dinum, similiter cum aliqua decoctione appropriata, & oleo chamomilæ potest etiã decoqui cum uino albo, etiã filum coctum cum cineribus, & calidum circundatum collo ualet, & hoc faciunt mulieres, errant tamen si à principio faciũt istud. Sunt etiã alia, quæ à proprietate ualent. scilicet stercus canis album comedentis ossa tenen do dictum canẽ in camera, & dando ei ossa ad comeden dum, postea accipere de stercore, & redigere in pulue rem, & insufflare in gutture, etiam filũ lanæ intinctum in sanguinem muricis. postea stranguletur ex eo uipera, deinde inuoluatur collo habentis squinantiam, & in hoc

concordant omnes autores, puluis etiam hirundinum exiccatarum, & combustarum multum ualet, & ponit Auicenna eius compositionem. Ea etiam, quæ a proprietate ualent ponuntur ab autoribus multa. Galenus xi. de simplici medicina, ubi recitat historiam, capiebat stercus infantis comedentis lupinos, siue panem farinæ lupinorum, postea exiccabat, & in puluerem redigebat deinde cum melle electo insufflabat in guttur, stercus enim huiusmodi non fœtet; ualent etiam capita piscium salitorum exiccata, et in puluerem redacta, quæ in guttur insufflentur, ista tamen stercora cani, & infantis non exhibeantur in principio, nec in augmento, quia sunt calidæ, & siccæ complexionis, ideo forte attraherent materias. Et hæc omnia fienda sunt ubi apostema deueniat ad hoc, ut curetur per uiam resolutionis. Si uero ad saniationem deueniat, tunc mutaretur cum emplastro facto ex farina fœnugreci, & seminis lini, sanie autem generata rumpatur, primo masticando dura, ut crustam panis uiolenter deglutitam, erumpitur etiam aliquando cum digito, & aliquando si uideri potest cum instrumento incidendo apostema, postea inclinare faciendo caput, ut materia exeat, & non transeat ad pectus, quo crupto mundificetur cum melle rosarum, & aqua hordei. Deinde apostemate mudificato & absterso, restat intentio consolidationis ad quam intentionem ualet bolus armenus, sanguis draconis, thus, ut in cap. de phthisi dice, quare, &c.

Cura tussis.

Cura tussis diuersificatur secundum diuersitatem causarum. Si à causa primittiua proueniat cura eius est abscisio causæ primitiuæ, & remotio impressionis factæ in membris in quibus impressit. Si uero proueniat propter communitatem ab aliquo membro cura erit in regimine illius membri communicantis remouendo communitatem illorum membrorum, deinde remouendo impressionem factam in membris spiritualibus. Si uero ab apostemate facto in pectore, uel pulmone recurrendum est ad curam pleuresis, uel pleripneumoniæ, de quibus dicetur infra. Si à sanie in pulmone collecta, dicetur in capite de empimate. Si à ruptura uenæ, dicetur in capite de sputo sanguinis. Si sit tussis per essentiam, aut est propter malam complexionem immaterialem, uel materialem. Si per immaterialem, uel calidã, uel frigidam, uel humidam, uel siccam. Si frigida cura est in remouẽdo eam cũ calidi simplicibus cum his, quæ per interius, et exterius exhibẽtur, inter, quæ si frigiditas non est excessiua: dicit Auic. quod retentia aeris in anhelitu calefacit pulmonem, & remouet malam complesionem. Laudat etiam uinum exhibitum cum ouo sorbili, & diamuscus dulcis, & amarus, & alias confectiones calidas regimen etiam debet declinare ad calida. Si à mala complexione calida prouenerit, curabimus cum infrigidantibus, & remouentibus malam complexionem calidam, & regimen erit declinans ad frigidum. Si à mala complexione sicca cum contrarijs, & regimen sit humidum.

Et si ex mala complexione humida erit econtra, & regimen sit siccum, tamen, ut plurimum fit talis ægritudo à materia pendens. Si autem prouenerit à mala complexione materiali diuersificatur secundum diuersitatē materierum, & de hac tanquam, ut plurimum contingente tractat Rasis, *ideo in cura istius pendentis à materia tam calida, quàm frigida, sex intentiones sunt obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda digestio humorum in pulmone, uel in pectore contentorum, tertia euacuatio communis cum solutiuo, quarta est diuersio, quinta euacuatio appropriata per uiam sputi, siue euacuatio materiæ in pectore contentæ, sexta resolutio residui remanentis. In prima ergo intentione in causa calida, regimen disponatur ad frigidum, & in frigida econtra. In his autem non est sermo prolongandus, quia dictum est supra capitulo de catharro. Secunda intentio est digestio in qua diuersimode procedimus, quia aliquando ingrossamus, aliquando subtiliamus, aliquando incidimus, aliquando abstergimus, et hoc secundum uarietatem materiæ, ualet si est calida, & subtilis, ingrossabimus cum infrigidantibus si grossa, eam subtiliamus si uiscosa eam incidemus. In calidis ergo procedemus cū digestiuis infrigidantibus, habentibus uirtutem lenitiuam non retinentibus materiā in pectore, siue coarctantibus, & ista sunt sicut syrupus uiolatus de iuiubis, qui sunt pectorales. Si uero complicaretur cum inflammatione humiditatis, acuitas, & instantia uigiliarum, sicut frequenter contingit, detur syrupus de papauere, ut Recipe syrupum de papauere. ℥. i. syrup. uiolati. ℥. s. uel*

de iuiubis, & isti syrupi sunt admiscendi cum aquis, uidelicet uiolarum, sacchari, uel hordei, uel cum decoctione uidelicet prunorum, thamarindorum, sebesten, uiolarum, semen communium frigidorum. Aqua etiam hordei singularissime commendatur, si de ea sumantur .℥.iiii. uel. v. uel. vi. in sero in introitu lecti, ideo aliqui dant bibere haustum aquæ frigidæ, quando uadunt dormitum, & hoc tussi proueniente à causa calida, non autem à quacunque, ideo errant uulgares exhibendo aquam frigidam, uel aquam in qua extinguitur carbo ignitus, in omni tussi indifferenter à qualibet causa proueniente, hæc autem omnia fienda sunt quando intendimus materiam ingrossare, & in isto casu eam commendat Auicenna. Si uero à causa frigida proueniat exhibemus alios syrupos pectorales inter quos est syrupus de liquiritia, qui tenetur confectus in apothecis, & est usualis cum quo ponimus mel rosatum ad abstergendum, est etiam syrupus de hyssopo, quem summopere laudat Auicenna, et maxime quando quæritur abstersio, unde dicit ipse quod est abstersor bonus aggregati grossi, est etiam syrupus de prassio qui est fortius abstersiuus exhibendo cum aquis scabiosæ hyssopi, fœniculi, prassij, capillorum ueneris, & huiusmodi, omnes istæ aquæ ualent in materia frigida, unde possumus etiam exhibere infra scriptam decoctionem pectoralem per se, uel admiscendo cum syrupis, quæ decoctio fit ex hyssopo, prassio, fœniculi, liquiritia, capillo ueneris, dactilis, & est decoctio dulcis, quam possumus exhibere calidam in aurora, sed errant isti uulgares, qui exhibent istam decoctionem in omni

taßi proueniente ab omni materia tam calida, quam frigida. Tertia *intentio completur cum diuersis solutiuis, secundum diuersitatem humorum, ut si est materia calida competunt ea, quæ leniunt pectus, ut caßia, manna, conuenit etiam electuarium rosarum,* Mesue *electuarium de succo rosarum, diaprunis solutiuum.* Si *uero uolumus exhibere huiusmodi solutiua in forma pilulari, secundum plurimum exhibemus pilulas aureas aggregatiuas à drach.i.usque ad scrup.iiij. Si uero materia fuerit frigida, exhibemus pilulas cochias de agarico, quæ sunt cum custodia, possumus etiam exhibere pilulas sine custodia, exhibendo in sero post cœnam, ut sunt pilulæ masticinæ, elefanginæ, agarici trochiscati, de hiera simplici, & composita.* Et *nota, quod* Auicenna, & Rasis *non uidentur uti euacuatiuis in ista cura si bene inspiciantur, quia non sunt confisi, quod huiusmodi solutiua posſint ad pulmonem transire.* Quarta *intentio est diuersio, quæ etiam completur cum pilulis sine custodia post cœnam exhibitis cum caput purgijs, ut supra dictum est:* Quinta *intentio est euacuatio, propria euacuando per cannalia, per quæ facilius euacuatur talis materia, & hoc fit cum facilitantibus screatum, & in hoc maxima pars curæ consistit, & ista materia est magis apta per sputum euacuari, quam per fluxum uentris, & ideo* Auicenna *non laudat solutiuum aliquod, & hoc quia materia siue loca continentia dictam materiam sunt multum distantia à uijs ductum, ut clarum est, ideo solutiua non possunt, ualent potius dicta solutiua ad causam antecedentem, & in ca-*

pite existentem, totum ergo studium in hoc debet esse, & hoc etiam diuersimodæ secundum diuersitatem causarum siue materierum, nam si materia fuerit calida, & subtilis imbibita in pulmone, oportebit eam ingroßare, ut per aerem impellatur, et non separetur. Ea *uero, quæ habent uirtutem ingraßandi sunt quædam electuaria dicta loch, quæ participant uiscositate, ut adhæreant gutturi, & fiat resudatio in canna pulmonis, & tandem ad materiam deriuetur per uiam breuiorem, ideo autores nostri laudant huiusmodi electuaria, quæ retenta in ore, & ea paulatine deglutiendo resudant ad cannam pulmonis, laudatur etiam saccharum uiolatum retentum in ore, & mura uiolarum, id est, iulep, uel syrupus uiolarum, capiendo unum coclearium, & paulatine deglutiendo, laudatur etiam diadragagantum, & est gummi quoddam infrigidans, non autem dragantum, quod est uitriolum tenendo eum in ore, habet enim uirtutem lenitiuam, fit etiam confectio ex huiusmodi dragaganto, & dicitur diagragantum etiam, saccharum per se etiã infusum in aqua hordei paulatine deglutiendo laudatur, etiam loch diacodion de quo audacter confidatis ut ponit* Mesue *in antidotario, & istud habet uirtutem infrigidandi, & mirabiliter operatur dando unum coclearium, ualet etiam diaiecur etiam loch de papauere, quod tenetur confectum, hic autem dicta sunt, & sunt ea, quæ per interius exhibentur.* Per *exterius autem curamus eam in ungendo pectus cum oleo uiolarum, & est usuale remedium.* In *causa autem frigida, alia faciunt ad propositum, ut confectio penidiorum, quæ multum*

usualis est, est etiam confectio diairis à Nicolao posita, sumendo de ea ad quantitatem ciceris, ualet etiam loch de pino, loch de pulmone uulpis, quod describitur à Mesue capite de phthisi, et habet mirabilem proprietatem in confortatione pulmonis, et est Galeni, confectio est enim usualis, & confecta tenetur, conuenit etiam loch sanum, & expertum, & est Mesue confert etiam solus syrupus de liquiritia quacunque hora exhibitus ualet coclearium unum, & huiusmodi omnia loch, possumus exhibere etiam de decoctione dicta facta ex passulis ficubus liquiritia, &c. Completur etiam hæc intentio per exterius applicata, ut cum inunctionibus scilicet oleo amygdalino dulci, cum quo aliqui admiscent butyrum, aliqui crocum, & est communis unctio, quam etiam faciunt uulgares accipiendo crocum, butyrum, & oleum amygdolarum dulcium, faciunt etiam medici unguentum pectorale in quo ingreditur oleum seminis lini, & mucilago eiusdem. Sexta, & ultima intentio est resolutio materiæ retinentis, pro qua, & etiam pro tussi antiqua ponit Rasis aliquos trochiscos, & aliqua suffumigia, de qua recitat Ioannes Matthæus Gradi historiam, quare, &c.

Cura asmatis.

Nota pro cura asmatis prouenientis à materia phlegmatica grossa, non autem à sanguinea, quia de eo dicetur capite de sputo sanguinis, nec ab apostemate, quia dicetur in capite de peripneumonia, nec ab ulcere pulmonis, quia dicetur capite de phthisi, nec à dislocatione spondilium, quia dicetur capite de gibbositate, sed solum de asmate proueniente à materia phlegmatica grossa oppilante uias seu cannales pulmonis, & in qua autores prolongant plurimum sermonem, quia hic saepe, & ut plurimum euenit, in cuius cura sex principales intentiones sunt obseruandae, prima est debitum regimen, secunda digestio, tertia euacuatio per uiam secessus, quarta diuersio, quinta eradicatio per propriam uiam, scilicet per sputum, sexta exiccatio residui remanentis. In prima intentione oportet, ut regimen sit calidum, & siccum, aer ergo alterandus est ad calidum, & siccum, uitanda est similiter habitatio in locis humidis, carnes siccae his sunt bonae, pingues uero malae, quia generant humorem uiscosum. Est autem canon Auicennae, ut non admisceatur potus cum cibo, & ex isto canone quidam praecipiunt ne eis detur potus, tamen Mattheus Gradi improbat istorum opinionem dicendo, non enim uult Auicenna ex isto canone in cibo non esse simul exhibendum potum, quia cum naturaliter cibus sit grossus, non posset penetrare nisi simul cum eo misceatur aliquid fluidum, sed uult Auicenna, quod post cibum, id est, post coenam, uel prandium non bibat ex eo, quod isti

continue stant cum maxima siti propter inflammationem cordis, & hoc quia non possunt aerem debite attrahere ad debitum refrigerium cordis, accepto igitur cibo, & postmodum potu superueniente maxime intumesceret stomachus in tantum, quod multum comprimeret diaphragma, & ideo magis fieret in anhelitu difficultas, & hæc est uera expositio, sed debet istis potus exhiberi si sitiunt, postquam cibus stomachū est egressus, quia tunc non erit ita repletus, & eodem modo omnes aliæ res non naturales sunt disponendæ ad calidum, & siccum. Secunda intentio est digestio materiæ antecedentis, & ideo digerimus tam illam, quæ in pulmone, quam illam, quæ est in cerebro, uel alio membro sub forma causæ antecedentis, & quia talis materia est nimis fixa, & humida, & uiscosa, ideo oportet omnes has dispositiones remouere cum calefacientibus, & humectantibus, & pro isto ponit Auicenna duos canones. Primus, quod medicinæ calidæ non sint à principio fortis caliditatis, quia sua forti caliditate exiccarent subtile grossum relinquendo magis inobediens expulsioni, & tunc medicina solutiua non posset attrahere illam materiam. Secundus canon, quod in digestiuis applicandis uarianda sunt dicta digestiua, quia cum ista ægritudo sit cronica, si cum uno remedio continuo procederemus natura illa assuefieret taliter, quod ab illo non pateretur, quia assuetis non fit paßio, secunda causa est, quia diuersæ medicinæ sunt diuersarum proprietatum occultarum, licet omnes habeant unam qualitatem manifestam, & ideo una medicina habet unam proprietatem, quam non ha-

bet alia, & una est apta conferre, quod non alia, ut hic Auicenna adducit textum multum famosum in medicina, quod inter medicinas, & corpora currunt proprietates, quæ solo experimento cognoscuntur, & oportet cum his digerere, quæ materiam subtiliant, incidunt, & obedientem faciunt, ut faciliter expuatur, & in hoc conuenit syrupus de liquiritia, qui est communis, & usualis, etiam syrupus de hyssopo, de quo habes multas laudes ab Auicenna capitulo de tussi, ubi dicit, quod est abstersor bonus aggregati grossi. Cõuenit etiam syrupus de prassio. Si fortiora uolumus, habemus syrupũ de duobus radicibus, & de quinq; radicibus, & omnes tenentur confecti, uerbi gratia. Recipe syrupi de liquiritia. ℥.i. syrupi de hyssopo. ℥. ß. Si fortius digestiuum uolumus uel incisiuum. Recipe oxymellis simplicis. ℥.i. oxymellis compositi uel scyllitici. ℥. ß. aquarum hyssopi, & fœniculi, ana. ℥.i. ß. Decoctiones etiam pectoralium rerum cum prædictis syrup. multum ualent, quæ fiunt ex decoctione ficuum, radicis enulæ, quæ singularis est, passularum, dactilorum, & capillorum ueneris, &c. Tertia intentio est euacuatio, cum medicina solutiua, & hoc si materia multa fuerit, quia si pauca erit materia non indigemus pharmaco solutiuo, sed quando dubitaremus, quod materia esset tanta, quod per sputum non posset educi tũc exhibemus solutiuum, conuenit ergo in hoc casu agaricus trochiscatus, est enim singularis multum respiciens, caput, pectus, & pulmonem. Conueniunt etiã pilulæ de agarico, quas ponit Mesue in suo antidotario dando de eis bis in mense. Conueniunt etiam pilulæ cochiæ,

chiæ, quæ etiam euacuant materias frigidas à cerebro, ut uerbi gratia. Recipe pilularum cochiarum, & de agarico, ana ℈.ij. & eam ponit Rasis in litera. Conuenit etiā electuarium indum, & diafœnicon sic ordinando. Recipe agarici.ʒ.ij. salis gemmæ ℈.i. zinziberis ℈.i. dimittantur in infusione aquarum hyssopi, & scabiosæ, quantum sufficit per horas 10. postea fortis fiat expressio, cui addantur electuarij indi.ʒ.ij. syrup. de liquiritia.℥.i. & fiat potio, tamen, quia materiæ longe distant à uijs ductuum, ideo communiter in forma pilulari exhibemus huiusmodi solutiua, ut diu retineant in stomacho, & eorum uirtus ad pectus pertingat, dentur etiam pilulæ sine custodia, et ideo etiam maxime ualent in catharro pilulæ elesanginæ cum agarico, ponitur, uel debet poni in medicinis istorum asmaticorum maxime, quando asma prouenit à materia phlegmatica. Conueniunt etiam pilulæ de hiera simplici, uel composita cum agarico, & de istis possumus exhibere ℈.ij. quando uadunt dormitū singulis quatuor, uel sex diebus. Et circa istud ponit Auicēna tres canones. Primus est, ut euacuatio fiat cū facilitate. Et si arguatur, quod Auicenna concedit elleborum, ac colocynthidam quomodo ergo fit euacuatio cum facilitate. Secundus canon est quando damus huiusmodi solutiua uitandum est tempus accessionis in ipsis, quia sunt, qui certo tempore paroxismant, & ideo dicit Mesue, quod tunc est naturæ blandiendum facilitando sputum si possumus, in tempore dicti paroxismi non autem dando solutiuum, quod si tempore paroxismi daretur solutiuum agitaretur materia, & multæ materiæ ad pulmonem fluerent,

et fieret præfocatio. Tertius canon est, quod debemus sæpe reiterare euacuationes, et hoc quia ægritudo est cronica. Quarta intentio est diuersio, de hac intentione dictum est abunde à capitulo de catharro, & tussi, uidelicet cum caputpurgijs, masticatorijs, & cauterijs. Quinta intentio est euacuatio per sputum, & ideo hæc intentio completur cum confortantibus pectus, & clarigantibus uias pulmonis, & incidentibus materias, & de istis quædam sunt simplicia, quædam composita. Simplicia sunt sicut liquiritia, quæ est maxime pectoralis, capillus ueneris, passulæ, ficus siccæ, hyssopus, radix enulæ, crocus, aristologia rotunda, scabiosa folia, & semen urticæ, ista enim incidunt materiam in pectore existentem uiscosam, & grossam. Et de istis possumus facere compositionem, uidelicet syrupos, decoctiones, & loch, electuaria quædam uiscosa, ualet ergo loch de pino, & de pulmone uulpis, omnes enim autores conueniunt in istis si sumantur. ℥. ij. etiam de pulmone ericij syluestris à proprietate, ualet similiter loch de caulibus, ualent etiam quædam singularia magistralia. Et Ioan Giringellus habebat pro maximo secreto radicem luff, alio nomine serpentaria appellata, si capiatur cõteratur, et dissoluatur cum syrupo de liquiritia, egregiã enim uirtutẽ habet ad facilitandum sputum, uel si capiatur, & ponatur sub cineribus calidis, & assetur, postea contundatur, & dissoluatur cum aliquo syrupo, ideo faciebat hanc decoctionem doctor antedictus cum qua profitebatur plurimos curasse; quæ est hæc. Recipe loch de pino, loch de pulmone uulpis, ana ℥. vi. passularum enuclearum bene

mundatarum, ana. ℥. 5. radicis serpentariæ positæ sub cineribus, uel bullitæ, & contusæ. ℥. 5. & incorporentur cum syrupo de liquiritia, & fiat loch. Ego autem soleo *aliter facere ad sputum facilitandum, quæ est.* Recipe *paßularum enuclearum. ℥. 5. ficuum numero 2. dactilorum numero. 1. hyssopi, capillorum ueneris, liquiritiæ, loch de pulmone uulpis, ana. ʒ. i. penidiorum. ℥. ij. cum syrupo de liquiritia incorporentur, & fiat loch.* Facio *etiam inunctionem cum oleo amygdalino dulci, cum butyro ponendo aliquid de croco, debet etiam fricari corpus asmatici cum panno lineo aspero, ut aperiantur porositates.* Sexta intentio est exiccatio, & resolutio remanentis, ut cum arsenico facere suffumigium; ueruntamen remedium hoc est uerendum, quia est uenenosum, licet Gentilis dicat se uidisse mirabilem experientiam in multis, uel cum thure, & alijs similibus possumus suffumigare. Conuenit etiam theriaca, mithridatum, diamuscus dulcis, & amarus, confectio plirisarcoticon, & similia, quare, &c.*

Cura pleuresis.

Ex dictis Auicennæ, & Rasis sex principales eliguntur intentiones, prima est debita regiminis administratio, secunda diuersio materiæ fluentis, tertia digestio, quarta euacuatio, quinta sputi facilitatio sexta resolutio, & hoc quando est uera, & acta curari p resolutionem, sputitionem, uel resudationem. Si autem ad collectionem terminetur, requiruntur aliæ intentiones, s. quatuor, prima maturatio, secūda ruptio, tertia absterſio

materiæ saniosæ, quarta consolidatio. Circa autem primam primi modi terminationis, debet taliter regi infirmus habendo duas intẽtiones principales, & totales. Prima sicut dictum est in capite de phrenesi, & aliorum apostematum est prohibere augmentum apostematis. Secunda resoluere, quod fluxum est, & in istis duabus stat tota cura pleuresis. Primo ergo debemus regere infirmum exhibendo aquam hordei, uel panem infusum in aqua cũ saccharo, sicut facit Rasis. *Solent tamen practici exhibere solam ptisanam hordei, ponendo ad coquendum farinam hordei cum aqua, & debet tam diu decoqui, ut partes uentosæ exhalent, & istam ptisanam exhibere usque ad quatuor dies. Postea exhibemus panem subtiliter infusum in aqua donec humectetur, deinde euacuetur dicta aqua prima, deinde decoquatur cum alia aqua cum modico butyri, & sacchari, infunditur enim aqua, ut partes fermentatæ remoueantur, & huiusmodi panem exhibere usque ad septem dies. Postea autem possumus exhibere amygdalatum, uel far hordei in brodio pulli, uel panem similiter in brodio pulli infusum, detur autem loco uini aqua sacchari, uel hordei, quæ communiter datur. In processu autem si uirtus deficeret, poßumus ingrossare dietã exhibendo contusum factum ex carnibus, etiam contusum carnium pullorum infundendo in brodio eorum, uinum autem non detur nisi in declinatione, & ubi in splene, uel apostemate non fuerit opilatio, uel apostema maxime dulce, & album, quia etiam opilat membra nutrimenti, si autem exhibeatur sit limphatum cum aqua sacchari. Debet etiam æger declinare ad somnum, maxime dor-*

miendo super latus ægrum maxime in processu, quia locus calesit, & materia resoluitur. Procuranda est præterea lenitio uentris, & accidentia animi remouenda sunt, & ita omnia alia ad probibitionem apostematis sunt ordinanda. Secunda intentio per quam prohibemus augmentum apostematis est diuersio, & in hoc magna pars curæ consistit, trahendo materiam ad partem oppositam, & in hac intentione laudat Rasis phlebotomiam, & Auicenna dicens, ex rebus curationis est, ut fiat phlebotomia, ex latere opposito, & ex saphena opposita in longitudine, deinde ex basilica, postea ex nigra. Si uero istæ uenæ non reperiantur optimum est, ut fiat in cephalica licet non tāti fiat iuuamenti, ideo ly deinde dicit ordinem iuuamenti, uoluit enim innuere, quod magnum est iuuamentum in phlebotomia, ideo nullo modo est dimittenda, licet phlebotomia facta ex cephalica respiciat magis caput, quam latus, et ita phlebotomia est supremum remediū in pleuresi, et ideo non est bonū respice horam diei phlebotomiæ fiendæ in ista ægritudine, quia timor est ne apostema occidat ægrū, etiā, quia propter sæuitatem accidentiū prosterneretur uirtus naturalis. Et ego uidi multos curatos in quatuor diebus facta phlebotomia à principio exhibitis, postea leuibus remedijs remanebant curati, ideo à principio debet fieri, de quo autē latere dubitat Gentilis uide eum. Diuertimus etiam cū clysteribus, cum applicatione uentosarum in cruribus, coxis trahendo semper ad partes inferiores, etiam cōfricationibus, clysteria autem sint leuia, quia est ægritudo in qua solet aduenire fluxus uentris. Tertia intentio est digestio, & quia ut plurimū

pleuresis prouenit à materia sanguinea, uel sanguini mixta, uel cholerica, syrupus ergo digestiui choleræ conueniunt, & licet multi, & uarij sint huiusmodi syrupi digestiui choleræ, eligere tamen debes illos qui non nocent pectori, & ideo licet syrupus acetosus cõueniat choleræ, tamen, quia est acutus nõ conuenit cũ pectore, etiã syrup. de endiuia magis conuenit cum epate, quàm cum pectore etiam syrup. rosatus, uel de citonij, & ideo istos non eligimus, sed illi, qui sputum facilitant simul, et leniunt conueniunt in pleuresi, uerbi gratia. Recipe syrupi uiolati. ℥.i. syrup. de iuiubis. ℥. ß. aquæ hordei, uel sacchari. ℥. iij. uel aquæ endiuiæ. Sed nota quod Aui. primo laudat semẽ endiuiæ. Secundo uituperat aquã endiuiæ, et portulacam ex eo, quod sunt uehementis infrigidationis, & non sputũ facilitantia, sed endiuia non est uehementis frigidatis secundũ ueritatem, & est absterſiua, ut inquit Gẽtilis exponendo illũ textũ de mente Dini. Vnde melius est dicendum, quod textus est corruptus, et loco de ly endiuiæ debet esse lactucæ, unde Nicolus, & quàm plures alij acceptant hanc expositionem, licet non nulli practici superficialiter uidentes illum textũ uituperent aquam endiuiæ. Decoctio etiam rerum frigidarum pectoralium, ut uiolarum, iuiubarum, sebesten, hordei, syrupi sunt, syrupus uiolatus, de iuiubis exhibendo usque ad tres, uel quatuor dies, quia nolumus ingrossare materiam nẽ nimium currat. Postea uero in processu augemus syrupos in sputi magis facilitationem, & minorem ingrossationem ponendo, scilicet cum syrupo uiolato, syrupum de liquiritia, qui aliqualiter tendit ad caliditatem, uel

cum illo de iuiubis: ut Recipe syrupum uiolarum.℥.ij. syrupum de liquiritia.℥. s.cum decoctione pectorali fiat syrupus. Quarta intentio est euacuatio à loco in quo est apostema respiciens materiam existētem in apostemate, & ideo post phlebotomiam prædictam fiat phlebotomia, ex eodem latere in quo est pleuresis, & oportet considerare colorem sanguinis, quem extrahimus, quia extrahemus donec sanguis niger, qui erat infectus exierit, deinde cum rubeus superuenerit stringamus, debemus etiā considerare uirtutem, quia maxime debilitatur in hoc morbo propter subtilitatem dietæ, & sæuissima accidentia, et ideo huiusmodi phlebotomia magna, uel parua stat in iudicio æstimatiuo medici, ideo oportet medicum considerare, quando uero urinæ apparent grossæ, & turbidæ, tunc est fienda phlebotomia, & est uirtus consideranda. Laudatur etiam in hac intentione solutio uentris, ubi materia declinat ad tales uias, sed circa hoc ponuntur canones. Primus quod huiusmodi medicina non sit fortiter solutiua, sed lenitiua, id est, soluat leniendo. Secundus, quod talis medicina non debet habere uirtutem stipticam, ut sunt myrobolani, quia licet euacuent materiam cholericam, prohibent tamen sputum sua stipticitate, uitanda sunt scammoneata, & fortes medicinæ, licet Galenus secundo remediorum acutorum commento 11. præbeat hieram, in qua ingreditur scammonea: & Hipp. filichinum, qui secundum quosdam est clacterium, id est, succus cucumeris asinini, secundum uero magistrum Cæsarem est portulaca agrestis, quæ est lacticinij genus, & est expositio Serapiones, Alexan-

der autem exponit, quod est polypodium, & hanc expositionem acceptat. Simon Ianuensis cap. filichinum. Hipp. *autem,* Gal. *& alij antiqui usi sunt istis fortibus, quia apud eos nōdum cognitæ erant medicinæ benedictæ quæ tempore nostro habentur cognitæ, ideo cum tales medicinæ, ut scammonea, elleborus, & filichinum sint nimium fortes, cōueniens est uti alijs benedictis, quæ in usu sunt, dabimus ergo hanc medicinam.* Recip. *casiæ electæ, & nouiter extractæ.℥.i.ſ. dißoluatur cum decoctione pectorali, & fiat potio, uel alia.* Recipe *rheumbarbari electi.ʒ.ij.uel.iij. spicæ parum minutim incidantur, & infundantur in aquis uiolarum, & scabiosæ, ana quātum sufficit, dimittātur in infusione p horas x. uel. xij. deinde fortis fiat expresſio, in qua dissoluatur casiæ fistulæ nouiter extractæ.ʒ.v. uel vi. & fiat potio, ut ponit* Nicolus *pro diuitibus poßet poni loco casiæ, mannæ electæ.℥.i. uel fiat sic.* Recipe *mannæ electæ.℥.ij. uel. iij. dißoluatur cum decoctione pectorali, & fiat potio, addendo syrupi uiolati, & de liquiritia, ana, ʒ.v.* Quinta *intentio est sputi facilitatio, oportet ergo, ut totū studiū sit in disponendo materiam, ut faciliter per sputum educatur, quia talis materia pleuretica resudat ad pulmonem, & cum sputo expellitur, & ideo conueniunt pectoralia diuersificando secundum diuersitatem temporum.* Conueniunt *ergo syrupi dicti usque ad quartam diem, postea dabimus syrupum sputum magis facilitantes, ut uiolatum, & de liquiritia: ut* Recipe *syrupi uiolati.℥.i. syrupi de liquiritia.℥.ſ. aquæ sacchari, uel hordei.℥.iij. & quanto magis uersus statū deuenimus minus de syrup. uiolato exhibebi-*

mus, & magis de syrupo de liquiritia, loch dictum saccharum candum retentum in ore multum ualet, etiam saccharum album, ualet etiam diadragantum, et saccharum uiolatum, iulep uiolarum, communis practica exhibet diadragantum, uel saccharum uiolarum incorporatum cum iulep uiolarum, & additur diabuglossatum ad chordis confortationē, & ita accipitur, & hoc usque ad quatuor dies, postea loch de pino, siue syrup. de liquiritia magis, ubi sit febris demus facilitantia sputum frigidum magis, uel non tantum, deinde sicut in declinatione febris. Inungemus etiam in principio cum oleo uiolato, & cera incorporato, uel cum oleo amygdalino dulcium, postea transacta quarta die dimittemus oleum uiolatum, & exhibebimus solum oleum amygdalinum dulcis, uel chamomilinum. Sexta, & ultima intentio est resolutio, quæ completur cum localibus in forma unctionum emplastrorum & fomentationum ex chamomila, & alijs similibus, quæ ponantur ad bulliendum, deinde ex tali decoctione impleatur uesica, & retineatur supra locum dolentem, uel accipere spongiam, & madefactam in illa decoctione exprimere, deinde loco dolenti apponere, similiter conuenit dicta spongia in cura temperata, ut si à principio uolumus scire an sit uera pleuresis, an non uera, quæ prouenit à materia uentosa, inquit Galenus secundo regiminis acutorū, quod debemus madefacere spongiam cum aqua calida, & ab ipso dicitur calefactorium, & apponere loco dolenti, & sic remouetur dolor, & uentositas, & si per hoc magis augeretur dolor, & plus de mate-

ria traheretur , signum est quod non pendet à uentosi-tate, sed conuenientius est semper æstimare, quod si uera pleuresis, quàm non uera, quia aliquando etiam per ca-lefactorium materia aliqua transpirat: ideo posset fieri maior dolor, in omni casu, ergo fienda est phlebotomia, eo quod homines istius temporis sunt golosi, quare ar-guendum est magis semper esse ueram pleuresim, & si fiat phlebotomia, & non sit uera propter hoc non est commissum magis peccatum. Ad hanc intentionem *com-petunt inunctiones, ut cum oleo amygdalarum dulcium, chamomilino, etiam laudatur emplastrum factum ex fa rina fœnugræci, seminis lini, floribus chamomillæ, & melliloti, & radicum altheæ, & folijs eius. Sed si ad sa-niem conuertatur prima intentio est, ut mutaretur cum emplastris mollificantibus, & unctionibus ex oleo amyg dalino dulci, butyro, & adipe gallinæ. Secunda intentio quæ est eruptio.* In hoc *laudatur tussis frequens, ut ex tali tussi apostema rumpatur.* Laudatur *etiam fortis uo ciferatio, quia dilatatur pectus, & est causa ruptionis apostematis, similiter sternutatio, & uomitus, etiam tu-lacha, quæ est quædam herba, etiam conquassatio fortis.* Tertia *intentio est absterfio cum aqua hordei, & saccha ri, si fuerit febris, sed si non fuerit febris cum aqua mel-lis, etiam cum aqua sine brodio, cicerum rubrorū.* Quar *ta intentio est consolidatio, quæ completur cum bolo ar-meno, dando ℈. i. boli arm. cum terra sigillata, quæ om-nia dicentur cap. de phthisi ad consolidationem.* Quando *uero apostema est in partibus interioribus, & non est uera pleuresis, primo facimus diuersionem ponēdo uen-*

tosam super locū dolorosum, & emplastra rubificantia, ut materia trahatur ad partes exteriores, postea si conuertatur ad saniem rumpatur, & abstergatur, & consolidetur, quare, &c.

Cura peripneumoniç.

CVra huius ægritudinis est quasi eadem cū cura pleuresis, sed quæ sit differentia uide ab Auicenna, &c.

Cura sputi sanguinis.

IN cura sputi sanguinis quinque requiruntur intentiones. Prima est debitum regimem. Secunda diuersio sanguinis. Tertia rectificatio. Quarta restrictio seu consolidatio. Quinta accidentium correctio. In prima intentione omnes res non naturales ordinentur, ut declinent ad frigidum, & siccum, ut fiat sanguinis restrictio siue infrigidatio. Et primo alteretur aer ad frigiditatem, & siccitatem, & irroretur locus cum aqua rosata, & aceto, ponantur intus rosæ, sandali, camphora, etiam odorentur talia. Dieta autem sit subtilis, Auic. iubet nihil esse dandum usque ad tertium, uel quartū diem sed hodiernis tēporibus aliqua habeatur discretio in huiusmodi dieta ita, quod cibaria debent exhiberi multum tenuiter. Cibaria autem ad retentionem sanguinis debēt esse uiscosa, & glutinosa, stiptica et frigida, ut sunt ptisana, uel pultes factæ ex farina frumenti, amilo, farina hordei, etiam exhibeatur de pasta azima, in communi practica exhibentur pisces uiscosi, ut anguillæ, et tenchæ, etiam laudantur extremitates animalium, ut pedes,

carnes cartilaginosæ, & pingues, quia ingrossant sanguinem,& cōstringunt labia uenarum. Conuenit etiam caseus recens sine sale, & non antiquus, quia est calidus, & siccus. Conueniunt etiam cibaria stiptica, ut lentes, lac acetosum, milium, panicum rizum, omnia enim ista stiptica. Conueniunt etiam cibaria frigida, ut cucurbita, lactuca, portulaca, plantago. De portulaca Auicenna facit singularia uerba dicens:cum teneretur in ore,& succus eius deglutitur retinet sanguinem statim. Dimitatur uinum, quia multiplicat sanguinem,& hoc si non sit debilitas uirtutis,uel magnus sit appetitus ad uinum, propter consuetudinem, & in casu in quo exhibetur uinum tale debet esse stipticum,& grossem,& possumus exhibere aquam ferratam, & hoc pro potu loco uini extinguendo ferrum,uel calibem ignitum in aqua,et in ea ponere de iulep rosatum,& omnia cibaria decoquantur in huiusmodi aqua. Vitetur exercitium, & prohibeatur locutio, quia per eam agitatur pectus, & aperitur locus à quo fluit sanguis. Vitentur omnia accidentia animi,administretur somnus,ut per somnum retineatur,fluxus. Secunda intentio est diuersio sanguinis à uena rupta uel aperta,quæ completur per phlebotomiam,& ideo Auicenna circa principium capituli eam laudat, quæ est multotiens multiplicanda,sed euacuando paucum pro uice,et ideo dicit,quod debet fieri pauca, maxime quando maxima copia sanguinis est educta. Spacium autem inter unam phlebotomiam,et aliam sunt tres horæ,uel iterare quotiens est necessitas.ut diuertatur,et in oppositum

trahatur. Iuuat etiam in mulieribus prouocatio menstruorum. In hac etiam intentione diuersionis, alia conueniunt ingenia, & non solum phlebotomia, sed etiam alia, ut ligaturæ dolorosæ, ut ligando coxas ponendo uentosas in natibus, & alijs locis ponendo, etiam partes extremas in aqua calida, fricatio etiam extremitatum conuenit. Sed diuersimode in phlebotomia procedimus ut supra dictum est, quia si est repletio in corpore tunc fit magis diuersiua phlebotomando à locis magis distantibus, & si non fuerit multa repletio fiat ex basilica, uel aliqua propinquiori uena. Tertia intentio est equatio sanguinis, & rectificatio ipsius. Si enim prouenit ex mala dispositione sanguinis, tunc uidendum est an proueniat ex mala quantitate, scilicet excesiua, uel cholericitate, uel aquositate sangnini. Si à multa quantitate utatur dieta subtili eique prohibeantur cibaria multiplicantia sanguinem. Si uero ex cholericitate sanguinis digerere oportet dictum sanguinem cholericum cum retinendo cum syrupo rosarum, de succo acetoso, de agresta, de granatis cum aquis appropriatis, & continue cum dictis syrupis digestiuis debemus admiscere retinētiā sanguinem, ut aquam acetos. ros. lactucæ, solatri, sic ordinando. Recipe syrup. ros. ℥. i. syrup. de granatis, uel de citonijs, uel myrtini ℥. s. cum aquis portulacæ, & plantaginis, ana ℥. i. s. postea uero euacuare oportet dictum humorem cholericum cum sanguine mixtum, sed uitanda sunt scammoneata, & exhibenda sunt ea, quæ retinent sanguinem, & sint stiptica, ut myrabolani citrini de quibus possumus exhibere ℥. s. infundēdo cum

aquis prædictis, quantum sufficit, addendo unc. i. uel ʒ. casſiæ, & exhibeatur. Poſſumus etiam exhibere rheumbarbarum in ſubſtantia, ut dicit Meſue capi-te de rheumbarbaro exhibendo unc.i.ʒ. etiam myrobo-lanos in ſubſtantia ualent exhibendo drachm.i.ʒ.& addendo unc. ʒ. ſyrupi uiolati. Si uero proueniat ab aquoſitate phlegmatica mixta ſanguini, debemus di-gerere phlegma, ſcilicet cum melle roſato, ſyru-po roſato ad conſtringendum, cum aquis betonicæ, & abſinthij, poſtea euacuamus exhibendo myrabo-lanos, chebulos, uel rheumbarbarum in ſubſtantia, uel turbith ſine zinzibere, quia cum zinzibere euacuat materiam phlegmaticam groſſam, ſine autem zin-zibere euacuat materiam phlegmaticam ſubtilem.
Quarta intentio eſt conſolidatio, ſiue reſtrictio, quę ſtatim cum occurrimus infirmo fienda eſt, quia for-ſan nimia ſanguinis quantitas euacuaretur, & na-tura debilitaretur nimis, ideo primo exhibemus conſo-lidantia, de quibus quædam ſunt ſimplicia, quædam compoſita. Inter ſimplicia primo eſt portulaca re-tenta in ore, & maſticata, de qua dictum eſt de men-te Auicennæ multum conferre, laudatur etiam ab eo-dem lapis hæmatites, quem tenent apothecarij, ex-hibendo de eo aureum. i. laudatur etiam corallus al-bus, & rubeus, Raſis tamen quarto continentis ma-gis album quàm rubeum laudat, debet enim aſſari, & comburi, poſtea dari cornu ceruinum, etiam ſi capia-tur, & comburatur exhibendo ex eo à drach. i. uſque ad.i.ʒ. terra etiam ſigillata multum ualet, quam etiam

multum laudat Rasis in præsenti capite, laudatur etiam bolus armenus, in quo omnes autores conueniunt, consolidat enim uenam, prohibet fluxum, & confert pectori propter catharrum subtilem descendentem, & est in communi practica exhibere usq; ad.ʒ.i.quando uadunt dormitum, de quo loquitur Rasis quarto continentis, laudantur etiam flores, & cortices granatorum, seminam myrtilorum, quæ omnia ualent ad restringendum. Item conueniunt diadragantum gummi arabicum, mastix propter inuiscationem, & glutinationem eorum. Composita quibus practici communiter utuntur dando in pluribus formis, ut in forma trochiscorum, & electuariorũ. In forma trochiscorum exhibent trochiscos de terra sigillata, de charabe dando.ʒ.i.cum aliquibus aquis prædictis appropriatis, uel aliquo syrupo restrictiuo, ualēt etiam trochisci de spodio cum semine acetosæ. In forma uero electuariorum primo est philonium Persicum singularissimum in proposito, quod describitur a Mesue capite de sputo sanguinis, & est confectio opiata, oportet enim diligentiam habere in restringendo in primis diebus, quia postea non possunt de facili uniri labia uulneris, uel aperturæ uenæ, & ideo communiter practici exhibent fortiter restrictiua usque ad opiata, exhibendo de istis paulatim usque ad quatuor dies, patiens etiam semper habeat in domo ℈.iiij.philonij prædicti, quia est singulare remedium, & expertum, commendatur etiam athanasia Nicolai, & tenetur confecta, nec est sic stupefactiua sicut philonium, ideo non est sic in usu, laudatur etiam ab Auicenna sanguis hœdi, qui non sit con-

gelatus, quia à proprietate ualet, laudatur etiam centaurea, de qua Conciliator facit differentia, utrum conferat in sputo sanguinis, & est differentia. 190. Auic. capite de centaurea dat à ℨ.i. usque ad ℨ.ij. & ut dicit Diascorides est calida, & sicca, & multum solutiua. Et Conciliator dicit quod centaurea in certa quantitate exhibita soluit, & in alia quantitate consolidat, uide ibidem, quia multa bona dicit, laudatur etiam sirup.ros. de citonijs, myrtinis. de ribes, de granatis, isti omnes retinent sanguinem cum aquis solatri, lactucæ, ros. &c. possumus etiam exhibere, quando uadunt dormitum ℨ.i. boli armeni cum aqua rosarum. In mane uero possumus exhibere syrup. rosarum ℥.i. syrup. myrtini ℥.ß. cum ℨ.i. trochisc. de charabe alia uice exhibendo ℨ.i. lapidis hæmatitis, alia uice cornu ceruinum cum prædictis syrupis, et sic semper remedia debent diuersificari, quousque stat flux, & cessante fluxu per aliquod tempus reitera remedia ne redeat, laudatur etiam loch, consolidatiuum ut Recipe sacchari rosati, diadraganti, ana ℥.i. & cum bolo arm. cornu cerui, balaustijs, gummi arabico in corporatis, cum syrupo uiolarum fiat loch, conueniunt etiã iunctiones, & epithymata in pectore, ut cum oleo rosato, myrtino, cum aquis solatri, portulacæ. Quinta intentio est correctio accidentium. Et primum accidens communiter eueniens, est coagulatio sanguinis in pectore, uel in canalibus pulmonis ad dissoluendum utimur incisiuis, & ita Auicenna dat acetum cum aqua, tamen Auerrois tertio colligei prohibet acetũ, quia prouocat tussim, & sic prohibet consolidationem, respondetur tamen

men ad Auerrois, quod si complicatur tussis in tali casu non est conueniens, ubi autem non complicatur tussis, tunc conuenit acetum ad incidendum, & ita Galenus, et Auicenna exhibent oxymel simplex, uel compositum, uel scilliticum usque ad ℥.ij. cum aqua acetosæ, laudatur etiam theriaca antiqua dando ʒ.i.s. cum aqua hyssopi uel scabiosæ, laudatur etiam diacucuma, ut in capite de hydropisi, dando ʒ.ij. conueniunt etiam omnes autores in exhibitione coaguli leporini dando ℈.i. per se uel cum aliqua aqua dando ʒ.s. cum aqua hyssopi, uel scabiosæ. Secundum accidens est tussis, quæ prohibet consolidationem, pro cuius cura recurratur ad capitulum de catharro, & de tussi. Si uero proueniat à catharro, uel ab alijs causis, pro cura oportet recurrere ad capitulum catharri, & ad particularia causarum particularium, quare, &c.

Cura phthisis.

IN *hac materia uide Conciliatorem differentia 193 utrum phthisis sit curabilis, pro cuius cura quinque principales intentione sunt obseruandæ, prima est debita administratio regiminis, secunda abscisio causæ, tertia abstersio ulceris, quarta conglutinatio, et consolidatio, quinta accidentium correctio, & omnes aliæ intentiones, quæ ab autoribus ponuntur reducuntur ad istas. In prima intentione oportet, quod exhibeantur ea, quæ contrariantur causæ phthisis, quædam dicunt quod oportet aerem esse frigidum, & humidum, quia phthisi complicatur febris, & extrenuatio, ideo ratione extenua-*

tionis conuenit humiditas, ratione uero febris conuenit frigiditas. Alij *ordinant aerem ad calidum, et siccum ratione ulceris, dicentes quod omne ulcus eget exiccantibus, sit ergo aer temperatus in actiuis, decliuis tamen ad siccum. Cura ergo debet incipere in abscisione causæ, & cum causa extenuationis est ulcus, incipiendum est primo à cura ulceris, quæ fit exiccantibus, secundo à cura ipsius morbi de qua etiã exiccatione Gale. quinto de ingenio sanitatis dicit, quod multi per accessum ad aerem siccum curati sunt, et ibi recitat oppidum quoddam prope* Romam *miliaria 30. & ab eo dicitur Stabium ad quod mittebat huiusmodi phthisicos, & sanabantur, ideo melius est adhibere aere siccum ut causæ prouideamus quam prouidere effectui per humiditatem aeris, scilicet exiccationi corporis.* In *regimine uero cibi sunt aliquæ conditiones obseruandæ. Prima cibus istis conueniens debet esse facilis digestionis, quia corpora phthisica habent naturalem colorem debilem. Secunda conditio, quod cibi sint boni, & multi nutrimenti, quia isti sunt extenuati, ideo indigent multa restauratione. Tertia, quod cibi debent esse subtiles, & penetrabilis substantiæ, quia uiæ per quas debet deferri nutrimentum, sunt angustæ propter extenuationem. Quarta, quod cibi participent uirtute infrigidante, quia semper complicatur febris. Quinta quod cibi debent habere uirtutem abstersiuam, quia ab ulcere semper resudat sanies, quæ indiget absterstone. Sexta quod habeant uirtutem consolidatiuam, & conglutinatiuam, & quia omnes istæ conditiones reperiuntur in lacte, ideo om-*

nes laudant lac, quia est facilis digestionis boni nutrimenti, & multi ratione butyrositatis, & substantiæ subtilis, & habet uirtutem abstersiuam uirtute aquositatis, & participat uirtute infrigidante, consolidat etiam ratione caseitatis, tamen Conciliator *differentiam facit* 194. *ubi quærit, ut plurimum lac competat phthisicis, & ponit multas rationes uide eas. Si autem intendimus infrigidationem, & abstersionem conuenit lac asininum, & caprinum, si magis ad restaurandum, ut quia corpus esset ualde extenuatum, tunc magis conuenit ouinum, uel uaccinum, quia plus butyrositatis habet, tamen propter conuenientiam lactis humani si possumus ipsum habere exhibeatur, et dimittantur alia. Quantitas uero exhibitonis lactis est secundum diuersitatem uirtutis digestiuæ, ideo in primis communiter exhibentur ℥.iiij. lactis, postea possumus ascendere usque ad quantitatem lib.i. uidelicet secunda die uel uice dando ℥ vi. uel vij. uel viij. & sic ascendendo usque ad libram, & non dormiat, nec exercitetur post eius exhibitionem, nec comedat alia cibaria, quia propter calorem corrumperetur una cum alijs cibarijs. Si fortem uolumus infrigidationem animalia lac facientia depascantur cũ diuersis cibarijs dando eis lactucas, endiuia, &c. si magis abstergere dabimus fœniculum, hyssopum, capillum ueneris, & conuenit singulariter ptisana hordei, quam dicit* Galenus *secundo regiminis acutorum esse infrigidantem, & abstersiuam. Conueniunt etiam brodia pinguia, & restauratiua artificialiter facta cum pullis caponum, phasianorum, uel perdicum, cum amygdalino,*

liquiritia, seminibus frigidis, bolo armeno, & c. cum saccharo, & conficere morsellos, & multum ualent in restauratione, cicera etiam multum nutriunt pulmonem, ualēt carnes cancrorum fluminaliū, & conueniunt cum pulmone, propterea quia uidentur habere colorem carneum sicut pulmo, etiam generant humorem glutinosum, qui non facile dissoluitur, ideo hoc est bonum phthisicis, ualent etiam mirabiliter carnes limaciarum, et testudinum, & conferunt similiter epati, similiter ualet aqua distillationis limaciorum facta ad clambicum. Potus sit sicut cibus, idest, habet omnes conditiones quas habet cibus, unde fit uinum album subtile nō fumosum quod resoluit phthisicos, & sit limphatum remouendo fumositatem, aliqui laudant lac pro potu. ut Rasis quarto continentis recitat causam de quodam qui pro potu bibit lac & sanatus est. Aliæ etiam omnes res non naturales sunt ordinandæ, ut ab ipsis alteratio, & resolutio proueniat, potest etiam lacte ipsorum extingui calibs, uel ferrum ignitum. Secunda intentio est abscisio causæ, ideo oportet causam considedare. Si enim causa sit catharrus à capite descendes oportet abscindere causam, prout in cura catharri dictum est. Si autem propter sputum sanguinis oportebit cōsolidare uenam. Si autem propter alium humorem existentem in pulmone, illum oportebit digerere, postea euacuare, & uniuersaliter omnem causam ammouere. Tertia intentio est abstersio ulceris in pulmone, quæ completur cum syrupis facilitantibus sputum abstergendo materiam, uidelicet cum syrupo de liquiritia, de hyssopo, de quo dictum est quod

est abstersor bonus, similiter de prasio, sumuntur hi syrupi cum melle rosarum, aliquando cum decoctione pectorali, etiam cum aqua scabiosæ, capillorum ueneris, hyssopi, fœniculi, & similibus decoctionibus pectoralibus, si non fuerit febris decoctionem supradictam cum ficubus, dactilis, &c. dabimus. Si uero uolumus decoctionem frigidam, dabimus decoctionem uiolarum, liquiritiæ, seminum communium frigidorum, sebesten, etiam aquam sacchari, & mellis, etiam aquam cicerum rubrorum, & lac supradictum, sed semper cum phthisi complicatur febris, ideo licet ratione abstersionis competant hi syrupi calidi tamen ratione febris, ideo licet ratione abstersionis competant hi syrupi calidi, tamen rationi febris conueniunt, & ideo miscemus cum huiusmodi syrup. de liquiritia, syrup. uiolarum, etiam cum lacte prædicto dabimus de saccharo uiolato, ne noceamus febri, & saccharum uiolarum est singularissimum, conuenit etiam aqua sacchari. Quarta intentio est consolidatio, quæ completur cum supradictis medicinis, sed maius studium sit in abstergendo, & non oportet multum laborare in consolidando, quia postea natura de se ipsa incarnat, & consolidat, adhibere oportet ergo ea, quæ absterguntur saccharum rosarum, in quo omnes concordant. Rasis enim dicit infiniti sunt curati ex huiusmodi saccharo rosato, & Auicenna recitat historiam de quadam muliere, quæ à fratre suo per saccharum rosatum fuit liberata, uide cum capitulo de phthisi, & hoc quia in saccharo rosato multæ complicantur intentiones, complicantur enim uirtus nutritiua, quia omne dul

ce nutrit, & uirtus abstersiua ratione saccari, & infrigidans ratione substantiæ rosarũ, etiam abstersiua ratione succi rosarum, non oportet adhibere de huiusmodi sacchari rosarum in magna copia, & oportet, ut sæpe sumat, sed debet diuersificari secundum diuersas intentiones. Si magis abstersionem quærimus dictum saccharum rosarum debet esse recens, quia est acutum, & dulce. Si ad consolidationem magis quam abstersionem, quia uidemus quod egreditur per sputum non materia uirulenta, sed sanguinea, tunc dabimus antiquum cum bolo armeno. Si uero materia propter uirtutem stipticam retineretur in pulmone, tunc debemus exhibere syrupum de hyssopo, uel de liquiritia cum aqua dicta pectoralis, uel scabiosæ, uel alterius, sanguis draconis etiam, & similia ualent, alia autem ualent à proprietate sicut pulmo uulpis, est enim singulare in curatione pulmonis, & pulmo eritij etiam ualet, exiccatur enim, & exhibetur de eius puluere. Auicenna laudat confectionem ex pulmone uulpis, liquifiat loch, uel puluis retineatur in ore. Conciliator in illa differentia utrum phthisis sic curabilis dicit, quod multæ sunt medicinæ, quæ nõ cognoscuntur nisi à brutis, & quæ curant phthisim, & dicit quod oues, quæ multũ incurrunt in phthisim cum eis aduenit, quærunt quandam herbam, et comedunt eam unde curantur, & dicit Auenzoar, quod anotomizauit ouem, quæ passa fuerat hanc ægritudinem, & comederat hanc herbam, & inuenit ulcus pulmonis consolidatum, & adhuc erat cicatrix non potuit tamen comprehendere, quæ herba esset ista, aduenit enim phthisis istis ouibus propter ca-

tharrum,quia sunt multum catharrosæ, & humidæ, & allegat Conciliator. Auenzoar de mente Hermetis,*quod in uegetabilibus, & mineralibus sunt uirtutes, quas si homo sciret operaretur illud quod per artem magicam operatur. Quinta intentio est correctio accidentium,et ut plurimum est fluxus uentris, & hoc propter debilitatem uirtutis nutritiuæ, siue digestiuæ non potentis cibum digerere,etiam propter defectum uirtutis contentinæ, & ideo puluis positus à* Rasi *conuenit administrando confectionem epatis,& stomachi cõfortatiuam, ut confectionem diarhodon abbatis, quando aliqui propter ægritudinem habent membra debilia nutritiua,scilicet procuranda est illorum confortatio. Secundum accidens est extenuatio, et macrefactio cui succurritur cum restaurantibus uelociter de quibus sunt brodia pinguia, aqua carnis, & alia huiusmodi, quæ omnia conueniunt, & istæ quinque intentiones sunt in uera cura phthisis.Sed quando uidetur phthisis totaliter incurabilis tunc procedimus in eius cura blanditiua exhibendo ea, quæ generant escaram, ideo debemus prouidere ne augeatur ulcus,dicit tamen* Gentilis,*quod nunquam tentauit facere hanc curam, quia licet isti uiuant, sunt tamen male uiui,ut dicit* Auicenna, *quia à qualibet causa læduntur.*Matthæus Gradi *recitat de quadam furnaria, quæ 28.annis uixit phthisica,et hoc propter aerem calidum,et siccum attractum à furno ex quo exiccatum fuit ulcus,& facta fuit escara,ideo in ista cura blanditia nõ sunt applicanda illo modo humida,nec lac,sed exiccantia, quare,&c.*

Cura tremoris cordis.

NOta primo circa medicinas cordiales, quod scebran, & alscebran, et scescebran communiter exponitur à Diascoride, Simone Ianuense, quod est esula, sed tamen non est uerum, imò est ozimum gariophylatum, ut patet per Gentilem prima tertij capitulo illo. Cum materiam euacuare uolumus, &c. in fine etiam per eundem prima quarti capite de cura ethicæ, licet dicat, quod non confidat, & in synonymis Auicennæ inuenitur, scebran est species oximi, etiam Mesue in quadam confectione cordiali quam dicit esse filij Zachariæ, dicit esse ozimum gariophylatum, etiam mihi uidetur, quod sit basilicon, esula enim est uenenosa, licet ad hoc possit dici sicut scis, quod multis modis dicitur aliquid cordiale, ut habes ab Auicenna in libello de uiribus cordis. Nota etiam quod istud notandum est male collectum, quia male improbat illos autores, nam autoritas eorum est maxima ueritas, ergo est quod scebran est esula, quæ est species lacticinij sicut dicit Simon Ianuensis, sed illud quod est species ozimi est cresceban ut patet in synonymis Auicennæ. Et in hoc aduerte, quod aliquando inuenies scebran ubi debet esse scesebran, & econtra, & hoc est uitio scriptorum. De cura ergo tremoris cordis Auicenna tria facit capitula, in primo dat canones generales, in secundo ponit curam tremoris cordis calidi, in tertio frigidi, ex quibus capitulis simul cum dictis Rasis in hac cura eliciuntur quinque principales intentiones, quæ non solum deseruiunt ad curam

tremoris cordis, sed ad curam aliarum ægritudinum cordialium. Prima est debita regiminis administratio, secunda digestio ubi ægritudo proueniat à materia, tertia euacuatio, quarta diuersio, quinta cordis confortatio. In prima intentione taliter oportet ordinare regimen, ut causæ contrarietur, & obseruamus, quia aut huiusmodi tremor prouenit à causa calida aut frigida. In proueniente à causa calida aer est alterandus ad frigidum cum præsentia frigidorum odorum, cum aqua, & aceto, etiam cum aqua ros. & aceto, cum rosis, camphora, & semper cum his p:natur aliquid odoriferum, et aromaticum habens bonum odorem, ut ambra muscus, uinum aromaticũ, licet sint calida, ut faciant frigida penetrare. In causa uero frigida sint præsentialiter odoramenta calida, ut saluia, maiorana, ambra, rosmarinus, origanum, & similia. Est autem maxima habenda consideratio in aere cum multum cito proueniat ad cor, & ita cito potest iuuare, uel nocere, & eodem modo cibaria alterentur, ut in calida cum aceto, uino granatorum, agresta, succo limonum, & aranciorum, acetositate citri. Et uide Simonem Ianuensem de limone, ubi dicit se nunquam uidisse aliquid de limone ab aliquo autore autentico, nisi ab Auicenna quarti cap. de cura acutarum in generali, ubi laudat sucum limonis non saliti, potus calefaciens in causa calida, dimittatur, sicut est uinum potens fumosum, sed exhibeatur aqua decoctionis coriandrorum præparatorum, & cum his aquis admisceatur iulep uiolarum, uel rosarum, sit tamen non posset abstinere propter consuetudinem saltem debet eis limphari cum aqua, uel ali=

quo frigido, & ita omnes res non naturales causæ contrarientur, de quibus dictum est satis supra. Secunda intentio est digestio in qua oportet considerare causam, uel humorem, & tunc oportet illum digerere. In causa ergo calida procedendum est cum infrigidantibus digestiuis, sed in hoc obseruandi sunt canones positi ab Auicenna. *Primus ponitur in capite generali curationis ægritudinis cordis uidelicet, quod quando intendimus infrigidare, seu calefacere non debemus cum excessiuæ frigidis, uel calidis infrigidare seu calefacere, & hoc, quia est membrum principalissimum, & quia omnia membra recipiunt ab eo influxum, ideo oportet taliter agere ne ipsum distemperemus. Secundus canon est, quod quando uolumus infrigidare semper cum infrigidantibus miscere debemus medicinam calidam aromaticam, ratio, quia medicinæ frigidæ claudunt uias, ideo oportet admiscere, quod habeat dilatare uias, etiam ut naturalis calor, & spiritus conseruentur, & ideo dicit* Auice. *5. canone, errauerunt, qui abstulerunt crocum à trochiscis de camphora, & creditur, quod forte dixerit propter* Rasim, *qui in præsenti loco cōponit trochis. de cāphora, et ponit crocū, sed solū ponit res infrigidantes unde dicit errauerunt isti. Vnde Cōciliator facit differentiā, quæ est* 196 *utrum in discrasia cordis calida conueniant calida, & tenent, quod sic. ubi tamē cor esset ita inflammatum, tunc non debemus cū frigidis admiscere res calidas, ideo* Auicenna *facit illam exceptionem, sicut in causone, dicit* Gentilis *ubi sit fortis caliditas intellexit causonē, et propter hoc potest saluari* Rasis. *Digestio ergo in causa calida*

completur cum infrigidantibus, & ideo dandus erit syrupus acetosus uiolarum, de endiuia, de succo acetos. de ribes. Si fortius intendimus infrigidare dandus erit de acetositate citri, & de limonibus, qui duo sunt cordialissimi, de quibus recitat Matthæus Gradi se multos curasse cum huiusmodi syrup. dando cum aqua rosarum, plantaginis, endiuiæ, solatri, portulace, &c. In causa uerò frigida procedimus cum calef. ut digerendo phlegma, dando mel ros. oxymel simplex, compositum, uel scilliticum. Si fortius intendimus dabimus syrupum de duabus radicibus, & de quinque, & syrup. pectorales de quibus dictum est supra, ut de liquiritia, de hyssopo, de prassio cum aquis betonice, scabiosæ, & aqua melissæ; de qua Auicenna facit singularia uerba in libello de uiribus cordis, & in 2. canone capite de melissa, & nota bene, quod remouet humorem melancholicum existentem in sanguine cordis. Habemus etiam syrupum de fumoterræ in materia adusta, siue sit humor melancholicus adustus, siue alter humor adustus, etiam syrupum de thymo, & epithymo, etiam syrupum de pomis descriptum à Mesue capite de melancholia; qui multum ualet in tremore cordis, & confortat multum cor dando huiusmodi syrupos cum aquis buglossæ, boraginis, fumiterræ, scolopendriæ, qui multum ualent contra humorem melancholicum. Tertia intentio est euacuatio, quamuis euacuatio, quandoque præcedat digestionem, quia cor est membrum principale, ideo ne aliquando differamus incipimus ab euacuationem ubi esset res timorosa de morte infirmi, et hoc esset coacte pro-

cedere, euacuamus enim secundum diuersitatem humoris cum pharmacijs diuersis. In causa ergo calida dabimus rheumbarbarum, de quo sermonem facit Auicenna in cura tremoris cordis calidi, dădo.ʒ.i.continuis diebus cum aqua frigida, sed non est huiusmodi intelligendum, quod rheumbarbarum esset solutiuum, quia non dedißet continuis diebus. Gentilis enim dicit, quod est bonum in euacuando, & est mirbaile, quod ab Auicenna nusquam reperiatur rheumbarbarum eße solutiuum nisi 2.canone capite proprio in areola, decoctio, ubi dicit, quod confert pano, & uestigijs remanentibus super cutes quando lenitur cum aceto, & euacuatio cum eo, sed ex isto textu non elicitur ipsum uoluisse rheumbarbarum eße solutiuũ, quoniam ipse posuisset in areola membra expulsionis, aliquid, quod tamen non fecit, & dicit Gentilis 2.can.capitulo allegato, quod temporibus Auicennæ nõ erat notum quod esset solutiuum, & ideo post uenit in usu, & experientia comprobatum est, quod est solemnis medicina benedicta, et confortatiua mẽbrorũ exhibendo in infusione, uel in substantia. In substantia cõmuniter dabimus à.ʒ.i. usq; ad.ʒ.i.5. In infusione uero dabimus à.ʒ.ij.usque ad iij.infusis in aquis endiuiæ, myrabolani, etiam citrini faciunt ad choleræ euacuationem, & procedere semper debemus cum non inferentibus nocumentum cordi, uel rectificare cum cordialibus, & hoc in omnibus solutis idem uitamus scammoneata. In frigida uero causa, & maxime phlegmatica conuenit pro euacuatione electuarium diafenicon, electuarium indum, conueniunt etiam myrobolani, chebuli, & agaricus, qui laudatur ab Auicenna in li-

bello de uiribus cordis tanquam cordiale. Si uero uellemus euacuare materiam melancholicam conuenit confectio amech descripta à Mesue, pilulæ de lapide lazuli, pilulæ indæ, etiam phlebotomia basilicæ. Inquit enim Auicenna phlebotomia basilicæ dextræ ualet in repletione sanguinea, sinistræ uero ualet ad remouendum repletionem uaporosam. Quarta intentio est diuersio uidelicet trahere materias à corde, & diuertere eas ad membra ignobilia in actu accidentium, facimus fricationes, uentosationes, clysteria, ligaturas, phlebotomiam ex saphena, & est conueniens, & ita communiter practici obseruant quando euenit tremor faciunt fricare coxas, brachia, & crura, etiam clysteria adhibeantur. Quinta intentio, & ultima, quæ statim à principio debet poni in opus, & quam etiam in continua cura oportet seruare, & confortare ipsum cor, & remouere malam complexionē derelictam. In causa ergo calida conueniunt frigida, confortatiua, & econtra. Et de istis aliqua administrantur per interius, aliqua per exterius. Ea, quæ per interius administrantur aliqua sunt simplicia, & aliqua composita. Inter simplicia primo est buglossa, quæ singularissima est, ut dicit Auicenna super buglossam sis audax, zedoaria, herba doronica qua practici utuntur, melissa, id est, citronella, cortices citri, semen citri, muscus, ambra, gariophyli maxime masculi. Auicenna autem capite de medicinis cordialibus enumerat inter calidas medicinas acetosam cum tamen sit frigida, & sicca. Sed Gentilis dicit autoritate Simon Ianuensis, quod Auicenna per acetosam intelligit lapatium acutum, quod est calidum, sed

ego miror de Simone, qui in capitulo suo de acetosa dicit quod capitulum de acetosa apud Auicenam secundo canone, est de lapatio, cum tamen Auicenna ponat acetosam frigidam, & siccam secundo canone, miror etiam de Gentile. Inter composita uero, & maxime, quæ per interius exhibentur, primo est diabuglossatum, diaboraginatum, electuarium de gemmis, Mesue diambra, diamuscus dulcis, & amarus, quæ secundum Gentilem differunt, quia dulcis est minus calidus quàm amarus, & pro singulari utuntur medici istis temporibus electuario Conciliatoris, quod est preciosissimum, quod etiam describitur ab eodem differentia 196. Mediolani, & Papiæ tenetur confectum, etiam confectio de hyacintho, & describitur ab Auicenna quinto canone, & est medicina regum, & principum. Confortamus etiam per exterius applicata in forma epithymatum, & sacculorum, primo capiendo aquas cordiales, & in eis dissoluimus cordialia, uerbi gratia. Capimus aquam buglossæ, melissæ, & boraginis libram unam ex omnibus simul, & ponimus ℥.i. uini aromatici, postea accipimus de cinnamomo, gariophylo, nuce muscata, & alijs cordialibus, & ponimus in dictis aquis, & facimus epithyma cum pannis lini, & sit calefactum. Confortamus etiam cum pulueribus ponendo eos in sacculo de sindone, uel de grana, & calefaciendo dictum sacculum, & ponimus ipsum supra regiones cordis. Facimus etiam pomum odoriferum, accipiendo laudanum, & alia odorifera, ut muscum, lignum aloes, & incorporando cum cera, ponimus etiam cum prædictis been albi, & rubri, co-

rallorum omnium etiam flores, boraginis & melissæ, corticum citri, fragmentorum cordialium, et hoc maxime in sacculis, faciendo ex eis pulueres. In causa uero calida, *habemus confectiones appropriatas, ut confectionem diarhodon abbatis, et est* Nicolai, *etiam diarhodon discriptione communi.* Mesue, *confectio tria sandali saccharum, uiolarum, & rosarum, trochiscos de camphora* Mesue. In causa *uehementer calida, possunt dari trochis.* Rasis *in præsenti cap. descripti sine croco.* Fortia *autem frigida simplicia sunt sicut spodium, camphora, rosæ, uiolæ, acetum, ista omnia sunt infrigidantia cordialia.* Per *exterius uero faciẽdo epithyma ex prædictis aquis rosarum, plantaginis, acetosæ, etiam ex pulueribus rerũ dictarum facere pomum, uel sacculum, ut supra, etiam coralli rubei, & albi sunt huiusmodi generis, similiter sandali, & margaritæ sunt etiam frigidi, & sicci in secundo, & reliqua huiusmodi, ubi uero tremor proueniat à uenenis, uel à uermibus dicetur in alijs caussis proprijs, quare, &c.*

Cura syncopis.

IN *actu syncopis primum, quod intendimus prohibere resolutionem spirituum, ita quod illi pauci spiritus, qui sunt in mẽbris exterioribus non resoluantur ideo succurrimus per proiectionẽ aquæ frigidæ contẽperãdo, irrorando, etiã faciem cum aqua rosarum, et infrigidando cũ aqua frigida, saluo in duobus casibus in quibus non cõuenit huiusmodi infrigidatio.* Vnus *est ubi proueniret syncopis à causa frigida.* Alius *ubi proueniret à*

fluxu uentris,quia augeremus fluxum per huiusmodi infrigidationem, materiæ enim constringerentur in interioribus,ideo augeretur fluxus,quia fluxus indiget diuertentibus à partibus interioribus ad exteriores, dicit enim Auicenna *secundo, primi capite 26.dictionis secundæ,summæ secundæ, de his, quæ proueniunt ex usu solis.* Faciem uero ma defacere,& super ipsam aquam rorare, est uirtutem uiuificare, quæ est laxa ex nocumento, & inflammatione febris, & cum adest syncopis, & prope, cum aqua rosarum, & aceto. In hoc autem capite dicit Auicenna:etiam irroretur aqua frigida super faciē eius imprimis,dicit etiam pauloante:Et imprimis,quod accidit ex syncopi,oportet,quod incipiatur,& laboretur cū eo,quod nutrit spiritum ex odoribus bonis nisi in præfocatione matricis, in syncopi enim facta ex ea oportet,ut approximentur naribus earum odores fœtidi, & prope conuenientes ori stomachi.Secundum quod intendimus est regenerare spiritus, ideo exhibemus ea, quæ sunt boni odoris, & quæ cito restaurant, ut uinum aromaticum, de quo dicit Auerrosis septimo,colliget,de cura syncopis exhibendum est quanquam sit prohibitum à lege Saracenorum oua etiam sorbilia,carnes bonæ, aqua carnis, & alia, quæ faciunt ad citam restaurationem spirituum. Tertium,& ultimum,quod intendimus est euigilare ipsum à syncopi cum fricationibus, fricando brachia, & crura,ut spiritus attrahantur ad exteriora,& rare fiat cutis exterior, & calefiat etiam constrictio dolorosa constringendo manus,& pedes,etiam stringendo nasum, ut dolorem prouocemus, ponendo etiam uentosas in spatulis,

tulis, in natibus, attrahunt enim ſpiritus ad exteriora, prouocamus etiam ſternutationem, quia cauſat agitationem in corpore, & mouentur ſpiritus, & ſi cum ſternutatione, & alijs ingenij dictis non poßet releuari; tunc erit ſyncopis irrecuperabilis. Nota *quod ſi ſcires, quod talis ſyncopis proueniret propter nimiam paucitatem ſpirituum, ut in forti euacuatione contingit, quia natura magnam quãtitatem ſpirituum amiſit, ideo alios retraxit, non conueniret fricatio, imò non debemus ægrũ mouere, quia per motum, & fricationem reſolueretur illa quantitas pauca ſpirituum, quæ remanſißet. Sed ubi proueniret ab alijs cauſis hoc conuenit, & à uulgaribus obſeruatur, quare, &c.*

Cura colericæ paſsionis.

N*Ota, quod quis poſſet quærere quare* Raſis *immediate poſt capitulum de tremore cordis, de ſyncopi ſubiunxit capitulum de cholirica paſsione, cum cholirica paſsio uideatur eſſe ſpecies fluxus.* Auicenna *autem facit oppoſitum, et melius, qui in capite de fluxu omnium modorum tractauit hanc materiam.* Dicatur *quod iſti autores uarias habuerũt intentiones, nam* Raſis *fecit hoc conſiderãdo, quod in cholirica paſsione multotiens imò ſemper coniungitur debilitas uirtutis, et uomitus, & quia poſtmodum uolebat determinare de paſsionibus ſtomachi, ideo ſubiunxit hanc paſsionem pro prima in cap. de paſsionibus ſtomachi, cum etiam, quia ut plurimum in hac ægritudine propter magnam uirtutis debilitatem complicatur tremor cordis, et ſyncopis, ideo*

post harum determinationem uoluit de hac determinare, prima tamen ratio est melior. In *cura igitur cholericæ passionis sunt quatuor intentiones obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda uertitur ad materiam in stomacho, uel in intestinis existentem, tertia uertitur ad materiam fluentem, uel paratam fluere, quarta uertitur ad accidentia consequentia cholericam passionem.* Notando *prius, quod notat* Auicēna *ponendo canonem, quod regimen cholericæ passionis est in triplici tempore, uidelicet in principio, medio, & ad accidentia apparentia ut est syncopis, & spasmus.* In *prima ergo intentione incipiendo ab aere, sit aer non plurimum illuminatus, nec calidus, nec frigidus, quia lumen agitat humores, & resoluit spiritus, & non intendimus quietare humores commotos, & ea ratione non sit aer nimis calidus, non sit etiā frigidus, nam licet aer frigidus faciat ad prohibitionem resolutionem spirituum, facit tamen, quod materiæ uersus stomachum, & intestina mouentur, & illic concentrantur, sit etiam continue præsentia bonorum odorum, & hoc quia uirtus in tali ægritudine multum prosternitur, ideo succurrimus cum bonis odoribus.* In *regimine uero cibi non est dandum aliquid, quia uirtus est multum oppressa, ideo non est à cibo impedienda nisi temeatur casus uirtutis, qui frequenter timetur, quia in paruo tempore deficit uirtus, & ex humiditate naturali, & pulsus de perditione cibus non sit aggrauatiuus, sed facilis digestionis.* Et *primo præparetur stomachus antequam aliquid exhibeatur, nam si daremus cibum sine aliqua præparatione expelleret illud, & omne, quod exhibe-*

remus, & ideo Rasis dicit cogendus est patiens comedere, quia habet prostratum appetitum, & non appetit comedere, præparamus autem stomachum cum his, quæ per exterius administrantur exhibendo ea, quæ confortant uirtutem retentiuam, & hoc secundum diuersitatem causæ, ut in causa frigida ungendo cum oleo masticino, de menta, de absynthio, de spica. Aliquando exhibemus unguenta composita ex dictis oleis, ut accipere mentam, absynthium, gariophylos, cinnamomum, cardamomum, galangam, nuce muscatam cum cera incorporando, & cum oleis fit unguentum, uel etiam de pulueribus dictis cum oleis prædictis miscendo, & ponendo supra stomachum, & oportet, ut nos simus diligentes, & copiosi in remedijs. Nam semper patiens hanc ægritudinem expectat diuersa remedia. Si uolumus facere fomentationem accipiatur de omnibus dictis herbis, ut uerbi gratia, de spica menta, &c. Buliendo cum uino rubro stiptico, & fomentare cum spongia. Si uero caliditatem uini timeremus facimus bulire in aqua. Si autem causa sit calida curabimus cum frigidantibus, uidelicet cum oleo citoniorum, rosarum, uiolarum. Et ubi in causa frigida ponebamus pulueres calidos, tunc ponemus pulueres infrigidantes, ut rosas. Sandalos, cortices granatorum, & flores eorum, corallos, &c. Cum dictis oleis infrigidantibus, possumus etiam ex dictis rebus infrigidantes facere fomentationes, ut decoquendo balaustias, cortices granatorum, & facere fomentationes, ut supra, confortamus etiam stomachum, ut retineat cum his, quæ per interius exhibentur, &

primo in causa frigida exhibetur syrupus de menta, qui pluries laudatur ab Auicenna exhibēdo duo uel tria coclearia ante cibum, quando uolumus post uomitū confortare stomachum, laudatur etiam miua citoniorum, aromatica, & syrupus citoniorum cum speciebus, & describit eum Mesue dando duo, uel tria coclearia, laudatur etiam syrupus de corticibus citri, qui est gustui gratus, & est cordialis, ideo ualet, quando accidentia cordialia complicantur cholericæ passioni. Si uero causa fuerit calida dabimus syrupum rosatum, acetosum, iulep rosatum, de ribes, de granatis, de limonibus, de acetositate citri, dando duo, uel tria coclearia, et ita confortamus stomachum ita, ut retineat cibum, quo confortato postea exhibenda sunt cibaria, quæ sunt facilis digestionis, & ideo laudat Auicenna aquam carnis, ut perdicum, uituli, & agni, & dat modum faciendi dictam aquam, contusum etiam oua sorbilia, & talia cum succo aranciorum, granatorum, & agrestæ in causa calida danda sunt. Sed in causa frigida exhibenda sunt talia cum cinnamomo, cardamomo, uel parum uini puri, & ita præparantur, odor etiam carnium pullorum assatorum iuxta nares appositorum conuenit, ut ille bonus odor incitet appetitum. Est autem canon Auicennæ circa cibationem istorum, quod cibaria abominabilia debent ab eis remoueri, quia stomachus est ita indignatus, quod renuit ipsa ex facili, & licet cibaria non sint in se nimis conuenientia, nec in se nimis bona dummodo sint infirmo grata sunt ei danda, & ita Auicenna dat unam pensilem cum ipsa sit exiccata ab humiditate, & licet de se non sit nimis bona tamen si

grata est infirmo potest concedi. Potus in causa frigida sit uinum bonum aromaticum, maxime quando coniungitur syncopis, & alia, ut dicit Rasis 4. alman. nihil est, quod citius reficiat quàm uinum, sed in causa calida potius sit uinum granatorum, & alia infrigidantia, etiam omnes res contrariæ, uitentur etiam accidentia animi, ut non concentrentur humores. Secunda intentio in qua maior pars curæ consistit est circa materiam, quæ iam fluxa est, & procedimus sic, quod stomachus mundificetur à materia mala, si natura inclinetur per uomitum adiuuemus eam, si uero per secessum similiter. In hac mundificatione per uomitum, & omnes autores conueniunt in administratione aquæ calidæ, ut etiam Rasis in præsenti capitulo, nam isti per fluctuationem humorum sunt in continuo uomitu, quia si ideo illi humores mixti cū aqua dicta euacuantur, & aqua calida sola est melior quàm si aliud admisceatur, quia non potest augere materiam humorum nec illos infuriare, sed tepida aqua refrenat, & illos euacuat, & facit, quod non tantum fit nocumentum, et non solum ualet in cholirica passione, sed etiam in anxietate stomachi propter fluxum humorum choliricorū ad ipsum stomachum deuenientium, de qua aqua calida curata est mulier quædam Ianuen. sumendo bis uel ter postquam euomuit, parum dormiuit, & sanata est, & eā maxime laudat Ioannes Arculanus. Ponit autem Auicenna can. quod illa quæ administrantur non debent esse talis naturæ, quod relaxent stomachum, & ideo uituperat oleum sesaminū, oleum de oliuis simul cum aqua calida, intelligit enim de aqua calida mixta cum istis prædi-

ctis oleis, quæ relaxant parietes stomachi, & intestinorum, sed bene aqua, quæ per se est conueniens, ut supra dictum est. Secundus canon est, quod talia non habeant uirtutem glutinatiuam, quia materia mala comprehensa in stomacho non debet constringi, saluo si non contigat casus uirtutis, quia tunc oportet constringere, & confortare uirtutem, postea euomat, syrupus acetosus cum prædicta aqua aliquando datur, ut reddatur gustui gratior, non autem ad incidendum humores uiscosos, quia tales non sunt uiscosi, & hæc est expositio Auicennæ cum dixit, quod permiscetur syrupus acetosus cum aqua calida non propter necessitatem, uel litera illa, secundum Nicolum est corrupta, communiter tamen practici utuntur aqua calida sola, uel sacchari, uel hordei, et hoc in magna copia, & quia aliqua aqua est tantum frigida, quod generat uentositates, ideo ponenda sunt cum dicta aqua. ʒ. v. uel. ʒ. 5. cymini, & non lædet cum eo exhibita, & ita practici communiter obseruant, exhibendo pulueres cymini, uel decoctionem cum aqua, uel etiam de baurach aliquantulum. Si uero natura magis per solutionem uentris declinaret etiam nos declinaremus. Sed in hoc ponit Auicenna canonem dicens, quod materiæ sunt dispositæ ad fluxum, ideo sola cassia, uel manna, uel rheumbarbarum in substantia, uel decoctio myrobolani sunt exhibenda, & hoc constante uirtute, si enim per hoc solutiuum dubitaremus, quod uirtus magis debilitaretur non soluamus donec uirtus confortetur, postmodum consideremus naturam humoris, & illum euacuemus. Tertia intentio uertitur ad materiam fluentem à toto ad stomachum,

uel intestina, & hoc in euacuando illam, considerandum tamen est an materia sit digna euacuatione, ut si sit bona uel mala, aut corrupta, ut uerbi gratia, si est aquosa, uel cholirica tunc bonum erit eam digerere, ubi tamen esse furiosa debemus dictam materiam à principio euacuare non expectata digestione. Diuertimus etiam dictam materiam trahendo ad partem contrariam cum trahentibus, ideo competit eis balneum, ut materias ad partes exteriores trahamus. Diuertimus etiam cum ligaturis dolorosis, & fricationibus, bonum est etiam confortare stomachum, & intestina ne recipiant, ideo laudat Auicenna, ut corpus infrigidetur, epithymetur uēter, & intestina cum supra dictis repercussiuis, ut uiæ claudantur. Quarta, & ultima intentio est accidentium correctio, quia in ista ægritudine timorosa, fiunt, & quia sitis fit primo, ideo primo damus aquam hordei, & pro hoc uide Simonem Ianuen. dicentem, quod facit ad extinguendum sitim, etiam damus illa, quæ blandiuntur sitim, iulep rosatum, succum granatorum, syrupus de granatis. Spasmus etiam non proportionatus, uel proportionatus accidit in hac ægritudine, ideo debemus intendere ad dolorē in tēpore hyemis cum oleo de lilio, uel uiola, ubi sit causa calida, si sit causa frigida cum oleo de lilio. Si non sufficiunt ista infunde pannum lineum in oleo, & circumpone membro spasmato, uel immitere membrum spasmatum in oleo siue balneo olei, quod singularissimum est, pro quo etiam recurre ad curam spasmi. Vomitus etiam superfluus accidit eis, pro quo curando occurimus cum magna uentosa applicata prope fundum stomachi

quia per illam materiam trahitur ad partes inferiores. Gerardus de Solo, dicit quod accipiebat de pane contuso, & ℥.ij. masticis cum uino aromatico, & in sacculo ponebat super stomachum, sed melius capiatur panis incisus in frustra, & exiccatur, postea infunditur in uino rubro stiptico, deinde humectato contunditur donec reddatur in forma emplastri, postea addatur cinnamomum, absinthium, gariophylum, menta, & facimus emplastrum, & ponimus super stomachum, uel si non uellemus ita calefacere, accipiamus ex corticibus granatorum, uel floribus eius, et alijs stipticis cum modico uini, uel aceti infusis in eo, & ponimus supra stomachum, quare, &c.

Cura debilitatis stomachi.

Cura haec est cura ægritudinum particularium stomachi, ideo autores nullam, uel paruam fecerunt mentionem, quia si proueniat ab apostemate, cura erit apostematis stomachi. Similiter si à dolore stomachi erit cura doloris stomachi, uerum quia post longas ægritudines sæpe remanet stomachus lassus, et debilitatus sicut in homine conualescente post magnam eius ægritudinem, ideo oportet confortare stomachum, & eius uiruutes, etiam cum his, quæ suis proprietatibus occultis faciunt ad stomachi cōfortationem, & ideo dicit Auicenna, quod experimentatores curant cum calefactione, & exiccantibus, & errant, quia semper hoc faciunt, & quia aliquando causa debilitatis est mala complexio calida, & sicca, ideo tunc potius erunt exhibenda frigida, & humida, & non calida, & ita Rasis optime pro-

ceßit faciendo distinctionem à debilitate stomachi proueniente à causa calida, frigida, humida, & sicca, trochi de rosis descripti in litera à Rasi non tenentur confecti, nec communiter usitantur, electuarium autem diaciminum, quod describit Rasis in litera tenetur confectum, tamen non est omnino idem, sed est aliud secundum descriptionem Mesue diaolibanum usuale est, & diaolibanum est stupefactiuum secundum descriptionem Nicolai, sistit etiam catharrum, & materiam ad pectus descendentem, in isto enim Nicolai ponitur opium, & ideo est ingrossatiuum. Electuarium de scoria ferri non tenetur confectum, sed singularissimum, Et nota quod in omnibus ferè libris autorum medicinæ, ubi ferrum inuenitur descriptum ignoratur in actiuis cuius complexionis sit in calidæ, an frigidæ, licet Dilucidator in prima particula problematum, ubi quærit utrum incisio facta cum ferro, sit melior facta cum argento, dicat ipsum declinare ad calidum, ueruntamen, qui hoc dubium excitauit non uiderat Auerroim autorem satis autenticum, qui quinto colliget capitulo de medicinis, quæ sumuntur ex mineris ponit ipsum frigidæ, & siccæ complexionis, & est dictum nota dignum in tanta dubietate. Curam, quam facit Rasis in debilitate stomachi proueniente à causa frigida, facit Auicenna in capitulo de debilitate digestionis, ideo dicit Auicenna confert longitudo somni, & dimißio exercitij, uociferationis, quia per longitudinem somni calor est longo tempore aggregatus, ideo in causa bonitatis digestionis cibi in stomacho, Auicenna enim laudat dimissionem exercitij, & Rasis laudat

ipsum,sed dicatur, quod Auicenna uituperat cibo existente in stomacho. Rasis uero tempore uacuitatis stomachi, uel idem Rasis intelligit ubi sunt multæ materiæ phlegmaticæ,& ideo ante cibum est conueniens resoluendo superfluitates, quæ generantur in stomacho, post cibum uero,quia fortificatur digestio mediante spiritu,& calore,ideo si fiat exercitium spiritus,& calor ad extra deueniens debilitat digestionem,et ita non conuenit agitando etiam cibum, & diuertendo spiritus, & sic est de uociferatione, laudauit etiam uomitum cum aqua calida propter materiam corruptam, quæ per indigestionem multiplicatur. Confortamus ergo stomachum post longas ægritudines laxum in causa frigida cum his, quæ per interius,& exterius administrantur. De his nata, quod per interius aliqua exhibentur in forma syruporum,uel confectionum,uel electuariorum,& quædam in forma puluerum, uel pilularum, dabimus ergo syrupos stomachicos, & inter eos singularissimus est syrupus de absinthio cuius laudes uide a Mesue in antidotario, & maxime in uigoratione stomachi,et epatis,dabimus etiā syrupum de citonijs cum aromatibus,& alio nomine dicitur miua citoniorum aromatica,etiam de menta,& in hoc est maximum iuuamentum cum aquis absinthij,mentæ,betonicæ,uel fœniculi, inter quas omnes excellentiores sunt aqua mentæ et absinthij,cum confectionibus etiā confortamus stomachum,domesticū & usuale remedium est aromaticum rosatum descriptione Gabrielis,et Mes. in antidotario est enim singulare, singularis etiam confectio est confectio de aromatibus,quæ etiam describitur

à Mesue, Giringellus habebat pro secreto in passionibus frigidis diagalangam, conuenit etiam confectio de ligno aloes, & est singularissima, etiam zinziberis conditum, & illi qui habent magnam debilitatem capiunt in mane unam radicem, etiam possent theriacam, et mithridatum exhibere uidelicet ʒ.i. singula hebdomada. In pipere autem conueniunt omnes, quod est singularißimum, ut in capitulo de debilitate digestiue, scilicet grana piperis integra sex, uel octo deglutire per dimidiam horam ante cibum, & sint integra non pulverizata, ne subtilitate sua possent ad epar penetrare, & præcipue, quia isti qui habent frigiditatem stomachi, ut plurimum habent caliditatem epatis, & ideo ea, quæ prosunt uni, nocent alteri, galanga etiam est optima, quam Giringellus habebat pro secreto, & maxime in resolutione uentositatis, uirtutes autem ipsius uide ab Auicenna capitulo de inflammatione stomachi, datur enim in puluere, uel cum aliquo syrupo appropriato faciendo pilulas. Giringellus dabat solum puluerem cum modico uini albi ante cibum per horam.i. Corallus etiam a proprietate confortat stomachū, & maxime ualet in causa calida, quia ipse est frigidus, ut habetur ab Auicenna secundo canone, ualent etiam peliculæ stomachorum gallinarum, ualet ad confortandum etiam in dolore stomachi, confortamus etiam per exterius in causa frigida cum unctione ex oleis calefacientibus, & usualia sint oleum de spica, & commendatur à Rasi in littera, etiam emplastrū, oleum etiam de menta, & de absinthio, est enim iuuamentum maximum inungere cum oleo masticino admixto cum

huiusmodi oleis usualibus. Componimus etiam unguenta capiendo simplicia; & cum cera, & oleo aliquo ex iam dictis facere unguentum, & ita aromatarij tenent unum unguentum magistrale, ubi ingreditur absinthiũ, menta, galanga, mastix, nux muscata, &c. quæ omnia tenent stomachum calefactum, et eum confortant. Aliquando etiam fit cerotum ex omnibus istis, & ita bonum est diuersificare remedia per diuersa ingenia sicut dicit Auicenna quarta primi cap. i. & capitulo de asamate, ne natura in uno medicamine assuefiat, & ab illo non patiatur, & ideo in eadem ægritudine bonum est semper diuersificare remedia, etiam ex eisdem rebus, ut faciendo etiã fomentationes, uel uaporationes sicut capiendo mentam, absinthium, squinantiam, ana M. i. cinnamomi, ciperi, calami aromatici, ana ℥. ij. masticis nucis muscate, ana ℥. i. & aliorum cum uino aromatico, & facimus etiam uaporationem cum spongia ante prandium, et ante cœnam, et fiat post euaporationem inunctio cum oleo, uel etiam cum ceroto, usque ad alteram euaporationem, teneatur etiam sacculus super stomacho cum pulueribus prædictarum rerum, bonum est etiam dormire, ut dicit Auicenna primo super latus dextrum, quia fundus stomachi est in latere dextro, ut cibus ad eum descendat, postea debet mouere se super latus sinistrum, ut epar stomachum melius amplectatur, postea reuoluat se super dextrum, ut cibus egrediatur à fundo stomachi ad intestina per portanarium, quod est in fundo stomachi, bonum est amplexari infantem nudum, quia huiusmodi infantes habent calorem naturalem temperatum, ideo fit

reuerberatio, & confortatio caloris, tamen non sudent, uel non tantum retineantur, ut fiat æstuatio. Laudatur etiam catulus canis; uel cattus niger super stomachum positos, conuenit etiam uinum aromaticum cum absinthio pro quo uide Nicolum. In causa uero calida alio modo est procedendum uidelicet cum infrigidantibus, & ideo laudat Rasis puluercs infrig. conueniunt etiam isti syrupi, & sunt usuales uidelicet syrup. de citonijs, rosis, de ribes, de succo acetos. & tales syrupi in confortatione stomachi debent habere uirtutem stiptica cum hoc quod infrigidant, & misceantur cum aquis plantaginis, et acetosæ, etiam confectionis infrig. ut diarhodon abbatis, diarhodon descriptione communi, confectio triasandali, et per tres horas dantur ante cibum, dando bolum unum ualet etiam saccharum rosatũ, si uolumus inungere cum oleis inungemus cum oleo citon. ros. aspergendo etiam de alijs simplicibus super stomachum uidelicet de rosis, balaustijs, corticibus granatorum, sandalis, spodio, corallis, & alijs facientibus ad remotionem calidam, & stomachi confortationem. In causa uero calida notandus est canon Auicennæ, uidelicet quod quando infrigidamus stomachum non oportet multum infrigidare, quia de se est frigidæ complexionis, etiam quia uirtus digestiua nimis debilitaretur. Vbi uero causa esset mala complexio sicca eius cura est sicut cura ethicæ. laudat ergo Rasis lac ratione humiditatis, & herbas alias humectantes, & balneum humidum, uinum uero limphatum non potens, balnea, ut ex uiolis, lactucis, matribus uiolarum, capitibus, & intestinis castratorum, quare, &c.

Cura doloris ſtomachi.

Diuerſificatur dolor ſtomachi ſecundum diuerſitatem cauſarum, quia aliquis eſt à cauſa materiali, & aliquis à cauſa immateriali, ſed ante omnia obſeruetur canon Auicennæ, quod in cura doloris ſtomachi debemus cum diligentia, & bona cura procedere, & cauſam cognoſcere, ratio eſt quia ſtomachus eſt natura deputatus, ut chilum generet ſiue cibum chilificet, qui chilus eſt materia nutricationis, ideo ſi error contingeret in huiuſmodi cura, talis error toti corpori communicaretur, ideo oportet bene cauſam cognoſcere à qua talis dolor prouenit, & ideo ſtante canone, ut dictum eſt uariatur cura. Si enim cauſa ſit ſola mala complexio in cura ſufficit ſola alteratio: ut dicit Auicenna quarta primi cap. 2. Si uero à cauſa materiali prouenit in eius cura ſunt quinque intentiones obſeruandæ, maxime quando talis materia non eſt apoſtemas, prima eſt debitum regimen, ſecunda mitigatio doloris, tertia digeſtio, quarta euacuatio, quinta remotio malæ complexionis derelictæ, & cum iſtis curamus dolorem ſtomachi. In prima intentione ſecundum diuerſitatem humorum eſt adhibendum regimen, & ſecundum uaria ſigna, cognita, ergo materia regimen erit contrarium, ut in calida frigidum, & in frigida calidum. Et ita Raſis in materia calida exhibet ſuccum granatorum cum pane infuſo in eo. In cauſa uero frigida exhibet ſpecies aromaticas, dictum eſt autem ſupra ſatis de his, & debiti reginimis adminiſtratione. Secunda in-

tentio est mitigatio doloris, quæ statim à principio ponenda est in opus practicum, quia stomachus est membrum ualde sensitiuum, & neruosum maxime in ore stomachi in quo uiget magnus sensus, ideo statim remouemus, uel mitigamus dolorem. In huiusmodi autem doloris remotione, ut colligitur ab Auicenna secunda primi doctrina 2. summa 2. cap. de causis sedandi dolorem. Et quarta primi capituli de sedatione doloris, tribus uijs procedimus in mitigatione doloris. Primo abscindendo causam ex qua prouenit, ideo oportet causam cognoscere. Si enim materia fuerit in stomacho oportet eam abscindere. Aliquando tamen materia est imbibita, & potest ita euacuari statim à principio, sed primo erit digerenda, & interea stabit dolor. Ideo aliam, & secundam uiam in sedando dolorem dat Auicenna, ut procedamus cum rebus anodinis temperatum habentibus calorem, & ita per earum applicationem confortatur locus dolens. Illa enim, quæ confortant calorem naturalem reducunt ipsum ad naturalem complexionem suam, & ita est fiendum statim à principio, si non possumus euacuare materiam debemus cum anodinis procedere, ut dictum est, & diuersificantur, in modo applicatur, quia aliquando applicatur in forma euaporationum, epithymatum, emplastrorum, unguentorum, primo faciendo euaporationem cum chamomila, meliloto, semine lini, fœnugræco, & semper ministrare medicinas anodinas cum aliquali humiditate, est bonum, quia relaxant membrum, unde non ita sentitur dolor. Valet etiam si detur in potu ciathum unum, aquæ

decoctionis chamomilæ. Cum istis etiam possumus misce re altheam albam, & facere decoctionem ex qua cum spongia facimus euaporationem infundendo in dicta decoctione, & manibus leuiter comprimendo. Potest etiam *fieri euaporatio implendo uesicam alicuius animalis ex dicta decoctione, & eam applicare stomacho, ut faciunt communiter practici.* Anodina in forma *unctionum sunt sicut oleum chamomilinum, de semine lini anethi, & alia similia.* Emplastra *uero anodina sunt ex farina dictorũ seminum, farina seminis lini, fœnugræci, radicum altheæ, &c. cum oleis prædictis commixtis.* Et *quia quandoque ista uia non est sufficiens oportet cum alia succurrere, & est tertia uia quàm ponit* Auicenna, *scilicet cum stupefacientibus, quod est ultimum.* Ad quod *medicus niti debet, ut dicit* Mesue *in de consolatione medicinarum in proprio capitulo, si dubitamus de prostratione uirtutis quia per huiusmodi stupefactiua dormiũt, et hebetantur sensus, unde dolorem non sentiunt, & ex hoc uirtus refocillat, ideo prouocamus somnum stupefaciendo, primo cum egethea quæ à* Mesue *describitur in antidotario distinctione 2. de medicinis opiatis, & appellatur ab eo zazanea de qua damus usque ad ʒ.ij. Secundum, & magis stupefactiuum est athanasia* Nicolai, *& tenetur confecta, & possumus dare à ʒ.i. usque ad ʒ.i.s.* Tertium *est philonium rosatum, quod describitur ab* Auicenna *quinto canone, & tenetur confectum.* De *isto autem, quia est fortius possumus dare ʒ.s. & plus usque ad ʒ.i.* Auicenna 16. *tertij in cura cholicæ ex uentositate laudat ipsum, & sunt ultima uerba capituli.* Visum *est expe-*

experimentum à me in apothecario Saraceni in quo non potuit sedari dolor nisi cum isto philonio. Aduertendum tamen est circa huiusmodi stupefactiua, et maxime quando uirtus est debilis, quia esset periculum de estinctione illius pauci caloris, uirtute uero existente forti securius possumus exhibere: ut dicit Auicenna in eodem capitulo. Tertia intentio est digestio, quæ diuersificatur secundum diuersitatem causæ. In causa enim calida utimur syrupo acetoso rosato, de endiuia, uiolis. Si uero talis materia cholerica, uel alia materia calida flueret, tunc prohibere debemus talem fluxum, et bibendo ea, quæ cum frigiditate habent admixtam uirtutem stipticam, ideo conuenit syrup. ros. de succo acetos. de granatis, de citonijs, cum aquis endiuiæ, cicoreæ, plantaginis, solatri. Vbi sit materia frigida sicut, ut plurimum contingit, oportet, ut digeramus ipsum phlegma cum melle rosato uidelicet. Recipe mellis rosati ℥.i. oxymellis simplicis ℥. s. si fortius incisiuum uolumus capiemus oxymel compositum, uel scilliticum cum aquis betonicæ, maioranæ, saluiæ, & similibus, uituperatur autem absinthium materia existente in stomacho, & ideo non damus aquam absinthij. Si uero materia fuerit melancholica digerimus cum syrup. de epithymo, de thymo, de fumoterræ cum aquis fumiterræ, scolopendriæ, et alijs syrupis dictis, et dabimus usque ad octo dies. Si materia fuerit sanguinea faciemus phlebotomiam. Quarta intentio est euacuatio, sed circa eam est canon uidelicet, quod quandoq; uolumus euacuare materiam existentem in stomacho non debemus euacuare cum medicina solutiua, cuius uirtus pertranseat epar,

nec etiam cum ea, quæ trahat à remotis, quia tunc dicta medicina euacuaret plusquam esset necesse maxime, quia materia est propinqua uijs expulsionis, etiam quia trahit materias ad stomachum, quod tamen non quærimus & hunc canonem ponit Galenus 7 .*terapeutices capitulo decimoquinto.* Et *in libello memir, idest decem tractatuum, tractatu decimo, &* Auerrois *septimo, colliget contra alios practicos, qui dant agaricum, turbith, & alias medicinas à longe euacuantes. Laudat ipsa* Galenus *loco allegato hieram picram in qua nullum simplex solutiuum ingreditur, præter aloen, quam quidam nolunt exhibere in causa calida, propter unum textum* Auicennæ *in præsenti cura, ea quod omnia simplicia intrantia sunt calida, de quo dicto* Auicennæ *dubitat* Gentilis, & *soluit, quod* Auicenna *non loquitur, nisi quando complexio stomachi est intentissime calida, etiam in capitulo de eo quem lædit sensus stomachi. Laudat etiam* Auic. *in pluribus locis, ideo ipsa maxime laudatur. Medicinæ uero scammoneatæ non debent exhiberi, quia debilitant stomachum. Laudatur etiam cassia fistula, manna cum aliquantulo rheumb. etiam myrobolani, etiam ubi non sit multum calida, ut dictum est utimur hiera picra. Laudatur etiam uomitus cum aqua tepida, quia in hac causa calida maxime ualet, quia cholera multum sursum eleuatur, & ubi talis materia non possit bene educi iterum ac iterum oportet reiterare euacuando cum hiera picra, diafenicone.* Diafenicon *enim non pertransit epar, ut habetur à* Gentile *quinto canone, tractatu tertio super capitulo primo, primæ descriptionis diafenicon.* Di-

cit etiam ibi, quod licet in diafenicone ingrediatur scammonea, & turbith, tamen ratione carnis uiscosæ dactilorum, qui ingrediuntur, & amygdalarum, & secundum descriptionem Mesue penidiorum uirtus istorum inuiscatur adeo, ut epar non pertranseant. Laudatur etiam diacitoniten solutiuum habet enim uirtutem euacuandi materiam grossam, & dabimus usque ad ℥. 5. & licet sint in eo medicinæ calidæ, tamen quia cum carne citoniorum miscentur ideo non ita calefaciunt. Laudantur etiam pilulæ de hiera simplici, & composita, pilulæ elefanginæ, & masticinæ, quæ describuntur à Conciliatore in additionibus Mesue capitulo ne debilitate digestiue stomachi. Quinta, & ultima intentio est remotio malæ cõplexionis. Si fuerit mala cõplexio frigida curabimus cum fomentationibus, confectionibus, & cerotis. Si fuerit mala cõplexio calida cõ triasandali, diarhodon abbatis, ut supra dictum est in cura debilitatis stomachi. Quando uero dolor stomachi prouenit à uentositate debemus exhibere ea, quæ faciunt ad resolutionem uentositatis. Sed prius oportet considerare an dicta uentositas habeat materiam fouentem aut non. Si sic, oportet eã euacuare ipsa digesta antequam exhibeamus fortia calefactiua, quia talia maiorarent uentositatem, et ideo conuenientiora sunt temperatæ calefacientia, & sic debemus procedere cum euacuantibus, et temperate calidis, de quibus quædã sunt simplicia, & quædam composita. De simplicibus primo sunt grana lauri, quæ resoluunt uentositatem, etiam alleum, quia consumit de quo uide historiam Galeni. 7. terapentices cap. 15. Vinum etiam purum aromaticum

dicitur resoluere, & uulgares obseruant hoc, quia exhibent semina anisi, postea bibunt duos ciathos uini maluatici. Cyminum etiam ualet, & singulariter ualet galanga, & Auicenna in capite de inflammatione stomachi dicit laudes multas. Composita usualia sunt sicut diacyminum, diagalāga, confectio dianisi, si fortiora uolumus habemus electuarium de baccis lauri desctiptum ab Auicenna capitulo de cholica, quare, &c.

Cura apostematis stomachi.

CVra uero apostematis stomachi est sicut cura apostematis pulmonis, & phrenesis, & aliorum membrorum, quia à principio debemus uti repercussiuis diuertentibus ne materia ad locum apostematum currat, postea in augmento uti debemus repercussiuis mixtis cum resoluentibus, in statu autem mere resoluentibus, uide in alijs, quia idem est modus curæ. Si apostema non curetur per uiam resolutionis, sed ueniat ad collectionem sanici, et maturationem utatur maturantibus, pro quibus uide Rasim, Auicennam, & alios autores, quare, &c.

Cura singultus.

CVra singultus diuersificatur secundum diuersitatem causæ. Si enim proueniat à mala complexione immateriali inducta ab aliqua causa primitiua, cura est remouere causam primitiuam, ut si à frigiditate aeris ponatur in aere calido, & econtra, si à cali-

ditate ponatur in frigido. Postea illa causa primitiua remota cito remouetur illa mala complexio impressa, et curamus per contraria, & cum omnibus remedijs, quæ remouent contrariam complexionem, oportet ergo ordinare debitum regimen raro enim contingit, quod huiusmodi singultus à sola mala complexione proueniat. Si uero prouenit propter corruptionem, uel grossitiem cibi, tunc debemus primo mundificare stomachũ à cibo corrupto, & hoc potest fieri cũ uomitu, & solutione uentris. Si.n. materia inclinetur ad uomitũ, uomitũ prouocemus ubi corpus etiam sit paratum uomitui, & si non sit paratum uomitui, uel materia sit in fundo stomachi, tunc curabimus cum clysterijs lenientibus, uel etiam soluendo uentrem cum cassia, manna, uel cum pilulis elefanginis, & masticinis dando ℈.iiij. de ipsis pilulis, etiam cum electuario de hiera simplici dando ad quantitatem ℥.i. cum diafenicone dando ʒ.iij. usque ad.iiij. postea uero confortamus stomachum cum his, quæ per interius, et exterius applicantur. Per exterius inungendo cum oleo de menta, masticino, de absinthio, confortamus etiam cum cerotis, & fomentationibus, sicut dictum est in capitulo de debilitate stomachi. Per interius uero exhibemus aromaticũ rosatum, uel gariophylatum, zinziber conditum, & alia supradicta. Si uero proueniat propter acuitatem sensus, uel punctionem sicut contingit in habentibus stomachum maxime sensitiuum, uel prouenerit à cibarijs ualde acutis, ut ex comestione ceparum, allei, piperis, uel zinziberis, tunc debemus mundificare stomachum ab istis cibarijs ualde acutis, uel per uomitum, uel per secessum. Con-

uenit enim cum aqua calida prouocare uomitum, & huiusmodi aqua calida pauca exhibeatur, & non multa, quia longiori tempore remanebit in stomacho, et non cito euometur, & per consequens melius poterit stomachum mundificare. Valet etiam aqua hordei, & saccharum rosarum, uel uiolarum, confectio triasandali, diarhodon, & iulep uiolarum, postea uero confortamus stomachum cum his, quæ per exterius, & per interius exhibentur, de quibus satis dictum est in capite de debilitate stomachi. Vbi uero proueniat à uentositate sicut plurimum fit, tunc debemus exhibere decoctionem mentæ, mentastri, cymini, & thuris, ut facit Rasis in litera exhibendo pro qualibet uice ℥.iiij. De tali decoctione, & per ista insinuauit nobis alia remedia carminatiua uentositatis, & propprie conuenit diacyminum, diagalanga, confectio dianisa. Simplicia uero ualentia sunt sicut semina anisi quibus utuntur uulgares, uel integra, uel contusa bibendo cum eo parum uini albi, etiam ualet semen cymini, & grana lauri. Et quando prouenit à materia frigida conuenit magna uentosa, ut dicit Auicenna capite de dolore stomachi. Laudat etiam Auicenna singulariter castoreum assumptum cum modico uini albi, in remotione uentositatis facientis singultum, uel cum decoctione seminis anisi, electuarium etiam de baccis lauri est singularissimum, ut dicit Auicenna capitulo de cura cholicæ uentosæ, dicens quod huic electuario nihil æquiparatur in resolutione uentositatis, præcepit etiam Auicenna, & Rasis, ut dormiat, quia calor fortificatur in interioribus. Somnus longus multum con-

fert quando est materia uentosa. Dicit etiam Rasis, quod uaporandus est uenter, & per hoc omnia alia remedia dedit intelligere, exhibet etiam Rasis decoctionem carminatiuam, ut non intelligamus decoctionem factam cum anodinis solum habentibus caliditatem, sed etiam factam ex rebus carminatiuis intensiorem habentibus caliditatem, & ideo facimus decoctionem cum chamomila, meliloto, anetho, pulegio, calamentho, origano, abrotano, semine lauri, ameos, quod est singularissimum semine fœniculi, hanc enim decoctionem facimus in aqua cui quandoque permiscemus parum uini albi odoriferi, uel cum solo uino. Si fortius resolutiuum uolumus, & cum uesica semiplena huiusmodi decoctione superponimus stomacho, succurrimus etiam cum unctionibus, sacculis, emplastris, cerotis, & unctionibus, uidelicet inungendo cum oleo de lilio, spica, chamomilino. Aliqui solent capere filium decoctum cum cineribus, ac si uellent dictum filum dealbare, & ita calidam cum dictis cineribus inuoluunt in pannis, & superponūt, & isto remedio communiter practici utuntur. Accipiunt etiam aliqui cineres calidos aliqualiter madefactas in lixiuio, uel eos irrorant aqua uitæ, quod est melius, uel aliquo uino maluatico bono, & eos in scutella existentes inuoluunt in pannis lineis, & ponunt super stomachum, isto enim remedio usus fui cum essem Mediolani in cura cuiusdam nobilis domini Aloisij Bosij cui prius applicati fuerunt multa alia remedia, & ei bene succesfit per dictam scutellam cinerum, & ratio est quia illi uapores exeuntes à cineribus calidis, sic irroratis cum li-

xiuio,uel uino aromatico, uel aqua uitæ sunt calidi, & sicci, & maxime exiccantes, & resoluentes uentositatem, ideo curant singultum, Laudatur etiam ab Auicenna uentosa applicata super stomachum, postea dicit Rasis,quod ei est ieiunandum, uel est ponendus infirmus in balneo tempore uacuitatis. Tamen debet esse de remedijs ultimo applicandis,& ideo cum cautela debet applicari,quia balneum multum debilitat. Nota quod hæc ægritudo licet uideatur parua,aliquando tamen est pessima,ideo uarijs remedijs utendum est. Quidam enim iure doctor Papien. duodecim diebus stetit cum singultu. Nota tamen, quod trochisci descripti à Rasi non tenentur confecti, sed utuntur communiter practici iam dictis supra. Retentio autem anhelitus, quod etiam uulgares obseruant claudendo os,et nares,ubi sit uentositas resoluitur enim ex caliditate stomacho communicata, quia cor inflammatur, & talis inflammatio, & calefactio communicatur stomacho,& resoluit uentositatem. Si uero proueniat à materia in stomacho contenta in eius cura sunt quinque intentiones obseruandæ. Prima est debitum regimen. Secunda digestio humoris. Tertia euacuatio. Quarta excussio humoris adhærentis partibus stomachi. Quinta confortatio stomachi. Pro prima intẽtione considerare oportet si sit materia calida,uel frigida, quia contrariandum est ipsi causæ in cibis,& non naturalibus. Secunda intentio est digestio, hæc etiam diuersificatur secundum diuersitatem causæ. Nam si materia fuerit cholerica,cõueniens erit syrupus acetosus de endiuia, uiolis cum aquis appropriatis. Si uero proueniat à ma-

teria phlegmatica cõuenit mel ros.syrup.de duabus radicibus cum aquis appropriatis supra dictis multotiens. Si materia fuerit melancholica conuenit syrupus de pomis, de thymo, de epithymo cum aquis appropriatis, scilicet fumiterræ, scolopen. & alijs respicientibus humorem melancholicum. Tertia intentio est euacuatio. Sed prius notare debemus can. supradictum uidelicet, quod tale solutiuum exhibitum non trahat à longinquis partibus, imò, quod eius uirtus non pertranseat epar propter causam supradictam. In frigida uero causa exhibemus diacitoniten solutiuum, & alia solutiua appropriata ipsis humoribus tam calidis, quàm frigidis, de quibus satis dictũ est supra. Quarta intentio est excussio materiæ existentis in stomacho, & in hoc laudatur primo uomitus, quia per talem fortem motum stomachi contingit ubi materia sit fixa, & adhærens cum tali uomitu eradicetur, laudatur etiam fortis concussio infirmi agitando eum, fortis etiam clamor, & saltatio, fortis equitatio equi, qui bene succußet, etiam sternutatio fortis dicit Hipp. 6. aphorismorum particula. A singultu habito sternutatio superueniens soluit ægritudinem, & Aristoteles in problematibus uoluit, quod sternutatio non conferat eructationi sicut singulti, dicit enim, quod singultus est passio pulmonis, & non stomachi, uide ipsum, ideo Matthæus Gradi dicit, quod multum miratur de ipso Aristotele in hoc, & magis de Dilucidatore, qui non soluerit has contradictiones. Irrorare etiam faciem cum aqua conuenit, quia facit, quod calor retrahitur ad intra. Vltimo medici debilitant sensum stomachi, ut huiusmodi nocumentum non

percipiatur exhibendo aquam frigidam in multa quantitate, quo sensu obtuso remouetur singultus, & istud communiter faciunt uulgares bibentes ciathum aquæ, nõ tamen est uera cura, quia postmodum redit saluo, quod posset esse, quod per antiperistasim calor ille fortificaretur, & solueret materiam illam, laudatur etiam in hac intentione syrupus de papauere dando coclear unum, uel duo, quia faciat ad stupefactionem, & istud laudant practici, etiam uulgares accipiunt lac papaueris albi simul cum aqua lactucæ contundendo semina dictis papaueris albi, & faciendo lac, postea exhibere, uel facere decoctionem ex semine papaueris albi, semine lactucæ, hyoscyami albi, & eam decoctionem exhibere. Si uero ista leuia non sunt sufficientia erit singulare philonium ros. quod laudat Auicenna, quia cum eo coniungitur stupefactio, & resolutio, propter simplicia ingredientia, quæ sunt calida, etiam uigoratur uirtus expulsiua. Quinta, & ultima intentio est remotio malæ complexionis in qua oportet considerare, quis fuerit humor, qui impresserit, scilicet, uel caliditatem, uel frigiditatem, remouendo malam complexionem derelicta semper per cõtraria. Si uero à siccitate proueniat, oportet deuenire ad humectantia, laudat ergo Rasis aquam calidam, brodia pinguia, carnes contusas pro cibo, inunctio facta cum oleo uiolarum ualet, etiam laudat oleum amygdalarum dulcium inungendo spondiles, etiam omnia, quæ sunt humida, & restauratiua, quare, &c.

Cura appetitus canini.

PRo cura ista nota, quod si talis appetitus corruptus proueniat, propter membrorum inanitionem, scilicet propter recedentes ægritudines, stat intentio in bono regimine, ita, quod patiēs utatur bono, & tēperato regimine, suadendo patienti, quod stomachus non patiatur magnā quantitatē ciborū, imò, quod non potest bene illa cibaria digerere, & inde generātur superfluitates multæ, & per consequēs multæ ægritudines, sed debet patiens in sufficiēti quātitate accipere, & multotiēs, sed in pauca quātitate pro qualibet uice, & talia cibaria nō sint difficilis digestionis, & eis exhibeamus cibaria unctuosa, et pinguia, ut brodia pinguia, carnes pingues, &c. quæ habēt relaxare tunicas stomachi, & potius habent promouere nauseā quā appetitū, & ideo tunc prostrabitur appetitus, et hæc cura erit quādo propter inanitionē membrorum talis appetitus proueniret. Si uero propter debilitatē digestiuæ dictū est supra capitulo de debilitate stomachi. Si propter debilitatē epatis dicetur capitulo de ægritudinibus epatis. Similiter si propter splenem, ut quia trāsmittat magnā copiā humorum melancholici, ut corrugando os stomachi causet appetitum, dicetur in capitulo de ægritudinibus, splenis, saltem oportebit, quod materia, quæ est fluxa digeratur, & euacuetur. Si uero propter uermes uidebitur cura infra loco suo. Si à materia frigida, phlegmatica existēte in stomacho, & in ore eius sunt quinq; intētiones obseruādæ, prima est debitū regimē, secūda digestio, tertia euacuatio, quarta remotio

malæ cōplexionis,& resolutio remanētis, quinta appetitus prostratio. In prima ergo intentione regimen debet declinarè in omnibus rebus naturalibus ad calidū,et siccum,quia ægritudo est frigida,& humida,& ita cibaria sint calida, & sicca,præter hoc,quod in cibarijs est canon obseruandus, uidelicet, quod non exhibeantur acria acetosa,uel stiptica. Et licet talia competerent propter causam simplicem in digerendo, incidendo materiam phlegmaticam,augerēt tamen ægritudinem, scilicet appetitum. Secunda intentio est digestio in qua dictum est satis supra. Si materia est frigida, digeratur cum melle rosato,& digestiuis supra nominatis,in materia frigida cum aquis etiam iam dictis conuenientibus. Tertia intentio est euacuatio, sed obseruandus est canon,quod tale solutiuum non multum trahat à remotis sicut supra dictum est,quia materia continetur in uijs ductuum, uerbi gratia, cum diafenicone, & cum pilulis elefanginis. Quarta intentio est resolutio residui remanentis,& hæc completur cum his,quæ per interius,& exterius calefaciunt stomachum,de quibus satis diffuse dictum est supra capitulo de debilitate stomachi, et in hac intentione laudatur uinum,quod laudat Hippocrates secunda aphorismorum. Potus indigentiam soluit. Sed uidetur esse contradictio inter Auicennam in præsenti cura,& Galenum in commento aphorismorum allegati,uult enim dare uinum post cibaria unctuosa,& ita post cibum. Auicenna uero ante cibum. Dicitur,ut respondet Gentilis, quod Auicenna habuit intentionem,quam non habuit Galenus. Auicenna etiam dedit ante cibum,ut calefaceret stomachum, &

digereret materiam phlegmaticam, uel aliam. Galenus uero dedit post cibum, ut uomitum prouocaret, & ut stomachum laxum redderet, uide Gentilem. Etiam uidetur contradictio de hoc, quod dicit Auicenna, quod uinũ non debet exhiberi stante fluxu, cum ergo, ut in pluribus coniungatur fluxus cum appetitu canino propter nimiam quantitem ciborum, uidetur ergo uinum nullo modo esse exhibendum. Ad hoc respondet Gentilis, & uide eum. Quinta, & ultima intentio est prostratio appetitus, & ista completur cum omnibus corrugationem prohibentibus, & ideo Rasis laudauit rizum alteratum cum pinguibus cibarijs, & ita omnia oleaginea, & unctuosa conueniunt, que relaxant tunicam stomachi, ideo prohibetur corrugatio, laudatur uinum in multa quantitate post cibum, quia facit fluere cibum per stomachum, & ita disponit ad nauseam. Si uero prouenerit à causa calida resoluendo succurrendum est cum regimine cibariorum grossorum, ut uerbi gratia, castaneis, carne bouina, uel uaccina, quia stomachus non ita potest consumere huiusmodi cibaria, ut ita Rasis facit in præsenti capitulo, quare, &c.

Cura doloris epatis.

PRo cura huius ægritudinis uide Rasim, Auicennam, & alios autores in capitulo proprio, &c.

Cura apostematis epatis.

RAsis in cura apostematum epatis remittit nos ad curam apostematis stomachi, sed licet conueniant in repercussione, & resolutione, tamen quia aliqui

canones conueniunt in cura apostematis epatis, qui non conueniunt in cura apostematis stomachi, ideo facimus distincta capitula. Pro primo ergo obseruandus est can. quod non debemus esse negligentes in eius cura, quia apostema est in membro nobili,& principali,ideo Auicenna quarta primi, dicit, quod cum diuersis ingenijs debemus succurrere, & cito quia nocumentum postea fit toti commune,& quia communiter tale apostema epatis est calida,ac cito in duritiem uenit,ideo sunt intentiones in eius cura obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda diuersio humorum,tertia repercussio,quarta digestio,quinta euacuatio,sexta resolutio,septima remotio malæ complexionis in epate derelictæ. In prima intentione oportet disponere regimen, quod prohibeat augmentum siue complementum apostematis administrando regimen frigidum,& si non sit naturaliter, fiat artificialiter infrigidando, & immobilitando humores ne moueantur ad locum apostematis. In cibo autem sit contentus ptisana hordei,uel pane infuso in brodio,dimittantur carnes,oua,& alia sanguinem generantia. Et licet plurima alia apostemata possint fieri in epate,tamen, ut plurimum est apostema calidum.Et sicut de aere, & dieta dictum, est ita de alijs sex rebus non naturalibus ordinandum est,de hoc multotiens habitum est in superioribus,ideo prolongare sermonem non oportet.Secunda intentio est diuersio,quæ multum facit ad prohibendum augmentum apostematis subtrahendo materiam, quæ est parata recipit, & ista completur phlebotomia, de qua loquitur Auicenna in principio istius capituli,& dicit, quod primum oportet

ægrotantis dispositionem cõsiderare, & alia scilicet uirtutem, quia si consenserit faciemus phlebotomiam, uel in uena media, id est, nigra, uel in cephalica, uel in basilica, & secundum maiorem, uel minorem repletionem, et uirtutis tenorem extrahemus magnam, uel paucam quantitatem sanguinis, sed phlebotomia uenæ nigræ, & cephalicæ non ita facit ad propositum apostema epatis, sicut facit phlebotomia uenæ basilicæ propter directum aspectum, sed ut nobis ostenderet Auicenna necessitatem phlebotomiæ, dixit, ut fiat phlebotomia ex omnibus dictis uenis, & etiam ita facit in capitulo de cura pleuresis, & ideo si non inueniremus basilicam non propter hoc desistas in phlebotomando aliã uenam, scilicet communẽ, uel nigram, & hoc maxime si non appareret propter pinguedinem fiat de cephalica licet magis capiti deseruiat. Vtrum autem talis phlebotomia debeat fieri in latere dextro, uel sinistro facit Conciliator differentiam 198 uide eam, & Gentilem tenet hanc opinionem Conciliatoris, fit etiã diuersio cũ fricationibus, ligaturis, & alijs quæ faciũt ad diuersionem sanguinis, & humorũ currentium etiam cum uentosis in extremitatibus. Tertia intentio est repercusio, quæ facit ad prohibendum augmentum apostematis, & hoc fit constringẽdo porositates epatis ne recipiat materiam, & in hac intentione ponit Auicenna can. obseruandos, & alios timores quos debemus timere, & cauere. Primus est, quod aduertimus in usu istorum frigidorum, repercusiuorum, quia epar habet uenas strictas, & est membrum paruum cadere in oppilationes, & ideo aduertendum est, quia frigida con-

ſtringendo uias ſunt cauſa oppilationis. Secūdus eſt, quod nos debemus aduertere, quia apoſtema epatis facillime induratur, quia partes ſubtiles apoſtematis reſoluuntr & remanent partes groſſæ, ideo dicit Auicenna, quod non euadit aliquis ex apoſtemate indurato, etiam dicit Auicenna ò quam uelociter reſpondet duriciei ideo non debemus nimis infrigidare. Tertius eſt, quod aduertamus in uſu ſtipticorum frigidorum ne ſui frigiditate prohibeamus reſudationem, ideo etiam in pleureſi eſt uitandū in prima parte augmenti, ſemper enim ex tali apoſtemate reſudat aliquid de materia, ideo fit ſputum ſubrubeū, uel ſub citrinum, & ita etiam reſudat aliquid ex apoſtemate epatis, & illa uirulentia indiget abſterſione. Quartus eſt, quod iſta repercusſiua frigida, ſunt aliquando cauſa retentionis choleræ in epate, & ideo ſunt cauſa maioris inflammationis, & prohibet ne materia cholerica mittatur ad chiſtim fellis. Ideo dico ſtantibus iſtis canonibus, quod repercusſiua non debent eſſe fortia, & ſemper debemus aliquid immiſcere, quod habeat uirtutē aperitiuam, et abſterſiuam exhibendo aliquando ea, quæ per interius, & aliquando ea, quæ exterius applicantur. Per interius damus ſyrupos uidelicet roſarum, de ſucco acetoſæ, de ribes, de citonijs cum aquis appropriatis, ſcilicet acetoſæ, plantaginis, quæ ſingularisſima eſt, quia non eſt conſtrictiua, ſed aperitiua, licet quidam dicant, quod eſt conſtrictiua, ſed malæ. Et nota textum, quod in cura oppillationis epatis laudat Auicenna aquam plantaginis factam ex folijs, & radicibus ſuis, & cum hoc ponemus aquam endiuiæ, quæ conuenit cum epate, miſceamus

mus etiam cum ſupra dictis aquis aliquam ex iſtis, ſcili cet cicor. capillorum ueneris, quia abſtergunt, & aperiunt, & hoc ubi materia ſit calida, quia ſi eſſet frigida conueniret mel roſarum cum ſyrupo roſarum, & tunc cum aqua abſinthij, quæ non ita infrigidat. Per exterius autem conueniunt epithymata, & inunctiones, ut ex oleo roſarum, & de citonijs, & epithyma ex aqua plantaginis, ſolatri, & roſarum, & cum panno infuſo applicetur epati, faciendo etiam ſacculos ex pulueribus, ut ex ſandalis albis, rubeis, & citrinis, roſis, corticibus, & floribus granatorum, & puluerizare, & ſuper epar applicare cum ſacculo. Si etiam fortius indigemus apponemus tam in epithymate, quam in ſacculo quatuor, uel ſex grana camphoræ, aut ex eis poſſumus facere emplaſtra. Si uero materia eſſet frigida non faciemus epithymata ex rebus frigidis tantum, ſed cum eis poneremus de calefactiuis, ut de abſinthio, ſquinanto, maſticæ cum oleo roſarum, & maſticino, etiam ex decoctione abſinthij, & ſquinanti ponendo ſuper epar. Quarta intentio eſt digeſtio, ſi enim ſit alius humor à ſanguine diuerſificabitur digeſtio ſecundum diuerſitatem humorum, quia ſi erit cholericus digerendus eris cum digerentibus choleram, & ſic de alijs. Eſt tamen obſeruandus canon in hac intentione, quod illa, quæ exhibemus ſecundum diuerſitatem humorum debent habere uirtutem ſtipticam, conuenit ergo ſyrupus roſarum, de ribes, de ſucco acetoſ. oportet enim ſtipticare, & digerere, & maxime, quia ſumus in principio, & ideo non conuenit ſyrupus uiolatus, quia nihil habet ſtipticita-

tis. Vbi uero ne cessemus in principio, nec in augmento ita, quod iam fluxa esset materia, quæ debebat fluere, tunc possumus uti alijs non stipticis, & tunc daremus syrupum acetosum, uiolarum, & alios sæpe dictos, & isti conueniunt pro digestione materiæ cholericæ. In phlegmatica uero conuenit mel rosatum, oxymel simplex, syrupus de duabus radicibus. In melancholica uero etiam propria conueniunt digestiua, ut syrupus de pomis simplex, syrupus de fumoterræ. Quinta intentio est euacuatio, & est obseruandus canon prædictus ab Auicenna, *pluries, quod quando uolumus euacuare oportet considerare locum apostematis, quia si est in concauo oportet euacuare per uenas meseraicas & intestina, si autem in gibbo per uenas emulgentes, & uias urinæ, facere autem aliter est magnus error, & diuersificatur huiusmodi intentio secundum diuersitatem humorum, nam si sit cholera euacuabimus cum rheumbarbaro, caßia, & manna, & non oportet quod sint fortia attrahentia, quia essent causa augmenti apostematis agitando humores, conuenit ergo rheumbar. in infusione, & laudauit* Auicenna, *ut exhibeantur huiusmodi medicinæ cum pane, uel alio cibo, de quo dubitat* Gentilis *nihil determinando, præcipit enim* Auicenna *ut exhibeatur turbith, elleborum, oppositum huius habetur quarta primi cap. de regulis communibus solutionis uentris, & uomitus, ubi dicit quod medicina adhuc existente in stomacho non debet cibus exhiberi.* Matthæus Gradi *soluit dicẽs, quod regula est in cura apostematis, quod non saluamus uentrem cum medicinis trahentibus à re-*

motis materias ad ipsum epar, quia tunc est timor de augmento & additione apostematis, & solum debemus euacuare, quod in epate continetur, & quia aliquando materia est grossa, & rebellis, ideo indiget forti solutiuo, ut turbith, uel elleboro, uerum quia istæ materiæ habent annaxam aliam uirtutem, scilicet quod attrahunt à longinquis, ideo ingeniatus est Auicenna *unum modum quo euacuaret ab epate, & non ab alijs membris uidelicet dando paucam quantitatem solutiui, & secum admiscendo cibum, & ita cibus alteratus cum uirtute huiusmodi solutiui facit solutionem, & non attrahit à remotis, quia illud paucum solutiuum, quod non fuisset sufficiens ad attrahendum materiam, admixtum tamen cum cibo, & alterato ipso cibo complet solutionem, & non attrahit à remotis, quia eius uirtus refrangitur à cibo. Sed posset quis dicere quare est, quod dictum solutiuum cum est in epate non attrahit à remotis. dicatur quod uirtus solutiui est ita confracta, quod non potest à longiori loco attrahere, & ideo dicit* Auicenna *aliquid ex istis solutiuis quasi uelit innuere, quod illud solutiuum sit parum.* Euacuatiua *choleræ phlegmatis, & melancholiæ satis dicta sunt supra, ideo diuersimode procedimus euacuando secundum diuersitatem humoris.* Sexta *intentio est resolutio, in hac intentione ponit* Auicenna *canonem unum quod in ista uia non debemus absoluere solutiua à stipt. confortatiuis, ut spicam, squinantum, quia epar est membrum sicut sanguis congelatus, siue coagulatus, & est membrum satis laxum, & dissolubile, esset ergo timor ne tale membrum*

eliquaretur, & dissolueretur sicut cum digestiuis semper miscemus, quod habeat uirtutem aperitiuam, si ergo uolumus facere decoctionem pro fomentatione, uerbi gratia, meliloti, chamomilæ, altheæ, addemus aliquid stipticum, ut spicam & squinantum, conueniunt ergo in hac intentione resolutiones, inunctiones, emplastra, epithymata, fomentationes circa regionem epatis cum anetho, meliloto, althea, & chamomila, ponendo aliquid de rosis, de absinthio, uel masticis inunctiones, ut cum oleo liliorum, chamomilino, anethino, & simul miscere ponendo semper de oleo absinthij ad stipticandum, & confortandum. Septima & ultima intentio est remotio malæ complexionis, & ista proportionatur causæ, quia si est calida debemus remouere cum frigidis, & econtra. Completur autem hæc intentio cum his, quæ per interius & exterius applicantur. Per interius cum syrupis calefactiuis, uel infrigidantibus secundum diuersitatem causæ modo dicto, & hoc quando tale apostema terminatur per resolutionem. Aliquando tamen deuenit ad saniationem, & cognoscimus per hoc quod non diminuitur febris nec dolor, imo forte augetur, quia circa generationem saniei accidunt dolores, &c. Et ita arguendum est quod saniatur, & si est sanguineum apostema maxime ad dubleti, id est, saniem conuertitur, & ideo debemus adiuuare naturam ad collectionem saniei, ut citius apostema maturetur. Laudatur ad hoc decoctio passularum, ficuum siccarum, altheæ, maluarum, seminis lini, & fœnugræci, & ita ex eis facimus emplastrum cum butyro, uel oleo amygdalarum dulcium, cum axun-

gia pinguedine, gallinæ anatis. Maturato autem apostemate rumpimus ipsum cum tussi, motu forti prouocando uomitum, uel sternutationem, uel saltando, & sic de similibus motibus, postea abstergimus secundum diuersa latera, ut si est in gibbo dabimus abstersiua, quæ sunt urinæ prouocatiua, ut aquam mellis, sacchari, uel hordei, uel cicerum rubeum. Si autem in concauo dabimus ea, quæ faciunt ad prouocationem secessus, ut cassiam mannam, tamarindos, serum caprinum, postmodum consolidamus cum bolo armeno, terra sigillata ut supra dictum est. Si autem ad duritiem deueniat raro curantur, sed postea ad hidropisim deueniunt. Est ergo intentio ad mollificandum cum radice altheæ, maluis, farina, scilicet lini, & butyro. Sed unum singulare remedium est emplastrum meliloti, quod describitur à Mesue in antidotario in duritie splenis, epatis, & duritie quasi omnium membrorũ, & ponitur cum corio super loco, etiam hyssopi cerotum descriptione Philagri. Et nota quod hyssopos humida, scilicet sordities lanæ ouium incorporata cum oleo amygdalino dulcium, uel butyro in apostematibus aurium puerorum, uel in glandulis mirabiliter mollificat, & resoluit. Et ego consecutus sum maximum honorem, & si possibile est fiat remotio duritiei apostematis, tamen quando est confirmata durities non curatur, ut dicit Auicenna, quare, &c.

Cura debilitatis epatis.

PRo cura debilitatis epatis ponit Auicenna in principio canonis, canonem, quod medicinæ, quæ adhibentur ad debilitatem epatis debent esse aperitiuæ cum leui caliditate, & subtili leuitate, quia non multum eleuate in caliditate, quia si cõtingeret quod esset discrasiatum ad calidum adderent in causam calidam, & propter hoc, ut calor epatis confortetur tali leui caliditate etiam, quod habeant uirtutem aperitiuam, quia cum debilitate epatis communiter opilationes coniunguntur propter uenarum stricturam, quia ex debilitate multæ in ipso generantur superfluitates; quæ aggregate causant opilationem. Alia uirtus, quæ debet esse in huiusmodi medicinis est uirtus lenitiua, & abstersiua, leuiter, quia superfluitates, quæ generantur indiget abstersione, & dicit Nicolus quod multum conuenit terebenthina, quia est abstersiua, & lenitiua, ideo ponit unum electuarium de terebenthina. Auicenna in hac cura etiam medicinæ, quæ epati exhibentur sint stipticæ, quia epar est membrum laxum, & debet humores præseruari à putrefactione, quia multi humores non bene dispositi generantur, ideo oportet illa exhibere, quæ omnes has uirtutes compleant, ut cinnamomum, quod habet omnes has uirtutes. Stante ergo isto casu oportet considerare causam, & quia ut plurimum causa debilitatis epatis est frigus, & si est caliditas tandem deducitur epar ad infrigidationem propter multam resolutionem sanguinis, & spirituum, & ideo an confortationem, quædam sunt simpli-

cia, ut absinthium in quo omnes doctores conueniunt, quia est epatis calefactiuum temperatæ, aperit enim ratione partium subtilium, & habet uirtutem stipticam, et solutiuam, squinantium, & spica, similiter sunt singularissima in confortatione epatis, pistachi, uel fistici, passulæ etiam dulces quas laudat multum Auicenna, & etiam in cura malæ complexionis calidæ, quia à tota substantia respiciunt epar, ut in capitulo de mala complexione frigida epatis, quia uult quod magis faciant ad confortationem epatis sui proprietate, quam per eius caliditatem noceant, & debent esse potius aliqualiter acetosæ, quam dulces in causa calida, in præsenti etiam capit, eas bis laudat, & etiam in fine capitis dicit, quod fluxum curant lotiuum, & in communi practica multum confert exhibere unum coclear passularum in fluxu lotiuo. Etiam carnes limaciarum in cura malæ complexionis calidæ, & frigidæ laudantur ab Auicenna, & connumerat eas in rebus conuenientibus epati, de quo facit dubitationem Gentilis differentia 68. Et Ioannes Matthæus de Gradi tenet contra Gentilem, & contra eum arguit, uide eum. Endiuia etiam ualet in ægritudinibus tam calidis, quam frigidis epatis, quia hæc agit à proprietate occulta, etiã limaciæ licet sint uiscosæ, & oppilent, tamen ratione proprietatis occultæ conueniunt, & magis iuuant quàm noceant, eo maxime, quia artificio illa uiscositas potest remoueri, proqua præparatione uide modum præparandi quem habes in fine Iacobi Forliuij super techni in ultima charta, primocapiendo cineres, et ponere dictas limacias in eos cum aqua, & multotiens

fricare abijciendo aquam, uel cum arena, & aqua, & ita sæpius fricare, uel cum aqua tepida, & sale, ita quod nunquam tangant aquam frigidam, sed calidam, quia in aqua frigida indurescunt. Aqua etiam distillationis earum multum ualet extenuatis, & phtysicis, & est multum fortis ad restaurandum etiam ad debilitatem epatis dosis eius est ℥.vi. in aurora, & tenetur confecta, etiam absinthium est singularissimum in solo usu eius, & non est timor in eo, liberaui enim hydropicam ex solo usu eius, ualet etiam aqua hordei in debilitate proueniente à malitia complexionis calidæ derelictæ post febres tertianas, & hoc expertus est Matthæus Gradi. Epar etiam adip conuenit à proprietate quod aliqui æstimant esse epar lupi. Auicenna autem sexta quarti ponit differentiam inter ea, facit enim de eis capitula distincta, conuenit etiam confectio dialaccæ dando de ea coclear unum, ualet etiam diacurcuma, dicit enim Auicenna infra quod in ea est spes ad omnes species hydropisis dando ʒ.ij.in mane cũ aliquo liquore, ut aqua absinthij, electuarium etiam de uino, quod ponitur ab Auicenna, licet non sic ab eo nominetur, sed ponitur in capitulo de debilitate epatis, quod est ex sublimibus Galeni, quod forte, ut dicit Gentilis ponitur à Galeno in libro experimentorum, uel in libro particularium ægritudinum, qui liber memir appellatur, uel decem tractatuum, quem librum Gentilis non uiderat, & ponitur electuarium hoc in octauo libro decem tractatuum capitulo decimoquarto, & Auicenna accepit eum de uerbo ad uerbum, sicut etiam facit Gentilis loco al-

legato licet ab eo Auicenna *raro inueniatur, quod uerificet simplicia ingredientia compositionem.* Multi *usi sunt hoc electuario, & maxime quidam medicus* Medio*lani pro illustrissimo duce* Bari *pro fluxu epatico à quo sanatus fuit, postea uero alia ægritudine obijt.* Nota etiã *quod in isto electuario ingreditur, quoddam simplex, quod dicitur darsisaban, de quo est dubitatio quid sit, quidam enim dicunt esse asphaltum, quidam flores grana ti syluestris, sed loco eius utimur xirocarata, uel charus, uel squila charoba, uulgariter dicitur, uel garoua, uel faba ultramarina.* In *libro autem* Aristotelis, *qui dicitur ad* Alex. *multum commedatur rheumbarbarum, & dicit quod est uita epatis, & ab* Auerroe *quinto colliget, com mendatur, quod est frenum aliarum medicinarum, quidã practici dant bis uel ter de eo in hebdomoda, & pro qua libet uice dant.* ℥.5. *& curant fluxum epaticum, & hoc erat* Giringelli *secretũ.* Trochisci *etiam de rheumbarba ro multum ualent uidelicet dando.* ℥.i. *uel.* ij. *bis in hebdo moda, ualẽt etiam trochisci de rosis, & eupatorio, et non debemus stare contenti in uno remedio, quia ægritudo est longa dando supra scriptos trochiscos cum syrupis, uel aquis confortantibus epar, ut syrup. de absinthio, uel eupatorio.* Et *ubi timeretur caliditas infrigidantes res da mus remittentes eam sicut endiuia, tarasacon, uel cicoriũ dicit* Nicolus *de mente* Gentilis, *quod tarasacon est plan ta leonis, quæ facit florem citrinum, est etiam una alia species, quæ cicerbita appellatur, & ut quidam dicunt morsum porcinum.* Et *de rebus conferentibus epati ponit* Auicenna *unum aliud declinans ad frigidum, scilicet spo-*

dium, & est simile ossibus combustis, uel est radix cannæ combustæ. Sed dicit Simon Ianuensis, quod non est uerum, licet ponatur ab Auicenna ualet etiam diarchodon abbatis, & descriptione communi, similiter confectio triasandali posita à Nicolao in antidotario, & est in communi practica, & est frigida. Et si superfluitates sint frigidæ laudat Auicenna esse exhibendum agaricum tamen omnes autores conueniunt in rheumbarbaro, ideo est in communi practica in ægritudinibus epatis, sed aliqui dicunt, quod agaricum facit sæua accidentia in stomacho, & epate, quod non uidetur de mente Auicenna. Sed nota in confortatione, & uigoratione naturalium uirtutum epatis, medicinæ conueniunt secundum complexionem uirtutum ita, quod secundum distemperamentum uirtutum conueniunt medicinæ, ut si sit debilitata sola digestiua conueniunt calefac. & humectantia. Si uero retentiua conueniunt frigida. Et licet autores inuestigauerint quamlibet causam, quæ posset quaslibet uirtutes epatis lædere, & una posset distemperari alio modo quam alia, & ita secundum earum distemperiem uariæ requirantur medicinæ, tamen ut plurimum distemperata una omnes distemperantur, ideo dandæ sunt medicinæ confortatiue omnium uirtutum, uel una medicina composita ex diuersis medicinis confortiuis diuersarum uirtutum, &c.

Cura ictericię, citrinæ, & nigræ.

CVra ista diuersificatur secundum diuersitatem icteritiæ, quia alia debetur citrinæ, alia nigræ, alia illi, quæ prouenit ex multitudine choleræ, alia illi, quæ prouenit ex oppilatione diuersificatur etiã secundum diuersitatem materiæ. In *cura ergo icteritiæ citrinæ prouenientis ex multitudine choleræ, & à mala complexione calida epatis quatuor intentiones sunt obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda digestio humoris facientis icteritiam, tertia euacuatio, quarta remotio malæ complexionis remanentis.* In *prima ergo intentione oportet, ut sex res non naturales declinent ad frigida, & humida, et in hoc non oportet sermonem prolongare, quia satis dictum est supra. Secunda intentio est digestio humoris cholerici peccantis, & hoc completur cum syrupis, ut syrupo acetosi simplicis de endiuia, uiolis, de cicorea, de succo acetosi, de agresta, de limonibus, de acetositate citri, & alijs ualentibus in digerẽdo hum. cholericum, cum aqua endiuiæ, cicoreæ, solatri, lactucæ, plantaginis, acetosæ, & possumus admiscere cum prædictis aquis iulep, uel etiam per se, & sic completur digestio. Tertia intentio est euacuatio, sed prius fienda est phlebotomia si fuerit necessaria, postea debemus euacuare choleram cum cassia, manna, admiscendo de electuario, de succo rosarum, de electuario rosarum cũ diapruni solutiuo dando usque ad. ℥. iiij. etiam rheumbarbarum in infusione, si timemus oppilationes, si non dabimus ipsum in substantia. Si autem sit mala complexio in toto tunc*

oportet phlebotomare ipsum, ut faciamus subtractionem choleræ, etiam quia per phlebotomiam epar infrigidatur seruato tamen canone Auicennæ quarta primi capite de phlebotomia. Caue ne ægrum ad alteram duarum rerum perducas, &c. Cum sanguis sit aliorũ humorum frenum. Quarta intentio est remotio malæ complexionis derelictæ, quia remanente tali mala complexione, de nouo adhuc regeneratur icteritia, remouetur autem cum his, quæ per interius, & his, quæ per exterius, applicantur, ut in complexione calida exhibere ea, quæ infrigidant epar, & corpus, ut sunt epithymata frigida, ut capiendo pannum lini infusum in liquore frigido, & epati applicando, & semper huiusmodi epithymata debent applicari ante assumptionem cibi, & non stante repletione choleræ in epate ne retineatur materia, & propter infrigidationem prohibeatur conuersio sanguinis, applicentur ergo prædicta epithymata per duas horas ante prandium, & unam ante cœnam, & non debent fieri, ut dictum est stante repletione materiæ cholericæ in epate, quia talis materia retinetur, & retenta putrefit, & ideo in febribus, qui administrant epithymata ante completam euacuationem errant, postea uero facta euacuatione possunt approximari, & ad hoc propositum singularissimum est aqua endiuiæ, fiat ergo epithyma sub hac forma. Recipe aquæ endiuiæ lib. i. aquæ rof. quia habet uirtutem stipticam, siue cõstrictiuã ℥. ij. uel. iij. sandalorum, & spodij, ana. ʒ. i. aceti. ℥. i. causa penetrationis, spicæ ℈. i. propter uirtutẽ calefactiuã aut croci gran. 4. & fiat epithyma, quod etiam est singulare pro mala com

plexione cordis calida, si superponatur regioni cordis, et circa hoc, scilicet cor non tanta est habenda consideratio in applicatione huiusmodi frigidorum, quia stante replectione possumus etiam approximare, eo quod nõ est timor de prohibitione digestionis, quia cor non repletur cibo, nec est timor de oppilatione sicut in epate. In corde autẽ cum huiusmodi frigidis debet poni de confortantibus calidis, fiat ergo epithyma sic. Recipe aquæ ros. lib. i. aquæ buglossæ. ℥. iij. aceti. ℥. i. sandalorum omnium, ros. spodij, ana. ʒ. i. croci, been albi, & rubei, ana ℈. i. cãphoræ ℈. s. ligni aloes ℈. i. potest etiam huic epithymati addi de gariophylis. Et nota, quod ponitur crocus ratione apportationis medicinarum ad cor, laudat etiam Auicenna administrationem balnei, quod debet esse calidum actualiter, & frigidum, uirtualiter faciendo decoctionem ex lactuca, endiuia, & similibus, etiam per interius administrantur syrupi infrigidantes, & aquæ, et confectiones infrig. saccharum rosatum, uiolatum, diarhodon abbatis, & descriptione communi confectio triasandali, iulep uiolarũ, & rosarum, & acetositas citri, maxime quando uenit à multitudine choleræ, et sic quatuor intentiones complentur. Si uero prouenerit propter aliam causam, scilicet propter oppilationes, sunt etiam quatuor intentiones obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda digestio humorum, tertia euacuatio, quarta carnalium, & uiarum apertio. Prima ergo intentio completur per regimen, quod causæ cõtrariatur, cum ergo causa oppilationis sit materia cholerica, grossa, uel phlegma, oportet ut regimen si calidum aperitiuum, & subtiliatiuum, licet

coniuncta sit materia calida, tamen nos intendimus ad apertionem, ut supra dictũ est, & ideo sit calida aliqualiter. Secunda intentio est digestio, quæ fit cum syrup. incisiuis, subtiliatiuis, & aperitiuis, exhibendo primum syrup. de bisantijs cũ aceto, deinde syrup. de duabus radicibus, postea illum de quinque, exhibendo etiam de melle rosato, etiã syrup. de eupatorio in intentione digestionis cum aquis cicorij, lupulorum, fœniculi, apij, cuscutæ, eupatorij, ista enim digerunt humores grossos, uerbi gratia. Recipe syrup. de bisantijs. ℥. i. mellis rosati. ʒ. s. aquarum fœniculi, & cicorij, ana. ℥. i. s. et quia isti syrup. sunt aperitiui, ideo oportet, ut non inueniant in stomacho humores multos, quia facerent eos ad epar penetrare, & sic augeretur oppilatio, et ideo practici communiter primo mundificant stomachum, exhibendo casiæ electæ ʒ. x. uel diafiniconis. ʒ. ij. uel ℈. iiij. pilularum elefanginarum, & sic postea digerere, & aperire, uel si est diues cum. ℥. ij. mannæ electæ. Tertia intentio est euacuatio in qua oporte solutiua administrare, quæ respiciant choleram grossam, mixtam cum phlegmate, & primo in hac intentione laudatur agaricus, quia curat ægritudines quarum mater est oppilatio, conuenit etiam rheumbarbarum in infusione dando, ʒ. ij. uel. iij. conuenit etiã rheũbarbarum, & agaricus simul mixta, uerbi gratia. Recipe rheumbarbari electi, & bene mundi. ʒ. iij. spicæ parum, minutim, incidantur, & infundantur in aquis cicorij, uel endiuiæ quantũ sufficit, cui addatur uini albi odoriferi parum, dimittantur in infusione per horas 10. uel 12, deinde fortis fiat expressio cui addatur agarici tro-

chiscati.ʒ.i.iulep,uiolar.℥.i.pro remotione mali saporis et fiat potio cũ istis.n.euacuamus materiam oppilantem. Euacuamus etiam cũ diasenicone,cum ellebore indo,cum hiera simplici dando.℥.i.cum.ʒ.i.agarici trochiscati. Clysteria autem multum laudantur, quia pertingit uirtus eorũ ad intestina superiora,& quia in hac ægritudine,ut plurimũ fit stipticitas uentris, ideo oportet tenere uentrẽ lubricũ, confert etiam phlebotomia basilicæ, uel saluatellæ, maxime quãdo materia illa est admixta sanguini,quæ saluatella est inter digitũ paruũ, & anularẽ, quia per phlebotomiã agitantur humores,& sunt causa, quod ubi prius ille humor,qui erat firmus,postea agitatur ,& ex oppilatur illa uia , quæ prius erat oppilata. Quarta intentio est apertio uiarũ, conueniunt ergo primo syrupi aperitiui,et aquæ aperitiuæ, ut syrupus de bisantijs de duabus,de quinq; radicibus cũ aquis aperitiuis ut lupolorũ,cuscutæ,fœniculi,et aqua sparagi,etiam ualet cum prædictis syrupis ualet etiam famosa decoctio quinq; radicum,scilicet apij,fœniculi,sparagi, petrosilij brusci , quæ sunt optime , lauandæ deinde decoquendæ quousque medietas sit consumpta , & ita mane exhibere. Nicolaus Florẽtinus laudat aquam raphani ab Auicẽna commendatam,& habetur secundo canone capitulo de raphano,quod curat icteritiam, & aqua decoctionis foliorum raphani ea contundendo,& ex eis per quatuor dies exhibendo.℥.iiij.de dicta decoctione , uel etiam aqua distillationis ipsorum foliorum, quia erit gustui gratior. Secundum remedium positum à Nicolo sunt lumbrici terrestres exiccati quos Auice.laudat remouẽdo icteritiam

citrinam, & Nicolus recitat, quod istud remedium habeat pro singulari magister Sugutius de Scarparia, & magister Petrus de Latrinilate Papiæ tenebat hoc remedium pro secreto maximo exhibendo cum uino albo, sed non est opus dicere infirmo ne recuset assumere, erit etiã bonum eis aliquid admiscere de saccharo optimo, ut malus sapor, & abominabilis remoueatur, & eodem modo fiat in omnibus casibus in quibus exhibentur abominabilia sicut sæpe fit in squinantia in qua exhibentur stercora. Ego autem de dicto puluere lumbricorum cum syrupo de bisantijs, facio componere pilulas, et eas deaurare, postea exhibere, & die sequenti do serum caprinum, laudatur etiam ab Auicẽna in præsenti capitulo stercus album canis comedentis oßa. Tertium remedium est capere decoctionem prasßii, uel marubij, & ponatur ista ad bulliendum cum uino albo subtili, deinde dantur. ℥. iiij. in mane, dicitur enim, quod omnem curat icteritiam. Quartum remedium est decoctio cicerum rubrorum, & radicum sparagorum bene eos bulliendo in aqua donec dißoluatur, de qua decoctione dãtur. ℥. iiij. ut supra, ualet etiã multum aqua lactis, quam laudat Auicenna, dicit enim si capiatur lac acetosum, ponendo de semine cartami, quod tunc coagulabitur, postea debemus remouere caseitatem, & tunc remanebit illa aquositas, quæ multum aperit oppilationes, ut uerbi gratia, accipiantur lactis caprini lib. 3. quæ capra sit per aliquot dies nutrita herbis appropriatis aperitiuis, ut fœniculo, apio, petrosilio, brusco, lupulo, eupatorio, sparago, &c. deinde ponatur in ipso lacte M. i. cartami, & dimittatur sic per noctem, &

in

in mane extrahatur aquositas derelicta, de qua detur pa tienti. Vltimum remedium completur cum confectioni= bus primo exhibendo, ut dialaccam, diacurcuman, diaca= lamenthum, quæ confectiones sunt aperitiuæ, & usuales dando à.ʒ.ij. usque ad 4. secundo cum trochiscis, ut de rheumbarbaro, de eupatorio, de rosis, qui omnes trochisci sunt aperitiui, & dabimus.ʒ.i. Et quia hæc ægritudo est chronica, oportet dare diuersas res siue diuersificare re= media, ut in una hebdomada dare supra scriptos trochi= scos cum syrupis digestiuis, postea cum aquis aperitiuis, postea uti electuarijs aperitiuis sicut ponit Rasis in li= tera, & hoc fit imitando cano. Auicennæ quarta primi, quod in cronicis ægritudinibus procedēdum est cum di= uersis, & uarijs remedijs, quia una medicina opabitur sic in uno tempore, quod non in alio, etiam ne natura assue= scat uni medicamini. Citrinitas autem, & cutis defedatio remouetur cum decoctionibus aperitiuis, & prouocatio= ne urinæ cum ablutionibus balneis siccis, etiā humidis, fa= ciendo balnea resolutiua sicca, sicut in stufa prouocando sudorem, ut illa materia, quæ est in cuti resoluatur, etiam fiunt balnea resolutiua humiditatis, ut ex decoctione cha momilæ, meliloti, &c. Etiam balnea aluminosa, & nitro sa, quia dilatant poros. Conferunt etiam sternutationes, quia fit excussio, & agitatio, qua de re materia choleri= ca exhalat. Acetū etiā confert olfaciendo ipsum actua= liter calidum, quia ille partes subtiles ascendunt ad ca= put, postea reuerberādo descēdunt ad oculos, & rare fa= ciunt poros oculorum, deinde materia exhalat. Et nota, quod aqua rosarum solum in principio conuenit, & non

quando facta est citrinitas, nulla enim frigida competunt quia magis magisq; constiparent materiam ad intra oculos. Si uero est icteritia nigra cum eisdem curabitur intentionibus, uidelicet primo cum regimine contrario cholera nigra, secundo cum digestiuis ipsius humoris, tertio cum euacuatione, & remotione malæ complexionis, & ista cura habita est in cura melancholiæ, quare, &c.

Cura oppilationum epatis.

IN cura oppilationum epatis habendæ sunt quatuor intentiones, loquendo de oppilatione proueniente à materia, quæ ut plurimum est grossa, uiscosa, prima est debita regiminis administratio, secunda digestio, tertia euacuatio, quarta uiarum epatis apertio. Prima *intentio completur euitando omnia cibaria grossa, & uiscosa, ut de pasta, & azima, etiam assata, uinum grossum, & dulce, competit ergo uinum subtile album, cappares, radices cicorij, apium, fœniculus, petrosilium, &c.* Non *cõpetit somnus post cibũ maxime diurnus, & diuturnus, et cõsimiliter de alijs rebus nõ naturalibus. Secũda intentio, quæ est digestio, cõpletur cũ incidẽtibus & subtiliãtibus cõpetit ergo oxymel simplex, mel rosatũ, et nõ procedimus à principio cum fortiter aperientibus nisi purgato stomacho, ne faciamus materias illa deriuare ad epar, exhibendo ergo ante exhibitionem digestiui cassiam fistulam, hieram simplicem, uel pilulas elefanginas, procedimus postea cum fortiter digestiuis, ut cum melle rosato, exhibendo syrupum de bisantijs, de duabus radicibus, uel quinque, cum aqua fœniculi, cuscutæ, spara-*

gorum, habemus etiam syrupum de eupatorio, & alios syrupos. Tertia intentio *est euacuatio, quæ completur cum euacuantibus, ut cum phlebotomia ubi materia esset sanguinea, uel sanguini coniuncta secundum* Gentilem *fiat hæc phlebotomia à basilica, quæ euacuat ab epate, ideo* Matthæus Gradi *tenet contra* Gentilem, *quod in omni materia oppilationis epatis conuenit phlebotomia, & legit literam* Auicennæ *copulatiuæ, & non disiunctiuæ, sicut facit* Gentilis, *& dicit, quod ideo competit phlebotomia, quia per hanc euacuando sanguinem ab epate agitantur aliæ materiæ in ipso contente, & oppilātes quæ agitate reddūtur faciliores ad euacuādū, et tu uide. Si uero materia est phlegmatica conuenit diafenicon, electuarium indum exhibendo usque ad. ʒ. iiij. cum decoctione radicū sparagi, fœniculi, brusci, petrosilij, apij, & similium, competit etiam agaricus, trochiscatus à. ʒ. i. usque ad. ʒ. i. s. & hoc in substantia, sed in hoc casu melius est dare in infusione dimittendo per horas 10. ponendo secum parum salis gemmæ, quia uigorat uirtutem agarici infundendo in aquis fœniculi, & similium; competit etiam rheumbarbarum in infusione dando. ʒ. ij. uel. iij. infundendo in aqua apij, uel fœniculi quantum sufficit, cui addatur uini albi odoriferi parum, dimittatur in infusione, cui addimus. ʒ. i. diafeniconis, uel agarici, & fiat potio, ualent etiam pilulæ de rheumbarbaro, & sic timeremus eius calefactionem in materia calida, admiscemus confectionem diarhodon ad remittēdum caliditatem quibus pilulis utebatur dux* Frāciæ, *qui passus est debilitatē epatis, postea deuenit ad hydropisim tamen libera-*

tus est, ista competũt etiam in materia mixta ex phlegmate, & cholera, quæ quidẽ sit facta großa. Quarta intentio, quæ est apertio uiarum, prius tamẽ facta euacuatione completur cum aperientibus, & si materiæ declinant ad frigiditatem, uel ad caliditatẽ diuersimode procedimus in declinatione ad calidum, competit endiuia tã hortulana, quã campestris, etiam cicorea siue tarasacon quam multi pro eodem capiunt. Nicolus *tamen in aliquibus receptis ambo ponit, ideo uidentur differentia, & creditur illam esse ueram cicoream, quæ habet florem cœlestinum, illã uero tarasacon, quæ habet florem croceum, & à uulgo dens leonis dicitur.* Et *nota, quod* Nicolus *in hoc capite describit syrupum de cicorea proficui iuuamenti, sed solum est pro diuitibus, quia in eo ingreditur multum rheumbarbari.* Commendatur etiam ab Auicenna *aqua plantaginis facta ex folijs, & radicibus suis, licet aliqui uituperent folia dicendo, quod sint stiptica, ualet cũ aqua hordei, similiter quinq; semina cõmunia frigida, uel eorũ decoctio, ubi febris cõiungitur poßunt ista administrari, competit etiam rheumbarbarum, quia est multum epatis confortatiuum, & dicit* Aristoteles *in libro ad* Alex. *quod est uita epatis seu anima.* Quãdo *uero complicatur utraq; materia, scilicet calida, & frigida, cõpetunt res tẽperatæ aperitiuæ, sicut sunt lupuli, capillus ueneris, liquiritia, paßulæ, &c. res calidæ sunt, fœniculus, apiũ, bruscus, sparagus, capares, cõpetit etiam syrupus de bisantijs, de duabus, & de quinq; radicibus, de eupatorio, ualet etiam decoctio radicum exhibendo quantitatem. ℥. vi. conuenit etiam decoctio de prasßio cum*

uino dialacca, diacurcuma dando.ʒ.i.cum aqua fœniculi uel ſparagi in mane, ualent etiam trochiſci de rheumbarbarum, & multum laudantur, & ubi complicaretur maxima caliditas exhiberemus cum iſtis aliquantulũ de ſpeciebus diarhodon ſimul, competunt etiam trochiſci de roſ. & eupatorio in materia mixta, & iſti trochiſ. deſcribũtur à Meſue. Si uero oppilatio proueniat ab anguſtia uel tortuoſitate uenarum epatis utimur regimine præſeruatiuo dando ſubtiliatiua, & aperitiua. Si à debilitate epatis dicetur cap. ſuo, quare, &c.

Cura hydropiſis aſclitis.

Cura hidropiſis aſclitis completur duplici regimine, ſcilicet ſex rerum non naturalium, & regimine medicinalium. Et primo in regimine ſex rerum non naturalium, omnes conueniunt autores, quod debet declinare ad calidum, & ſiccum, quia cauſa aſclitis eſt frigida, & humida, quia aquoſitas in uentre contenta, & ſic oportet, ut regimen ſit ſiccum ad remouendum talem humiditatem, et licet aliquando ſit ex mala complexione calida, tamen tandem illa ducit epar ad infrigidationem priuatiue propter magnam reſolutionem ſpirituum, & debilitatem, cauſa tamen coniuncta ſemper eſt frigida, & humida, quia aquoſitas poteſt tamen cauſa remota eſſe calida, & ſicca, ſecundum diuerſitatem cauſarum procedimus, quia ſi illa cauſa inducat frigiditatem poſitiuam ita, quod talis cauſa ſit frigida, tunc magis calefaciemus, ſi autem à frigiditate priuatiua non ita frigidis utemur. Ab aere ergo incipiendo prohibeamus

infirmum habitare in locis frigidis, terrenis, & humidis, uel cauernosis, sed eligatur aer calidus, & siccus, & si naturaliter non habeatur, præparemus ipsum ad illam complexionem cum odoribus bonis, & aromatibus, suffumigationibus, & alijs, & respectu cibi, & potus, si uirtus tolleret debet uti subtili dieta, ut calor conuertatur ad resoluendum materiam aquosam. Cibaria etiam præparentur cum pipere, gارioph. & alijs rebus calefacientibus, aqua est dimittenda, dicit enim Auicenna, quod non solum probibeatur aquæ potus, sed etiam eius aspectus secundum suam opinionem, & hoc est quia non absoluuntur à siti clamosa, & uidendo aquam incitantur ad potum. Vinum etiam secundum Auicenna non debet exhiberi in causa calida. Intelligit tamen de uino uinoso, & potenti, dabimus ergo uinum album subtile, & sit paucæ quantitatis, declinandnm est etiam ad exercitium magis quam ad quietem etiam magis uigilare, quam dormire, & ita in alijs ad res calefacientes declinare. Secundum regimen principale, quod est circa medicinalia consistit in duabus generalibus intentionibus, una uertitur ad causam coniunctam eam remouendo, alia uertitur ad malam dispositionem epatis, quæ fuit causa hydropisis, & aquositatis, quia frustra laboraremus nisi remoueremus malam complexionem epatis, quia cito rediret aquositas. In prima intentione procedimus cum diuersis ingenijs, primo cum euacuatiuis, secundo cum diureticis, tertio cum his, quæ insensibiliter euaporate faciunt resoluendo aquositatem, & ista applicantur aliquando in forma sacculorum, balneorum, fomentationum, unctionum, em-

plaſtrorum,& ultimo ſi iſta non ſufficiunt ad inciſionem deuenire oportet. Solutiua autem multa ab autoribus po nuntur,ſed ſolum hic ponentur uſualiora, conuenientiora, & excellentiora. Euacuatiua ergo aquoſitatis maxime leuia, & debilia ſunt, ſicut ſerum caprinum, ſiue aqua lactis,aperit enim oppilationem, & educit aquoſitatem.Rheumbarbarum etiam educit aquoſitatem,& cũ hoc confortat epar. Agaricus etiam commendatur ab autoribus ſi detur.ʒ.i.uel.ʒ.i.s.& non nocet epati ſicut dicit Auicenna in capitulo debilitatis epatis. Aqua chachile etiam ualet ubi Gentilis nihil dicit de litera Auicennæ,in hoc loco licit ſit corrupta ubi euacuatiua commemorando ponit cardamomum, & aquam eius, tamen non inuenitur ab aliquo autore,quod ſit ſolutiuũ,ſed Gentilis in uno ſuo conſilio de cura hydropiſis aſclitis à cauſa calida dicit,quod prædicta litera Auice.eſt corrupta, & cauſa eſt quia apud Arabes habentur hæc nomina chachile, chachole, & ideo propter eorum conformitatem errauit Gerardus Cremonenſis, qui tranſduxit, nam chachole ſignificat cardamomum, chachile uero eſt ſoldonella, uel ſaldanella, quæ habet mirabilem proprietatem educendi aquoſitatem de qua etiam mulieres faciunt aquam ad delendas maculas faciei, de qua chachile facit Serapio capitulum in litera C.& laudat eum maxime ſuccum, eius educit enim aquoſitatem citrinam ſine difficultate. Alia proprietas quam habet eſt quod confortat epar à tota ſpecie,& tota cura in his duobus cõſiſtit. Raſis etiam ſeptimo continentis, & Nicolus Florentinus laudant maxime eam,& exhibet de ea ſeu ſucco eius

usque ad.℥.iij.uel.iij.5. Nota tamen, quod in uno Nicolo impresso deest de hac herba, ubi est istud dictum, scilicet est herba quædam, quæ nascitur apud Cornethum quam incole appellant soldanam, quæ mirabiliter educit aquositatem, & soluit sine molestia. Ponit autem Auicenna canonem in administratione horum solutiuorum, quod nos non debemus euacuare cum his, quæ nocent epati, sed si non possimus aliter facere, saltem debemus confortare ipsum epar post solutionem. Item myrobolani citrini dicit Auicenna in hydropisi calida, similiter serapinum, quod est gummi quoddam infrigidatiuum uidelicet, de quo Mesue facit capitulum, & est fortius, quam chebile, uel agaricus, & quandoque tamen oportet transire usque ad serapinum, quod est fortius. Mesue dat modum conficiendi pilulas de serapino, & possumus dare usque ad.℥.i. & sunt usuales, & tenentur confectæ, ualet etiam ad soluendum succus radicis ireos, quod oritur in locis siccis, & syluestribus, & debet capi agreste, quia est fortioris resolutionis, ireos uero hortulanum uiliter operatur, lauantur enim radices, & conteruntur, & oportet, quod succus talis faciat residentiam, postea aqua supernatans facit ad solutionem, & de eo dicit Gordonius, quod sanat eos, qui sunt possibile sanari. Et nicolus Florentinus recitat de hoc multas historias dando singulis quatuor, uel sex diebus de succo ireos, & inter medijs diebus dando de succo prasij, uel aquæ eius ad confortandum epar, & ita exhibere aquam cuscutæ, uel absinthij. Gordianus dat quantum in media testa oui potest contineri. Potest etiam dari, & ita

est in communi practica, usque ad ℥.i. incipiendo primo à minori dosi, ut à ʒ.ij. uel iij. usque ad conuenientem dosim. Est alius canon quod euacuationes fiant sæpe, & non copiosæ, ut natura poßit refici, et restaurari, quia in una euacuatione non posset tolerare. Si indigemus fortioribus solutiuis habemus mezereon, quæ laureola dicitur, uelles terræ, uel faciens uiduas, & fiunt pilulæ ex eo. Electuarium quod facit Mesue. Et fuerunt date de hoc ʒ.ij. duci Francisco Sfortiæ, & fecerunt ei maximam angustiam, ideo si possumus ista uitare melius est quia nocent epati. Aliud forte est electuarium de quo possumus dare coclear unum, quod electuariũ est succus cucumeris asinini exiccatus, de quo dicit Plinius, quod conseruatur centum annis, & quod nullum est solutiuum quod tanto tempore conseruetur. Possumus etiam dare de euphorbio, usque ad grana viij. ualent etiam pilulæ de euphorbio, & aromatarius de la serenella Papiæ dat unam paruam pilulam in cura quartanæ, et doloris iuncturarum à causa frigida, & mirabiliter soluit, & nimirum uerum exhibere mediocria solutiua, & frequenter melius est. Stemuss ergo in minoribus exhibendo de agarico, rheumbarbaro, soldanella, ireos, sæpius intermiscendo confortantia epar interiectis diebus, ut supra dictum est. Phlebotomia uero est maxime cauenda, nam in capitulo de caceßia dicit Auicenna quod non debet sanguis euacuari, & dicit, & uitet eam omnis hydropicus, ergo in hydropisi non est fienda, quia est peior dispositio, quia epar infrigidatur, & tanto magis aquositatem generat. Duo tamen sunt casus in quibus licitum est phlebotomare. Primus est si

proueniat hydropisis propter retentionem menstruorum. Secundus si propter retentionem hæmorrhoidarum ita, quod natura non sit potens has superfluitates euacuare, regurgitant enim ad epar, & ita eum inficiunt, unde pro euacuatione illarum conuenit phlebotomia, & in cura tympanitis, dicit Auic. *debet cauere quisque ne decipiatur, sicut medicus, qui uidens urinam rubeam, & credidit talem rubedinem prouenire ex causa calida, & erat ex debilitate sequestratiuæ epatis, ubi uero hydropisis fiat propter apostema epatis, pro eius cura recurratur ad curam apostematis epatis.* Remouetur *etiam hæc dispositio procedendo cum diureticis aperitiuis inter unam euacuationem, & aliam dando syrupos aperitiuos, uidelicet syrupum de bysantijs, de duabus, & de quinque radicibus cum aquis absinthij, prassij, cucustæ, fœniculi.* Et Nicolus *laudat unam decoctionem prassij, quia prouocat urinam. Curamus etiam cum his, quæ insensibiliter resoluant, ut ponendo infirmum sub sole, & cooperiendo omnia membra præter uentrem, ita quod radij solis solum uentrem tangant, etiam cum arena calida uentrem in ipsa sepeliendo, etiam capiatur tabula in qua sit foramen amplum ita, ut totus uenter ingredi possit.* Ventre *uero existente in dicto foramine capiatur aqua & res calidæ exiccantes, ut saluia, maiorana, rosmarinus, pulegium, chamomila, anethum, origanum, sticados, folia lauri, cum sale, alumine, & sulphure, & capiatur media situla uini, & media lixiuij, & omnia simul decoquantur, deinde ponatur linteamen circa tabulam, & corpus ne uapor ille egrediatur, & ex ista decoctione uapo-*

tretur, rarefaciet enim poros, & subtiliabit materiam, et eam resoluet, & cum incipit infrigidari dicta decoctio imponantur lapides igniti ad intra, ut iterum calefiat, et euaporet. Possumus etiam applicare sacculos uentri plenos arena, sulphure, & sale, & alumine. Commune etiam remedium est balneare uentrem ex urina infantis cholerici, & supra uentrem spargere. Pulueres exiccatiuos, ut de semine anisi, & de stercore caprino, inungendo etiã cum oleis ut anethi, rutæ, & lilij. Conueniunt etiam esse emplastra, ut de sterco re uaccino actualiter calido, singulare etiam est emplastrum de granis lauri, quod ponitur à Mesue, et est in forma ceroti, ut scilicet ponatur supra uentrem. Valet etiam unguentũ agrippa Nicolai, etiam limaciæ cum testa conterantur, & reducantur in forma emplastri, & applicentur supra uentrem, & dimittantur quousque cadant per se. Vltimo loco aliquando est deueniendum ad incisionem. De qua tamen incisione testantur omnes autores paucos euadere. De qua Cõciliator differẽtiam facit, & Gentilis tangit eandem difficultatem sub hoc titulo. Dubitatur propter præsumptuoses. Et ponit tres conditiones requisitas, quæ obseruandæ sunt ad hoc, ut debita fiat incisio. Prima quod corpus sit robustum. Secũda quod sit æger iuuenis, quia si in infantia uel senectute esset non coueniret. Tertia quod cura sit temperata per alias uias, & est fienda eleuando mirach in parte superiori, & sub umbilico declinans ad dextrum, si sit propter epar, & ad sinistrum, si sit propter splenem, & immitatur cannula, & paulatiuæ dimittatur exire aqua, in diebus uero inter medijs in quibus fit extractio dictæ

aquæ, uel si inde ter, uel quater extrahatur de dicta aqua interea in spacijs intermedijs, oportet cũ bonis cibis confortare, & bonis confectionibus. Postea extracta dicta *aqua dimittatur pellis, & ligetur cum fascia.* Confectio*nes uero quas damus diebus intermedijs sunt, ut dialacca dando ℥.ij. in mane diacurcuma quam laudat* Auicenna *in præsenti capitulo dicens, quod est species ad omnes hydropisis cum aqua endiuiæ, cuscutæ, absinthij.* Vbi uero *proueniat à mala complexione calida refrangimus cum confectionibus triasandalorũ, diarhodon abbatis, rheumbarbarum in confortando maxime, ualent etiam trochisci, de rheumbar. descripti à* Mesue, *quos etiam laudat* Io*annes* Matthæus Gradi, *mirabiliter ualent dando singula hebdomada bis ℥.ij. & sic factum fuit duci* Francisco *Sfortiæ, ualet etiam epar adip, & alia quæ à proprietate respiciunt epar.* Etiam *electuarium de uino, & in causa calida ualet syrupus de bisantijs, in causa uero frigida syrupus de absinthio cum aqua cuscutæ, praßij, & eupatorij, quare, &c.*

Cura hydropisis hyposarcę.

IN *ista cura duplici indigemus regimine, scilicet sex rerum non naturalium, & regimine medicinalium.* Regimen *sex rerum non naturalium sicut dictum est supra, debet esse calidum, & siccum, ex quo causa est frigida, & humida, scilicet sanguis phlegmaticus, qui non potuit cõuerti à membris,* Aer *non non sit frigidus, pluuiosus, nec nubilosus.* Habitatio *non sit humida.* Dieta *sit subtilis si uirtus toleret.* Et *ideo dicebat* Auicenna, *quod*

sufficit semel comedere. Et hoc in cura hydropisis asclitis. Et Rasis in præsenti capitulo. Cibaria sint talia quod ex eis non generetur materia phlegmatica. Et ideo non debent esse frigida, & humida, & sint ea, quæ generent sanguinem bonum, & subtilem. Et sint etiam facilis digestionis, ut uinum, carnes bonæ, oua sorbilia. Et Nicolaus recitat de uno qui comedebat alaudas, quod non credo impletas cum petrosilio, cum pane biscocto, & modico uini subtilis, & in sero cum pane puro infuso in uino, & asperso cum puluere quem describit sic. Recipe cinnamomi electi. unc.. 5. gariophylorum, galangæ, macis, anisi, amomi, lacce lotæ, ana drach. 5. in nocte stabat sine potu, & sic curatus est. Et tu uide Nicolaum. Vtatur exercitio si fuerit fortis, & si debilis faciat se supinum portare. Et si fuerit uirtus fortis bonum est quod deambulet per loca arenosa, & sit continue qui abstergat sudorem, quia per exercitium partes illæ subtiliantur. Et ita talis materia aquosa resoluitur. Conuenit etiam magis uigilia, quã somnus, conueniunt etiam accidentia exiccantia. Secundum regimen, scilicet medicinalium duas habet intentiones. Prima uertitur ad materiam, quæ est causa coniuncta, ut illa remoueatur. Secunda uertitur ad malam dispositionem epatis, quia oportet ipsum bene disponere, quia iterum aggregaretur materia. Prima intentio, quæ est remotio causæ coniunctæ completur cum diuersis ingenijs. Primo cum medicinis solutiuis, sed prius digerendo materiam illam, tamen digestio in asclite non sic requiritur, quia à materia aquosa labili, & fluxibili prouenit. Digerimus enim cum sy-

rupis de quibus dictum est supra; scilicet cum melle rosato, oxymelle simplici, cum syrupo de duabus, & de quinque radicibus, cum aqua absinthij, cuscutæ, fœniculi, continuando quinque, uel sex diebus. Circa euacuationem *autem quidam canones sunt obseruandi.* Et Auicenna re*mittit se ad curam hydropisis asclitis.* Primus canon. *Est quod non debemus euacuare cum his, quæ nocent epati quia epar tunc est multum debilitatum.* Et ideo elle*borus, colocynthida, & similia sunt uitanda si possumus habere alia. Secundus canon est, quod in intermedijs diebus debemus administrare ea, quæ confortant, & remouent nocumentum impressum in epate per medicinas solutiuas.* Tertius canon *est, quod non debemus esse contenti una sola euacuatione, eo quod hæc ægritudo est chronica.* Et ideo *Auicenna in cura cacesiæ dicit.* Non *dimittas materiam figi nec retineri, ideo frequenter euacuamus, idem etiam dicit in præsenti cura.* Euacuamus *ergo cum solutiuis, & primo cum hiera simplici* Galeni, *cuius hieræ laudes habemus in capitulo de ægritudinibus stomachi, & in cura cacesiæ dicit. Ipsa enim euacuat superfluitates dimittendo humiditates innatas, de qua dabimus circa quantitatem ℥.i. etiam possumus admiscere cum hiera simplici, de agarico, ut capiendo hieræ ℥.ß. agarici trochiscati ʒ.i. & agaricus est commendatus in capitulo debilitatis epatis, & pilulæ de rheumbar. & istæ sunt ultimæ.* Laudantur *enim in capitulo de cura hydropisis hyposarcæ, & euacuant humorem phlegmaticum confortãdo epar.* Et dicit Nicolus *de monte* Guilerini, *quod multos curauit exhibendo ʒ.ij. dictæ*

rum pilularum de quatuor in quatuor diebus. Et quia aliquando istæ materiæ putrefiunt, & in choleram conuertuntur, ideo rheumbarbarum cõuenit. Conuenit etiam lectuarium diafenicon, & electuarium indum. Verum, ut in pluribus practici dimittunt scammoneata, quia epati nocent. Vel saltem postea confortamus epar ubi sit necessarium exhibere huiusmodi scammoneata. Si uero uolumus exhibere rheumbarbarum, et agaricũ, simul sic componemus. Recipe rheumbarbari, & agarici trochiscati, ana ℈.ij. et fiant ex eis pilulæ quinque quas sumat. Et ita singula hebdomada capiat dictas quinque pilulas. Et sic utor ego in practica, & sic non debemus dimittere materiam figi, sed singula hebdomadá euacuare. Alius canon Auicennæ est, quod quando euacuamus debemus cauere ne euacuemus choleram, quia aquositati resistit, ut in hyposarca, quia materia est phlegmatica, & cholera est frenũ phlegmatis, saluo si cum dicta hydropisi cõplicaretur febris cholerica, uel pleuresis, quia tunc ratione illius possemus euacuare choleram. Et quando cum hydropisi complicatur febris, in digestiuis, & alijs debemus admiscere frigida cum calidis, quia natura dirigit unum quodque applicando ægritudini cui contrariatur, sicut dicit Hippocrates in libro epidimiæ. Et Auicenna prima quarti capitulo de hemitriteo. De phlebotomia dicit Auicenna quod est minus timorosa in hac specie, & in tympanite, quàm in asclite, licet in omnibus speciebus sit uitanda. Ratio est duplex. Prima, quia uirtus est fortior in hyposarca, ut dictũ est eo quia dexterior est asclites. Deinde tympanites. Postea hyposarca. Secũda est quia materia hypo-

sarcam faciens in uenis magis continetur, & illa, quæ facit typanitem, et ascritem continetur in uentre, et in eius concauitatibus, et sic quia hyposarcæ materia est in uenis si faceremus phlebotomiam euacuaremus de materia faciente hyposarcam, ut dicit Auicenna. Quod si materia proueniat ex retentione sanguinis menstrui, uel hæmorroidarum, quod tunc audacius possumus phlebotomare. utimur etiam diureticis, scilicet syrupis, decoctionibus, et alijs, ut syrupo de bisantijs, de duabus, & de quinque radicibus. Etiam ex decoctione radicum sparagi, brusci, & petrosilij. Item cũ succo, uel decoctione praßij, sicut dictũ est de mente Nicoli pro pauperibus. Aqua etiam adachochæ, quæ est species trifolij, etiam aqua lactis. Et aliqui laudauerunt cantharides, sed Auicennæ non placent, quia sunt uenenosæ. Per exterius applicata. Primo est stare sub sole tempore caliditatis, & stare capite cooperto, ab Auicenna laudatur, quia resoluit materiam illã circa partes cutaneas existentem. Valet etiam sepultura in arena ut dicit Nicolus. Cinis etiam calidus est singularisſimus applicatus circa partes inflatas. Etiam introitus balnei sicci tempore uacuitatis stomachi, est enim causa, quod talis materia exiccatur. Et si non habeatur stufa artificialiter fiat, uel fiat balneum cum rebus exiccantibus, ut cum anetho, origano, abrotano, saliua, roremarino, folijs lauri, & alijs ponendo infirmum super asserem extensum et cooperiatur cum linteamine sicut supradictum est. Cõueniunt etiam balnea naturalia, uel arteficialia, salsa, aluminosa, sulphurea, & nitrosa. Laudat etiam Auicenna, quod huiusmodi infirmi ponantur in clibano quando panis

nis est extractus, et ponantur super tabulam intra clibanum capite tamen ad extra existenti, ne suffocetur aere clibani calido. Secunda intentio rerum medicinalium est ad remouendum causam, quæ fuit causa huius materiæ, id est, oportet ut eradicemus malam dispositionem epatis, circa quam oportet considerare, quæ sit causa huius malæ dispositionis, an oppilatio, an apostema, an mala complexio. Et *si fuerit apostema cura eius erit cura apostematis. Similiter si oppilatio.* Et *si fuerit mala complexio seu debilitas epatis remouemus diuersimode secundum diuersitatem causæ. Videlicet si fuerit causa frigida confortabimus epar ad caliditatem, dando de electuario diacurcumæ ℥.ij. cum aqua absinthij, et cuscutæ. Dabimus etiam confectionem dialaccæ, uel rheumbarbari, uel epar adip, absinthium, uel eupatorium.* Si *uero fuerit causa calida conueniunt, ut syrupus de bisantio, de endiuia, de cicoria, confectio diarhodon, absinthij, triasandali, confectio diarhodon descriptione communi.* Et *si timeremus electuaria calida, contemperabimus cum alio electuario frigido, ut in speciebus diarhodon abbatis, & similibus confortando. Etiam dialacca, & diacurcuma cum dictis speciebus ualent. Autor autem libri, qui in* Rosa *Anglica appellatur, ponit unum electuarium, quod appellatur electuarium de cubebe.* Laudes *eius ab eo uide.* Ponitur *etiam hoc idem electuarium à* Ioanne Mat*thæo* Gradi *de mente* Thesauri *pauperū, qui liber quasi idem est cum* Rosa *Anglica.* Dicit Matthæus Gradi, *quod nullum fuit excellentius remedium quàm trochisci de rheumbarbaro admiscendo secum de speciebus, dia-*

mala complexione dicendum semper ordinando regimen contrarium. Si uero fuerit mala complexio dependens à materia humorali sicut plurimum contingit tres intentiones sunt obseruandæ, supposito debito reginine de quo abunde multotiens dictum est, prima est digestio, secunda euacuatio, tertia resolutio, & remotio malæ complexionis. Prima intentio completur cum syrupo acetoso, uiolarum, de endiuia cum aquis appropriatis simp. cicor. endiuia, uiolarum, acetosæ, &c. Secunda intentio completur cum rheumbar. pilulis aureis aggregatiuis, diaprun. simplici, electuario succi rosarum. Tertia intentio completur cũ debilibus resolutiuis, quia materia est calida, & sicca, tota est eradicata, remouebimus malam complexionem, & confortabimus cum prædictis syrupis, etiam cum aquis, saccharo rosarum, uiolato, et triasandali, diarhodon abbatis, & descriptione communi. Per exterius uero inuugendo cum oleo rosato, uiolato, etiam epithymetur splen cum aqua ros. plantaginis, & alijs infrigidantibus permiscendo puluerem rosarum. Si uero sit humor phlegmaticus oportet primo digerere ipsum phlegmaticum his, quæ sæpius dicta sunt. Sed oportet notare canonem, quod medicinæ digestiuæ debent esse uigoratiores, & fortiores quam in ægritudinibus epatis, quia materiæ contentæ in splene multum distant à uijs ductuũ, & ideo medicinæ non possunt ita ad splenem penetrare propter earũ grossitiem, ideo oportet semper in eisdem medicinis admiscere acetũ, & in causa calida syrupus acetosus est conueniens, & in causa frigida oxymel simplex, uel compositum, uel scylliticum

cum melle rosarum, etiam cum syrupo de duabus, & de quinque radicibus. Euacuationis *uero intentio completur cum agarico, qui est singularißimus, & habet cum epate proprietatem, etiam cum splene, etiam cum hiera Galeni, diafenicone, & alijs.* Remotio *uero malæ complexionis frigidæ, completur cum interius applicatis, ut dando diamuscum dulce, uel amarum, electuarium de baccis lauri, aromaticum rosatum, theriacam, &c.* Per *exterius uero inungendo cum oleo de spica, de ruta, de capparibus, & ista sunt usualia quibus practici communiter utuntur. Si uero sit materia uentosa oportet considerare si habeat causam fouententem sicut plurimum contingit, quia tunc necesse est illam digerere, & euacuare, postea uentositatem resoluere.* Per *interius conuenit diacyminum, electuarium de baccis lauri, diamuscus dulcis, de quibus dicetur infra.* Per *exterius conueniunt fomentationes ex rebus resoluentibus ut anetho, ruta, pulegio, calamentho, semine anisi, cymini, &c.* Et *facta decoctione cum spongijs, uel uesica applicamus, postea inungimus locum cum oleo de capparibus, de ruta, de anetho, sed dicit* Auicenna *in capite de inflatione splenis, quod medicinæ ægritudinum splenis debent habere uirtutem resolutiuam, aperitiuam & abstersiuam.* Postea *dicit, quod in apostematibus competunt magis resolutiua quàm stiptica, & in resolutione uentositatis magis stiptica quàm resolutiua, qui textus uidetur dubius, quia ad resolutionem uentositatis magis conueniunt carminatiua uentositatis.* Gentilis *dat duas expositiones uide eum. Si uero causa sit apo-*

stema, & sit calidum, quod raro contingit, uel sit à materia cholerica, uel phlegmatica, uel melancholica, uel sanguinea in principio diuertimus, & euacuamus, si sit à materia sanguinea, uel sanguini mixta debet fieri phlebotomia, basilicæ dextræ, si propter retentionem menstruorum debet fieri phlebotomia, de saphena, postea debemus repercutere cum oleis, & aquis frigidis supra dictis, ut inungere cum oleo rosarum uiolarum, &c. & Epithymamus cum aqua rosarum, plantaginis, &c. Et quando non amplius fluit de materia facimus phlebotomiam de saluatella, da qua fecit mentionem Rasis, quæ est inter digitum annularem, & auricularem, & est ramuus basilicæ. In augmento permiscere resolutiua cum stipticis, & etiam semper debent admisceri aliqua, quæ prohibeant duritiem splenis, quia facillime indurat. In statu uero resoluimus cum chamomila, radice altheæ, farina seminis lini, & fœnugræci, sed cauendum est ne induremus, ut prædiximus, & cum istis facimus emplastra admiscendo de oleo amygdalarum dulcium, de capparibus, &c. Vltimo in declinatione consumpta materia confortamus locum cum oleo masticino rosato, &c. Si uero sit apostema durum, & hoc est quasi semper in ægritudinibus splenis, quia hæc durities prouenit propter materiam melancholicam induratam, uel apostema induratum. In cura eius sunt tres intentiones, prima est digestio melancholici humoris, secunda euacuatio, tertia mollificatio, & resolutio. In prima intentione digerimus cum syrupo de thymo, de epithymo, de fumoterræ, de pomis permiscendo semper aliquid in-

cisluum, ut syrupum acetosum, uel oxymel simplex, compositum, uel scylliticum, ut Recipe syrupum de epithymo ℥.i. syrupi acetosi simplicis ℥.ß. cum aquis appropriatis inter quas est aqua scolopēdriæ maxime spleni appropriata, ut dicit Auicenna secundo canone, dicit etiam in capitulo de cura splenis, quod si detur quatuor diebus de decoctione oxymellis in qua sit decocta scolopendria delet splenem, ualet etiam aqua fumiterræ, & aqua thamarisc, qui thamariscus respicit splenem à proprietate, quidam utuntur uino infusionis thamarisci, uel tenendo thamariscum in uino quando bibunt, uel imponunt in uasibus ubi sit uinum, cortices etiam radicum capparorum laudantur ab Auic. etiam laudatur ab eo portulaca à proprietate. Secunda intentio est euacuatio quæ completur cum confectione amech Mes. cum myrabo. indis, cum epithymo, ut sumendo de epithymo ʒ.ij. cum ʒ.i. oxyimel. multum ualet, ut dicit Auicenna. Item ualent pilulæ inde, pilulæ de fumoterræ, de lapide lazuli dando à ʒ.i. usque ad ℈.iiij. & debent iterari istæ euacuationes, quia iste humor est durus, & non potest faciliter in una euacuatione euacuari. Tertia intentio, quæ est mollificatio, & resolutio, completur cum his, quæ habent mollificare, & resoluere, de quibus sunt quædam, quæ laudat Gordonius, ut est unguentum factum ex medulla, crurium cerui, uel uitulorum cum adipe gallinæ, axungia, oleo amygdalarum dulcium, ualet etiam unguentum de meliloto, etiam hyssopi, cerotum, & cum istis possumus miscere ea, quæ a proprietate ualent. Est etiam unum singulare, quod

commendat Auicenna, *& est in communi practica scilicet gummi armoniacum dissoluendo in aceto scillitico. miscendo cum oleo de capparibus, aut amygdalis dulcibus, & ut confidas in eo fuit secretum* Ioan. Giringelli. *Est etiam unum singulare in resoluendo, & mollificando materias splenis, uidelicet accipiendo radicem cyclaminis, siue panis porcini, quod idem est dissoluendo cum aliquo oleo appropriato, & est multum usuale in partibus* Romanis, *&* Neapolitanis, *& hanc aegritudinem longo tempore passus est princeps* Robertus Seuerinus, *quem empiricus quidam cũ hac radice sanauit, fiat itaque ex radice ista unguentum cum oleo, & super splenem ponatur, & ordinatur sic hoc unguentum.* Recipe *succi panis porcini, uel radicis eius succi senationis, olei communis, ana lib.i. olei amygdalarum dulcium ℥.i. uel olei spicae, & seminum portulacae, ana quantum sufficit, cerae parum, & fiat unguentum.* Giringellus *habebat hoc remedium pro secreto, scilicet* Recipe *florum genestrae, scolopendriae, foliorum salicis, thamarisci, radicum capparorum, ana* M.i. *bulliant in sufficienti quantitate aquae, deinde capiatur uesica in qua positum sit butyrũ liquefactũ, deinde ponatur haec uesica in uase in quo sit illa aqua calida, & ingenietur, ut stet submersa in aqua donec butyrum liquefiat, deinde accipiatur de butyro illo, quod participat uirtute illorum simplicium, & ex illo ungatur regio splenis, accipiatur etiam uesica alia illa decoctione plena, & ponatur super splenem, quare, &c.*

Cura cholice.

IN *cura doloris cholici seruabitur ordo Auicennæ, primo ponendo quosdam canones generales, postea ponendo distinctam curam secundum causas. Quantum autem ad curam generalem, primo oportet aduertere, ut non differatur cura cholicæ, quia cholica est dolor intensissimus cito uirtutis prostratiuus, ideo cito à principio est cum uarijs remedijs, & ingenijs succurrendum. Secundus canon est, quod in eis in quibus dantur induciæ primo exhibeamus clysteria, deinde solutiua per superius, non ergo primo exhibeamus medicinas solutiuas per os, quia talis medicina attraheret multas materias ad intestina, & tunc humores per partem inferiorem non poterunt egredi, & non potentes egredi regurgitabunt ad membra principalia.* Tertius *canon est, quod non administrentur medicinæ solutiuæ, quæ attrahant à remotis, quia talis materia faciens cholicam est in intestinis, & ideo illa, quæ ueniunt à remotis ad intestina non possunt transire propter oppilationem, & ita faciunt sæua accidentia, sed hoc intelligendum est quando materia cholicæ solum est in intestinis collecta, & non aliunde fluit, quia ubi flueret oporteret illam euacuare, ut si esset cholera fluens ab epate, quæ esset cholicæ causa, uel à cerebro, uel ab alio membro quamuis alia materia fluat. Si uero ab intestinis solum, est quartus canon, quod si in intestinis causetur excoriatio non debemus administrare fortia, & acuta clysteria, sed exhibeantur anodina, lauatiua, & sedatiua dolorem, quia talia bene conueniunt, & in casu*

huiusmodi can.bene euacuabimus per superius, sicut dicit Auicenna intelligendo per superius, id est, per uomitum ne materiæ transeuntes per loca excoriata magis læderent, & hoc modo exponit Nicolaus. Nota, quod & si uideatur contradictio inter dicta Auicennæ, quia prius dicit, quod non debent dari solutiua nisi prius sit de oppilata uia, deinde dicit, quod si non possumus aperire uiam inferiorem debemus dare solutiua, ibi enim intelligit de debilibus solutiuis, & non fortibus, in primo autem canone intelligit de solutiuis fortibus, quæ multum agitant: Nota etiam, quod Auicenna in isto capitulo, etiam in capite de apostemate epatis docet admiscere solutiua cum cibis sicut ibi notatum est, ideo aliqui componunt nebulas solutiuas cum scammonea, turbith, & esula. Quintus canon est, quod quando uenit cholica à causa frigida non debemus uti fortibus calefactiuis, quia ista multotiens augent dolorem, quia inueniunt materias grossas, frigidas, aliquando eas subtiliant, & in uentositatem conuertunt, & ita augent dolorem, & ideo licet Galen. 7. terapentices capite 15. recitat historiam de allio in cura cholicæ cum uino albo, ubi etiam dicit, quod ipsum est theriaca rusticorum, non tamen conuenit ubi stet repletio materierum, neq; alia fortia resoluentia sicut electuariū de baccis lauri. Sextus canon in usu clysteriorū est, quod æger debet se taliter situare, ut clysteria declinent ad locum doloris, itaq; post assumptionem clysterijs reuoluat se æger super locum dolentem. Septimus canon, quod si talia clysteria non possunt ingredi propter uētositatem, debemus iterum ac iterum reiterare, quia fortasse uento-

stitas erit egressa, uel mutata. Et Auicēna describit unam optimam formam clysteris, per cuius immissionem potest, & enema ingredi, & uentositas egredi, cuius descriptionem, & formam ponemus infra. Octauus canon, est in suppositorijs, & ipsa debent esse longa ad mensuram septem digitorum, ut uirtus eorum possit ad longinqua communicari. Nonus canon, in stupefacientibus est, quod non debemus cito à principio narcotica approximare, sed quando alia non sufficiunt, quia in paruo tempore redit postea dolor, & materia infrigidatur, & ingrossatur si fuerit frigida, si oppilatio magis oppilabitur, si uentositas magis ingrossabitur. Decimus canon est, quod extra debemus ista narcotica approximare in forma emplastrorum. Si uero per superiora, uel inferiora administramus ad intra, oportet, quod ista stupefactiua sint bene consolata, sicut egethea, philonium, &c. Canones autem speciales sunt isti: Primus sedatio doloris, quæ cum talibus ingenij completur. Primum est in causæ abscisione, et hoc ingenio uere curatur dolor, quia remota causa remouetur effectus, scilicet dolor. Sed in abscisione causæ quandoq; indigemus digestione, diuersione, resolutione, & tandem euacuatione, & ista non possunt fieri nisi per tēpus, & interim propter dolorem uirtus prosternitur, ideo indigemus alio ingenio, & secundo in ordine est administratio rerum anodinarum supra locum dolentem, quæ habeant caliditatem temperatam non excedentem primum gradum, & aliqualem humiditatem, quæ confortāt calorem naturalem, conferunt etiam, quia si mala complexio fuerit calida, confortando calorem naturalē red-

ditur uicina naturalitati, etiã propter humiditatem ista anodina faciunt laxare locum dolentem, & remolliunt ipsum, ideo quando fit extensio à uentositate potest membrum magis dilatari. Tertium ingenium est administratio narcoticorum auferendo sensum loci, & ita natura recipit aliquantulum iuuamentum propter stupefactiua, quando alia non sufficiunt, ut habetur quarta primi, capitulo penultimo de sedatione doloris. Cum ergo occurrimus alicui patienti, intẽsissimum dolorem oportet ipsum à principio remouere cum secũdo ingenio, quia sæpe causa non potest ita cito remoueri, ideo procedimus cũ anodinis mitigantibus dolorem per exterius, et per interius applicata. Per exterius autem applicamus in forma embrocationum, fomentationum, unctionum, emplastrorum, & balneorum. Per interius uero in forma clysteriorum, facimus autem à principio embrocationem ex rebus anodinis, faciendo cadere ab alto aquam decoctionis chamomilæ, meliloti, anethi, seminis lini, & fœnugræci, & ex malua, althea, & similibus ponendo istam decoctionem in uase facto sicut clipsedra, quod est perforatum multis foraminibus in fundo quo utuntur mulieres ad irrigandas herbas suas, sed hoc infirmis fastidiosum est, ideo practici procedũt potius cum fomentationibus, euaporationibus accipiendo magnam spongiam, & eam infundere in decoctione prædicta, & exprimendo, uel accipiendo uesicã, & eam implendo illa decoctione, & applicando loco dolenti. Inunctiones fiant ex oleis anodinis, ut ex oleo de chamomila, anethino, de semine lini, maxime quando est uentositas, uel replere uesicam oleo communi, & appone-

re loco dolenti. Quidam habent pro singulari secreto, accipere de fimo iuuencorum, & ledamine in quo mingunt boues, equi, & asini et putrefacto incorporando cum dictis oleis, et in forma emplastri applicant loco. Quidam accipiunt filum coctum in cineribus cum lixiuio, & sic calidum apponunt loco. Sed si ista non sufficiunt oportet deuenire ad balneum, quod fit ex decoctione dictarum rerum in uase ad sedendum in illa decoctione, ita quod aqua super ascendat locum dolentem, & ibi stet per mediam horam, uel per quartam partem horæ. Sed est notorium canon in impositione balnei, quia uirtus maxime prosternitur propter dolorem, parum cibum, & propter uigilias. Videmus ergo si uirtus est fortis, potens tolerare balneum, & tunc adhibeatur, & pro toto tempore balnei sint odores boni, & aromatici, lauentur pedes, & manus ex aqua rosarum, & uino aromatico, ut uirtus confortetur. Per interius autem possumus dupliciter exhibere, per superius, scilicet, & per inferius. Per inferiùs exhibemus clysteria ex anodinis, & decoctione prædicta, & ponatur in lib. 1. huiusmodi decoctionis. ℥.i. cassiæ, et. ℥.i. facchari, & erit lenitiuum uentris, etiam clystere ex brodijs pinguibus, & ponere duo uitella oui, etiam clystere ex solo oleo chamomilino, ut exhibẽdo de ipso lib. 1. etiã oleum de semine lini est singularissimum per clystere impositum, quia humectat, & lenit uentrem, et quidam habent hoc pro secreto: Per superius uero exhibentur ea, quæ habent talem uirtutem inter, quæ singularissima est aqua decoctionis chamomilæ, uel aqua sublimationis eius in secundo canone, capite proprio. Brodium etiam

gallinæ, uel carnis pinguis cum croco multum ualet, etiã ius galli. Aliquando uero dolor est ita uehemens, quod non sufficiunt anodina, & timemus ne uirtus deficiat, & in hoc casu oportet ad narcotica deuenire per superius, uel per inferius, Est tamen canon, quod non debemus huiusmodi narcotica à principio exhibere, quia ut dicit Auicenna in capite de cholica à materia frigida componunt rem maximi timoris, præcipue quando materia est frigida, quia addunt in causa, & si est uentositas, illa ingrossatur, & dolor redditur fortior, quàm prius per exhibitionem narcoticorum, & ideo solum in casu desperato, oportet ista exhibere, si enim uidemus, quod infra duos dies infirmus posset deficere, administremus ista stupefactiua, & apponamus ista magis per inferius quam per superius, ut faciendo clystere ex brodio gallinæ, admiscendo philonij Romani.ʒ.i.quod describitur 5.canone, sed est aliud philonium Persicum, quod ab Auicenna describitur tertio canone de cura sputi sanguinis, & habet uirtutem constrictiuam, sed primo practici communiter utuntur. Fit etiam in forma suppositorij accipiendo lanam, uel cotum, & ponere circa de philonio rof.& torquere in forma suppositorij. Aliud quo practici communiter utuntur est suppositorium de licio in quo ingreditur opium, & describitur ab Auicenna in capite de fluxu uentris excoriatiuo, sed oportet alligare cum filo, ut posit ad libitum remoueri, quia aliquando accideret, quod propter nimiam dimissionem poßet æger mori extincto calore, sicut cõtingit Papiæ in quadam muliere in qua superuenit subeth, & appoplexia, et mortua est, lau-

dat etiam Auicenna clystere ex aqua carnis,& ℥.i.opij, & ℥.i.castorei,castoreum enim corrigit opium,et est sicui bezoar ad ipsum, & dicit Auicenna,quod aliquando oportet solum opium ponere, quia dolor est ita intensus, quod cum debilibus non potest remoueri, sed consulo uobis,ut semper sint correcta. Nicolus autem Florentinus facit clystere ex uino aromatico cum sit calidum,& humidum,non tamen tale uinum debet esse multum antiquũ. Aliquando autem ista non sufficiunt per partem inferiorem,sed opus est transire ad fortiora,quæ per os sumuntur,& de istis sunt tria usualia.Domesticum est egethea, stupefacit enim,& resoluit propter castoreum,quod ingreditur.Si fortius uolumus est athanasia. Nicolai dando.℥.i.uel.℥.i.s.fortius autem adhuc est philonium de quo damus usq; ad.℥.i.Sunt etiã aliqua, quæ à proprietate ualent,ut stercus lupi, ut dicit Galenus 10.de simplici medicina recitans historiam de quodam,dicit quod os,quod inuenitur in intestinis lupi quando comedit aliquod animal,et non potuit bene masticare ossa,postea inuenitur in ipsius intestinis,si postea accipiatur,et suspendatur collo ualet,dicit Auicenna,quod debemus colligere illud stercus lupi, quod inuenitur super spinas,etiam intestinum lupi si suspendatur collo ualet.Si etiam in lana arietis,qui euasit à lupo inuoluatur huiusmodi intestinũ, & collo suspendatur ualet.Castoreum etiam est singulare, & laudatur ab Auicenna ratione proprietatis, & manifestæ qualitatis,est enim calidum, & siccum,etiam lumbrici terrestres dando.℥.i.cum uino albo,etiam cornu ceruinum dando.℥.i.cum uino albo in quocunq; tem-

pore poßunt iſta exhiberi. Scorpiones aßati ualent multum ubi talis cholica non prouenit ab apoſtemate, & dicit Auicenna, *quod per ſe ualent in dolore renali, & per accidens in cholica ſecundum ſcriptum* Antonij Vace, *qui ſcripſit ſuper* 16. *tertij, ratio quod per ſe ualeant in dolore renali eſt, quia frangunt lapidem per ſe, ſed quia dolor cholicus poteſt per communitatem renalis fieri, ideo remouendo dolorem renalem per ſe dicuntur remouere, dolorem cholicum per accidens.* Vel *dicitur aliter per accidens, quia ſolum à proprietate ualent, & non remouent cauſam in cholica, in renali uero dolore abſcindunt cauſam.* Ioannes Arculanus *dicit, quod prouocat urinam.* Ideo *dicuntur per accidens eo, quod prouocatio urinæ facit ad diuerſionē materiarum ad inteſtina fluentium, ſed iſta ratio parum uidetur ualere.* Quidam *medicus* Mediolani *habet pro ſecreto puluerem oßium, uel ſeminum neſpilorum, & potes exhibere cum ſemine aniſi coclearium unum.* Quantum *uero ad abſciſionem cauſæ, ſi materia fuerit phlegmatica dimiſſo regimine, conſiderandæ ſunt quatuor intentiones.* Prima *eſt lenitio uentris.* Secunda *digeſtio.* Tertia *euacuatio.* Quarta *reſolutio reſidui remanentis, & confortatio.* In *prima intentione conueniunt ea, quæ leniunt uentrem, qualia ſunt clyſteria ſicut dictum eſt facta cum caſſia, puluere ſacchari addēdo. ʒ. 5. hieræ ſimplicis, uel hiera logodion, uel diafeniconis, uel electuarij indi, & quando ſunt mollificatæ feces, poßumus dare per ſuperius. ℥. i. hieræ picræ, diafeniconis. ʒ. ij. uel electuarij indi etiam cum caſſia, & non debent iſta ſolutiua eſſe fortia à principio.* Secunda *in-*

tentio,

tentio,quæ est digestio fit cum syrupis de duabus radicibus,uel de quinq; radicibus cum oxymelle simplici,si materia est uiscosa cum melle rosato, & de istis satis supra dictum est, & cum aqua fœniculi,&c. Tertia intentio *est euacuatio,sed debemus commemorare canones in principio curæ dictos, euacuamus postea cum hiera gallinæ, quæ multum commendatur dando.℥.i.&.ʒ.ij.diafeniconis,uel electuarij indi, uel de algalia.* Item cum pilulis *descriptis in litera à Rasi,materia etiam, quæ est in uijs ductuum,potest euacuari sine digestione, quia etiam est maximus,& intensus dolor,ut patet in carminibus positis à* Iacobo Forliuiensi, & Hugone Senensi, *uidelicet sinocha cum cholica, phrenesis, squinantes, &* Antrax *materias crudas euacuare iubent.* Quarta intentio *est resolutio, quæ fit cum oleo rutæ,anethi,lilij, chamomilæ,addendo, carminatiua,ut cyminum,fœniculum,laurũ, abrotanum,pulegium,anisum, cum decoctione prædicta, conueniunt etiam confectiones calidæ, ut aromaticum rosatum,electuariũ de baccis lauri,diacyminum,diamuscũ, diagalanga. Si proueniat huiusmodi cholica à materia melancholica,uel à cholera,procedimus cum eiusdẽ quatuor intentionibus,* Primo dando *syrupos appropriatos.* *Si autem à fecibus mollificamus eas cum chamomila, althea,matribus uiolarum,semine lini,fœnugræci, faciendo emplastra cum butyro, oleo amygdalarum dulcium, etiam faciendo fomentationes,& clysteria ex prædictis, ut clystere ex solo oleo uiolarum.* Per *superius uero mollificamus cum cassia fistula,manna, & terebenthina dando.℥.i.ualet etiam ius galli,&* Auicẽna *dat modum quo-*

modo debet præparari, dicit enim capiatur gallus antiquus, & uerberetur adeò, quod multũ debilitetur, deinde euisceretur, deplumetur, abluaturq; cum uino albo imponendo intus polipodium, anisum, fœniculum, agaricum, turbith, secundũ diuersas intentiones, & consumetur usq; ad ossa, & damus de brodio eius usq; ad.℥.viij.uel.x. habet enim uirtutem solutiuam, & non euacuat à remotis. Dubium autem est de iure galli utrum sit calidæ complexionis, nam Auicenna in capite de cura cholicæ in generali dicit, quod est calidum, & tamen in cura cholicæ ex fece connumerat inter lubricantia frigidum. Dicit Gẽtilis, quod ius galli est frigidum respectu aliarum rerum magis calefacientium Antonius Vacca dicit, quod Auicẽna deficit in litera, inquit enim debet dicere: Et lubrificantia in frig. scilicet cholica sunt sicut iura pinguia, et proprie ius galli, &c. Vel dicit, quod debet poni calidũ, ut dicat sic: Et lubrificantia frigida, & calida sunt, sicut iura pingua, &c. Quia Auice. paululum ante dicit, & lubrificãtia frigida, et calida. Quidã alij dicunt, quod in decoctione galli ponuntur primo thamarindi, sebesten, ita ut multum cõsumetur aqua, & illa superant uirtutem galli, & ius erit frigidũ. Si uero proueniat cholica ab apostemate procedimus cura apostematis, & de istis satis dictũ est supra. Si uero à uermibus dicetur in capite de cura uermium. Si à malo situ intestinorum debemus reducere ad situm suum leuiter, & eleuentur crura ad superiora, et per motũ reducantur. Si propter rupturã oportet faciliter reducere intestina. Si à mala complexione, quod raro est cõsideremus qualis sit, et illã remoueamus. Si à uẽtosi-

tate, resoluamus illã, ut cũ electuario de baccis lauri, quod ponitur à Rasi, & hoc præcedẽtibus euacuationibus. Si pendet à materia in principio uero cum leuiori incipere oportet, ut puta cũ puluere anisi cũ uino albo, est etiam diacyminũ, diagalanga. Itẽ clysteria anodina, & carminatiua, ut cum chamomila, anetho, pulegio, calamentho, semine anisi, cymini, anethi, cum. ℥. iij. olei anethi, & ℥. i. hieræ picræ, & euaporationem cum decoctione prædictorum facere. Item uentosa magna posita supra locum, & iterata laudatur hic à Rasi, & 8. continentis, & ab Auicenna, et alijs clystere, & inunctio, ex oleo rutaceo, et cum omnibus carminantibus. Est autem canon aduertendus, quod in principio non sunt fortia exhibenda, quando materia est fouẽs, et ideo oportet facilia prius adhibere. Nota cano. singularẽ in hac cura cholicæ in exhibitione medicinarum quem ponit Rasis, & est optimus modus practicandi scilicet dare solutiua mixta cũ stupefactiuis, et isto modo practicandi utebatur quidam singularis doctor, scilicet Ioannes Arculanus, etiam nunc quidã medicus Mediolan. in hac cura consecutus est magnum honorem, quia illa stupefactiua remouent caliditatem pharmaci solutiui, & econtra pharmacum stupefactionem, & frigiditatem nimiam, quam poßet inducere stupefactiuũ & simul remouet dolorem; & euacuat, & ideo ista mixtio est conuenientissima & potest sic ordinari. Recipe hieræ simplicis, quæ est optima. ℥. vi. diafenicon. ℥. ij. electuarij indi maioris. ℥. i. philonij Romani. ℥. s. uel si dolor est fortis drach. i. misce. Si dolor etiam sit magnus, & uirtus fortis egetheæ drach. i. uel athanasiæ Nicolai

usq; ad ℈.4.*& hoc bene nota.* Electuarium de baccis *lauri est singularissimum in resolutione uentositatis, siue in cholica uentosa, quod describit* Rasis *in litera, & datur à*.ʒ.i.*usq; ad*.ʒ.i.ſ.*& est multum usuale.* Ioannes Arcu*lanus ponit de dicto electuario in clysterijs, quia uirtus ipsius prouenit ad locum, & ipse inuenit proficui iuuamenti, quia maiorem retinet uirtutem, dat etiam* Rasis *philonium* Romanum, *descriptionem illius, qui communiter habetur in usu, habes ab* Auicenna *quinto canone ubi loquens in persona philonij*: Ego *sum philonium qui separo inter mortem, & uitam.*

Forma enematis.

HAEc *est forma clysteris, quam non intelligunt multi, & quam describit* Auicenna, *scilicet, quod pars superior, scilicet cãna eius sit dupla ad partem inferiorem, & mediet inter has partes medium unũ, sicut paries diuidens partes illas, sicut est in duabus fistulis coniunctis, & habeat pars minor unum foramen in parte, quæ est prope coniunctionem bursæ clysteris, & aliud in opposito directo secundum longitudinem, quod sit apud foramen partis grossioris, per quam partem maiorem cui contiguatur maxime bursa transeat aquositas enematis imposita per utrem, per inferiorem uero cannam siue minorem pulsa ab enemate uẽtositate per utris compressionem, ipsa uentositas egrediatur.*

Cura fluxus cerebralis.

Nota primo, quod in cura fluxuum talis seruabitur ordo, quod in particularibus speciebus fluxus particulares ponētur curæ, quia ista materia fluxuum est mare magnum; & non potest una cura tota euacuari, ideo sicut dictū est succincte, & ordinate ponētur curæ singularium specierum, et primo fluxus cerebralis; qui prouenit uitio cerebri, & est ex eo, quod aliqua materia salsa, acuta, uel pungitiua descendens à cerebro, & hoc per catharros plurimos stimulat, & irritat uirtutē expulsiuā stomachi, & ita ante digestionem completam cibi uirtus conatur illum expellere, uel etiam multi catharri humidi humectantes superficiē intrinsecā stomachi, ratione cuius prouenit quædā lubricitas, & ita debilitat contentiuā, quare cibus nō potest in stomacho contineri debito tempore, sicut si manus essent inūctæ oleo, & lubricæ factæ non possent debite continere. Signa ipsius fluxus sunt catharri præcedentes, uel actualiter existentes, uel etiā quia euenit fluxus iste tempore pluuioso, uel etiā post somnū longū ex eo, quod in somno lōgo retinētur, uel multiplicātur, siue ingrossantur uapores multi, & ita faciētes catharrū sunt causa corruptionis cibi in stomaco, et ideo signa sunt corruptionis cibi, etiam mala cōplexio frigida cerebri. Cura istius fluxus est in duabus principalibus intētionibus, prima est ad mēbrū cōmunicans, secūda ad mēbrum cui cōmunicatur. Prima intētio cōpletur quatuor intentionibus particularibus supra cōmemoratis, prima debitū regimen catharri prohibitiuū;

secunda catharri digestio, tertia humorũ diuersio, quarta euacuatio, & remotio malæ cõplexionis, & hæc cura sufficiẽter dicta est in cap. de catharro, & cũ quibus debet cõpleri, quia sic calida frigidãtur, & ecõtra. Secũda principalis intẽtio est ad mẽbrũ recipiens, s. stomachum pro cuius cura recurrẽdũ est ad cap. de debilitate stomachi. Si. n. illa materia catharralis indiget digestione digeratur, & euacuetur, postea resoluatur, & mala cõplexio remoueatur, & hoc cũ fomẽtationibus, sacculis, uaporationibus, unctionibus, emplastris cõfectionibus, & singularissima in euacuatione est hiera simplex Galeni, quia nõ euacuat à lõginquis, similiter electuariũ diasenicõ, et electuariũ indũ, facere etiã fomẽtationes cũ uino in quo decoctæ sunt herbæ stomachales, ut absinthiũ, rosa, menta, spica, rosmarinus, pulegiũ, calamẽthũ, gariophyli, cinnamomũ, galãga, maxime quãdo uẽtositas cõplicatur, et cũ omnibus istis facere uaporationẽ seu formẽtationẽ simul cum uino aromatico, uel ex pulueribus istorum simul cũ aliquo oleo appropriato incorporatis facere unguentum, uel ex oleis prædictarum rerum inungere, uel ex iam dictis facere sacculum, etiam inungimus cum oleo masticino, de menta, de absinthio, de spica, &c. Etiam cerotum pro stomacho emendans uitia stomachi, & unguentum stomachale, hæc enim omnia tenentur confecta, etiam confectiones per interius assumptæ ualent, ut diagalanga, zinziber conditum, aromaticum rosatum, aromaticum gariophylatum, & cæteræ confectionis, quæ singulares sunt ad remouendum malam complexionem frigidam stomachi.

Cura lienteriæ.

Fluxus stomatichus prouenit ex eo, quod superfluitates remanent in stomaco, quia eius digestiua est diminuta, ablata, uel corrupta, & ita cibus aliquando complete, aliquando diminute digeritur, & istæ superfluitates aggregantur, aliquando propter difformitatem cibi, prouenit eo, quod una pars eius est digesta, alia uero indigesta, differunt dicere non totus digestus, & totaliter digestus: totaliter enim respicit qualitatem, totus uero respicit quantitatem, aliquando egreditur cibus in eadem quantitate, & qualitate qua sumitur, & hoc dicitur totaliter ablata digestio, si cibus corruptus, dicitur corrupta digestio, si diminute digestus dicitur, diminuta digestio. Prima causa lienteriæ dicitur debilitas contentiuæ, siue retentiuæ, quæ non gradat missionem cibi, & hoc clare exponit Gentilis. Secunda causa est remanentia solutiui in rugositatibus stomachi, quæ stimulat uirtutem expulsiuam, & ita quàm primum cibus est in stomacho expellitur. Tertia causa est de qua dictũ est propter debilitatẽ digestiuæ, uel propter materias phlegmaticas adhærentes parietibus stomachi, & ita parietes fiunt lubrici. Quarta causa est ulcus stomachi, quare cibus tangens ulcus mordicationem causat, & ita uirtus expulsiua cibum expellit. Quinta causa est ab humiditatibus, quæ profluunt ad stomachum, tamen hæc proprie non est stomaticha, sed secundum diuersa membra à quibus profluit materia. Sexta causa est propter uentositatem subleuãtem cibum, quare prohibet bonam fieri dige-

ſtionem. Alia cauſa eſt, & ſeptima propter dolorem ſtomachi reſolutis ſpiritibus. Octaua cauſa eſt ex parte ciborum licet hic proprie non ſit fluxus ſtomatichus, quia iſte non fit uitio ſtomachi. Sed pro complemento doctrinæ adducuntur omnes cauſæ, ut ſiquis propter nimiam ciborum quantitatem lienteriam incurreret, uel etiam ſumeret cibaria acetoſa, uel corruptibilia, ut ceraſa, melones, &c. De ſignis. Iſte fluxus non debet ordinem, ſed fit ſecundum cibi aſſumptionem, quia ſitu ſumis cibum, & non digeratur fit fluxus. Secundum ſignum, quod apparent egeſtiones cibales ſi nullo modo ſtomachus agit, in codē colore, et apparebit ſi corrupte lædatur cibus corruptus, ſi aliquis ſumat cibum aliquo tempore cito egredietur propter uitium retentiuæ, quia non poteſt gradare digeſtionem, & expulſionem cibi. Si propter ulcera eſt dolor fortisſimus cum aſſumptione cibi, etiam cognoſcetur ex eructuatione corrupta, & quia illa materia ſanioſa egreditur. Si eſt propter ſolutiuum ſentitur odor medicinæ, & punctio in ſtomacho, et quia ante non erat fluxus. Si propter nimiam quantitatem cibi ſentitur grauitas. Si ab alijs humoribus proueniat per uomitum, & ſeceſſum cognoſcemus. Si propter uentoſitatem erit extenſio, & erructuatio, & non grauitas. Pro cura fluxus ſtomachi Auicenna remittit ſe ad 13. fen. caput de lubricitate ſtomachi, tamen ſuccincte determinat de eo. Si proueniat à cibo cura uariatur ſecundum uarietatem cauſarum quia cibus poteſt eſſe maioris quantitatis, uel minoris quam debeat, uel groſſus, uel corruptibilis, iſte tamen non eſt fluxus ſtomatichus, ſed ex parte aliorum

se tenet. Cura ergo est ex parte cibi, quia si est corruptus uomitu, uel secessu est educendus, ut cum caßia, manna, uel cum aqua tepida per uomitũ. Si uero est in intestinis cum clysteri, et ita pro debita cura inuestiganda est causa. Si ex nimia quantitate prouenerit paucus exhibeatur, etiam si est nimis grossus, uel subtilis, frigidus, uel calidus, uel nimis unctuosus corrigatur, deinde remoueatur mala complexio stomachi si fuerit derelicta. Si uero prouenerit propter præsentiam nimiæ humiditatis in stomacho contentæ, sicut plurimum contingit, quatuor intentiones sunt obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda humorum digestio, tertia euacuatio, quarta stomachi confortatio. Primam intentionem, scilicet debiti regiminis docuit Rasis in litera cum iußit, ut patiens comedat incisiua, calefactiua, subtiliatiua, salsa, et acuta, & de hoc dictum est supra in capitulo debilitatis stomachi. Secunda intentio est digestio humoris phlegmatici, quæ fit cum conuenientibus digestiuis phlegmatis, scilicet cum melle rosato, syrupo de duabus radicibus, de absinthio, si non timemus retentionem materiæ in stomacho cum oxymelle simplici, etiam cum his, quæ dicta sunt in capite de debilitate stomachi cum aquis betonicæ, fœniculi, & absinthij. Tertia intentio est euacuatio in qua laudat Rasis uomitum, & solutionem uentris, de quo uomitu uidetur dubium, quia Auicenna in cura fluxus stomachi uituperat ipsum uomitum, cum etiam dictus Auicenna 13. tertij capite de lubricitate uentris, etiam laudet ipsum uomitum. Respondetur quod si materia est in fundo magis apta descendere, tunc non con-

uenit, sed per partem inferiorem euacuari debet, & ad istum intellectum Auicenna *uituperat uomitum. Si autem materia fuerit in parte superiori stomachi, & corpus dispositum ad uomitum laudatur, etiam ut,* Rasis *quod si uomitus non sit sufficiens soluamus.* Et *debet commemorari canon, sæpe superius dictus quod solutiua à longinquo non attrahant.* Et *de istis sunt sicut pilulæ elefanginæ, masticinæ, de hiera simplici, dando* ℥. ʒ. *& si corpus esset robustum, & non posset solui per solam hieram de qua dicit* Auicenna, *quod cum stat ambiguitas de materiebus in stomacho nulla est conuenientior medicina, addimus tunc diafeniconis* ʒ. *ij. et licet, ut alias dictum est in diafenicone ingrediantur solutiua à remotis trahentia, tamen uirtus eius non pertransit epar, ut dicit* Gentilis *quinto canone, eo quod dactili inuiscant huiusmodi medicinas, conuenit etiam diacitoniten solutiuum, quod ratione citoniorum non attrahit à remotis.* Quarta *intentio est confortatio stomachi, & remotio malæ complexionis, cum his quæ per interius, & exterius administrãtur.* De *exterius administratis sunt inunctiones factæ ex calefacientibus, & humectãtibus habentibus uirtutem stipticam, ut cum oleo de spica, de absinthio, de thymo, mastice, menta, de citonijs.* Item *capimus mentam, absinthiũ, squinantum, spicam, rosas, balaustias, cortices granatorum, cũ cynnamomo, cipero, gariophylis, calamo aromatico, & ex istis facimus cerota, & unguenta.* Item *fomentare stomachum ex decoctione facta in uino nigro stiptico, cum galanga, cypero, cinnamomo, & alijs antedictis & stomacho applicare cum*

ſpongia, uel ueſica, etiam ex pulueribus iſtarum rerum facere ſacculos. De *interius autem applicatis eſt aromaticum roſatum, diacyminum, diagalanga, zinziber conditum, & myrabolani, chebuli conditi, dando duos in hebdomada multum ualent ante cibum, diacitoniten etiam de ſaccharo cum ſpeciebus in cauſa frigida, & ſine ſpeciebus in cauſa calida, etiam miua citoniorum aromatica confortat uirtutem digeſtiuam, & facit ad debitam retentionem dando duo coclearia ante cibum. Syrupus etiam de menta, & de abſinthio, ſi eſt à debilitate digeſtiuæ et retentiuæ, debemus eas confortare per interius, & per exterius adminiſtrata ſicut ſupra dictũ eſt.* Coriandrum *etiam conuenit de quo dicit Auicenna, quod retinet cibum in ſtomacho, & eſt fortis impreßionis.* Si *autem cauſa ſit materia calida, quæ faciat fluxum conſimiles ſunt habendæ intentiones, & quatuor, prima eſt debitum regimen, quod debet eſſe frigidum, ſecunda digeſtio humorum, tertia euacuatio, quarta confortatio & remotio malæ complexionis calidæ, & in his procedamus cum digeſtiuis appropriatis contrarijs cauſæ ſcilicet frigidæ, ut euacuare cum myrobolanis, citrinis in ſubſtantia, uel in infuſione.* Vlterius *remouemus malam complexionem calidam, & confortamus cum infrigidantibus, ut cum iulep roſarum, ſaccharo roſarum, diarhodon abbatis, & decoctione communi, ſyru p. roſarum, de granatis, de citonijs, confectione triaſandalorum. Si uero proueniat propter ulcera, primo oportet abſtergere, ſecunda conſolidare, ut in capite de phtiſi dictum eſt. Si proueniat à uentoſitate, & materia ſi fauens*

digeratur, & euacuetur, deinde resoluatur uentositas cum electuario de baccis lauri, & alijs de quibus dictum est in capitulo de cholica. Si uero proueniat à dolore stomachi recurratur ad capitulum de cura doloris stomachi, quare, &c.

Cura dissenteriæ.

IN cura dissenteriæ quatuor intentiones sunt obseruandæ, prima est debitum regimen, secunda uertitur ad causam dissenteriæ, tertia excoriationē, quarta intentio est restrictio fluxus. In prima ergo intentione, quia excoriatio fit propter humorem calidum debet esse declinans ad frigiditatem. Aer ergo est ad frigidum alterandus. In cibo uero oportet aliquos canones obseruare. Primus canon, quod cibaria non sint ualde acuta, nec salsa, nec acetosa, ut allea, porri, cæpæ, zinziber, cynnamomum, acetosa etiam cum multo aceto, salsa cum multo sale, dicit Auicenna, quod cibaria non debent habere nimiam salsedinem, nec nimiam acetositatem, uolens innuere, quod sint aliqualiter acetosa, quia nocumentum communicatur stomaco, ideo oportet quod aliqualiter incitetur appetitus, quia uirtus appetitiua est prostrata. Secundus canon, quod cibaria sint paucæ quantitatis, ut membra sint auara, & ita retinebunt humores, & non potuerunt fluere, & licet dicat Auicenna stent per duos dies non tamen est hoc tempore sic faciendum, sed cum subtili dieta debent stare. Tertius canon, quod cibaria sint actualiter frigida, quia frigidum facit ad constrictionem, ideo uitentur calida cibaria etiam actua

liter. Quartus canon, est quod non sint illa cibaria diuer se naturæ seu speciei, imo dimittatur diuersitas cibariorum. Quintus canon, est quod cibaria sint facilis digestionis, & sint boni nutrimenti, causa clara est, & uelocis digestionis, quia stomachus est debilitatus, etiam quia non potest longo tẽpore permanere cibus in stomacho, & propterea Auic. laudat epar gallinarum, testiculos gallorũ, oua sorbilia, quæ tamen non sint dura, siue nimis assata, nec nimis mollia, siue elixata, quia mollia uẽtrẽ leniũt, dura uero sunt difficilis digestionis. Itẽ aqua carnis, & contusum carnem, etiam de milio farre, panico rizo, quod aliqualiter torrefiat hoc modo. Habeatur tegula, & rizum superponatur qua posita super ignem rizum circumuoluatur super tegulam, lentes etiam excorticatæ laudantur, etiam lac acetosum, quod sic præparatur. Dimittatur per noctem in aere sereno, postea in mane butyrositas extrahatur, & capiatur acetositas. Et si uolumus, quod si magis constrictiuum extinguamus in eo lapides ignitos, uel calibem ignitum ter, uel quater. uinum autem non conuenit nisi sit uirtus debilis, & si exhibeatur sit stipticum, uel sit bene temperatum cum aqua extinctionis ferri, uel calibis, aqua enim ferrata, uel calibeata restringit, & confortat membra naturalia etiam retinet fluxum, uel etiam cum aqua decoctionis seminum coriandrorum conuenit etiam ponere aliquantulum de iulep rosarum, uel saccharo rosato, uel aqua decoctionis sumach, uel aqua berberorum. In alijs etiam regimen debet esse frigidum, & stipticum, quia talis excoriatio, ut plurimum à materia calida prouenit.

Secunda intentio principalis respicit causam excoriationis, & ideo dicit Auicenna si est fluens talis causa stude in abscisione, ita quod oportet omnes causas seruare. Si ergo est materia cholerica, & fluxit primo, et eduxit muscositates, postea cortices, & ita sanguinem uidemus, & cum hoc continuat fluere cholera, & ideo non praecedente digestione euacuare debemus, quia cōtinue fluenti augeret excoriationem, practici quàm primum uidēt fluxum excoriatiuum statim abscindunt causam fluxus non expectando digestionem, & ita cito exhibent solutiua, tamen aduertendum est ne exhibeantur solutiua, quae noceant loco ulcerato sicut scammonea, & omnia scammoneata, sicut diaprunis solutiuum, electuarium rosarum, propter quod Auicenna, & alij autores laudant myrabolanos citrinos, propter stipticitatem, sed pro remotione eorum asperitatis admiscent dragagantum, uel ut communiter faciunt practici admiscent iulep rosatum, habet enim uirtutem infregidatiuam, & lenitiuam, uerbi gratia sic ordinando. Recipe myrabolanorum citrinorum subtiliter puluerizatorum ʒ.i. s. iulep rosati, uel uioiati ℥.i. cum aquis buglossae, plantaginis, & similibus, & fiat potio, ponunt etiam aliqui aliquid de rheumbarbaro licet nonnulli uituperent, possumus etiam dare dictos myrabolanos in infusione, uerbi gratia sic ordinando. Recipe myrabolanorum citrinorum ℥. s. contundantur, & infundantur in aqua calida quantum sufficit, deinde bulliant duabus, uel tribus bullitionibus, postea, fortis fiat expressio, cui addatur rheumbprbari electi subtiliter puluerizari ʒ.i. uel ℈. iiij. syrupi rosati

℥.i.misce et fiat potio. Solutiuum aliud magistri Balasij Astarij doctoris celeberrimi. Recipe corticum myrabolanorum, chebulorum ℨ. iij. myrabolanorum citrinorum ℨ.ij. passularum enucleatarum ℨ.i. spicæ parum incidantur, uel conterantur minutim, & infundantur in aquis plantaginis, absinthij, & buglossæ, ana quantum sufficit, & ponantur ad bulliendum duodecim bullitionibus, uel circa, deinde facta infrigidatione bene manibus fricentur, & fiat ipsorum debita expressio cui addatur diacatholiconis ℨ.iij. rheũbarbari subtiliter puluerizati ℨ.ß. misce & fiat potio. Nota quod aliquando practici torrefaciunt rheumbarbarum super tegulam calefactam re uoluendo ipsum, ut partes acutæ resoluãtur, et remaneãt solum partes stipticæ, sed ista torrefactio à principio non esset conueniens, quia adhuc est magna quãtitas materiæ in corpore. In processu uero quando maiori indigemus confortatione quàm euacuatione, quia euacuata iam est materia, tunc talis torrefactio multum conuenit. Et nota quod licit Auicenna hic multum laudet rheumbarbarum, non tamen laudat ipsum in intentione euacuandi, sed stipticandi, & restringendi, quia addit post de glandibus, & rosis, nec inuenitur aliquis textus Auicennæ, qui dicat quod soluat, habes tamen ipsum esse solutiuum ab Auerroe quinto colliget, & Mesue. Facta autem aliquali euacuatione à principio, postea digerimus materiam facientem fluxum, & ita secunda die practici communiter dant syrupos uidelicet. Recipe syrupi rosarum ℥.i. syrupi de endiuia ℥.ß. aquarum rosarum, plantaginis, & endiuiæ, ana ℥.ß. misce. Iste enim syru-

pus ingrossat, digerit, infrigidat, & stipticat. Nota tamen quod isti syrupi non debent esse à principio nimis stiptici, tunc quia febris mala coniungitur, tunc etiam, quia non intendimus talem materiam retinere. In processu uero exhibentur isti syrupi, scilicet syrupus rosarum, de citonijs cum aquis acetosis rosarum, & plantaginis. Facta autē digestione materiæ eradicatiuæ euacuamus, & relinquimus uestigium stipticitatis dando myrabolanos in substantia, & rheumbarbarum, & tunc bonum est torrefacere rheumbarbarum sicut supradictum est. Postea uero facta euacuatione debet epar epithymari cum sandalis, rosis, aqua rosarum, endiuiæ, spodio, & alijs, & hoc ieiuno stomacho deinde stipticare oportet. Tertia intentio principalis est curatio excoriationis intestinorum, & hoc diuersimode procedendo secundum, quod huiusmodi excoriatio diuersificatur. Nam aliqua est excoriatio cum ulcere aliqua sine ulcere. Illam autem, quæ est cum ulcere cognoscimus quando egreditur materia saniosa, quod etiam aliquando fit à principio, ideo aliquando oportet nos lauare, et aliquando conglutinare. Si enim uidemus à principio egestiones sanguinolentas debemus lauare intestina ne materia figatur in ipsis, & hoc completur cum clysteribus lauatiuis, quæ sic fiunt. Recipe aquæ hordei lib. i. uitellos ouorum numero. 2. sacchari rubei ℥. i. hoc enim clystere abstergit materiam illam, quæ figeretur in intestinis, & hoc quia non poterit longam moram trahere in intestinis, & etiā quia clystere remouet acuitatem humoris excoriantis. Fit enim unum aggregatum ratione cuius non poterit

exco-

excoriatio induci in intestinis. Singularissima enim sunt clysteria in hac cura. Et oportet, *ut à principio ista administrentur, quia si profundaretur postea non euacuaretur.* Ego *enim fateor me multos curasse solum cum administratione horum clysteriorum.* Aliquando *autem mucositates solæ sunt euulsæ, & non profundata est excoriatio, imo nec inchoata, & tunc oportet procedere, cum clysteribus glutinatiuis, et uiscosis, quia adhærēt intestinis, & faciunt uestem supra tunicas intestinorum, & ita practici communiter faciunt ordinando tale clystere.* Recipere *albuminis ouorum, gummi* Arabici, *adipis renum caprarum, uel sepi, ana* ʒ.ij. *olei rosati* ℥.i. *ne adeps ita cito congeletur, boli armeni, dragaganti, ana* ℥.i. *cum aqua hordei si quærimus cum hoc absterſionem, & lauare, uel cum brodio pingui, si uolumus conglutinare magis* ℥.x. *misce pro clysteri, ponere etiam cum istis butyrum iuuaret.* Aliquando *tamen materia retinetur propter istorum uiscositatem, ideo oportet postquam modico tempore stetit clystere hoc conglutinatiuum, quod factum fuerat post debitam intestinorum lotionem, iterum administrare clystere lauatiuum.* Deinde *iterum conglutinatiuum, ut deficiat excoriatio, & prohibeatur per istum modum:* Ponitur *etiam aliquando succus plantaginis in his clysteribus, qui laudantur ab Auicenna.* Cognito *deinde quod sit abscisa causa, quia puta non plus fluit de materia cholerica, neque mordicatiua, sed solus sanguis, uel mucositas, tunc consolidamus, & primo uidemus si oportet abstergere, et lauare quod facimus cum clysteri lauatiuo, postea facimus clystere*

incarnatiuum faciendo decoctionem ex rosis, balaustijs, corticibus granatorum, sumach, & semine coriandri, semine berberorum, & gallis, ex qua decoctione accipiatur lib.i. cui addatur boli armeni, sanguinis draconis, terræ sigillatæ, thuris, ana ʒ.i. uel trochis. de terra sigillata ʒ.ij. addendo uitellos ouorum numero duos, ut adhæreat intestinis. Et hæc omnia fiunt ubi sit excoriatio sola, & pura. Si uero sit excoriatio cum ulcere in cura sunt duæ intentiones obseruandæ. Prima est absterfio, & mundificatio. Secunda est consolidatio. In prima intentione cum uidemus, quod egreditur pus, uel sanies ab ulcere, procedimus in cura faciẽdo clystere absterfiuum, et mundificatiuum ex aqua decoctionis furfurum frumenti, uel ex aqua mellis, uel ex brodio cicerum rubrorum, uel ex aqua lactis caprini, uel ex urina, uel ex lixiuio, quia fortius est. Aliquando etiam ex uino rubeo, quia abstergit, & confortat, et cum istis possumus miscere mellis rosati ℥. ij. Si autem hæc non sufficiunt accipiamus aquam decoctionis piscium salitorum, & aquam oliuarum salitarum. Si ista non non sufficiunt uenimus ad fortia, scilicet accipiendo trochiscos de arsenico, & ita cum istis abstergimus, & mundificamus locum ulceratum, & semper tibi maior sit cura ad abstergendum, & mundificandum, quàm ad consolidandum, quia & si non administras consolidantia, dummodo bene abstergas, & mundifices natura ex se postea incarnabit. Secunda intentio est consolidatio qua facta optima mundificatione & non fluente amplius tali materia, possumus ponere eam in actu practico administrando clysteria consolidatiua, &

conglutinatiua cum rebus stipticis, ut cum decoctione lentium, rosarum, balaustiarum, imponendo de bolo armeno. De *terra sigillata, & de alijs de quibus dictum est supra, tamen nunquam recedas ab absterſione, & mundificatione, quia ut dictum est natura de se incarnabit.* Quarta *& ultima intentio principalis est restrictio fluxus.* Aliquando *enim propter superfluum fluxum timetur casus uirtutis, & ideo oportet istum fluxum retinere.* Et *etiam quia aliquando non fit ex materia mala, quia iam euacuata est sed fit eo quod uiæ sunt laxæ, & debilitatæ.* Retinemus *autem fluxum cum his, quæ per interius, & per exterius administrantur.* Per *interius conuenit syrupus rosatus, myrtinus, de citonijs, de granatis, & his similes.* Conueniunt *etiam trochisci de spodio cum semine acetosæ, dando ℥.i. ante cibum.* Etiam *confectiones, ut saccharum rosatum, imponendo corallos rubeos, uel spodium, uel accipiendo codognatam sine speciebus, uel de syrupo de citonijs.* Si *uero hæc non sufficiant ad narcotica deueniendum est.* Ipsa *enim dolorem remittunt, inducunt somnum, immobilitant humores.* Sed *bene consideranda est uirtus in administratione istorum narcoticorum.* Non *enim dentur illi cuius uirtus est debilis, extinguerent enim illum paucum calorem.* Et *huiusmodi quandoque administrantur per superius, quandoque per inferius.* Per *inferius autem est suppositorium de licio descriptum in litera à* Rasi. Et *tenetur confectum in apothecis.* Et *debemus semper appendere cum filo, ut poßimus ad placitum remouere.* Et *dicit* Auicenna, *nos testificamur, &c.* Per *superius*

conuenit athanasia dando à ℥.i. usque ad ℨ. iiij. & aliquando ponimus in clysteri dissoluendo eam in ipso per exterius. Conueniunt inunctiones factæ ex oleo citoniorum, masticino, & myrtino, aspergendo supra de puluere corallorum, rosatorum, masticis, boli armeni, sanguinis draconis, singularissimum est emplastrum diafenicon descriptum à Mesue, sed describit duo. Vnum in intentione calida, aliud in intentione frigida, & istud tenetur confectum, & capitur pannus grossus, & ponitur supra uentrem, & iterato renouamus. Aliqui faciunt suffumigia cum uino rubeo stiptico supra ferrum ignitum fumum recipiendo, uel igniunt scoriam ferri, & similiter faciunt, uel ut communiter fit ponere manus, & pedes in decoctione stiptica. Talis enim uirtus stiptica communicatur stomaco, & intestinis. Si autem fuerit solus fluxus intestinalis lubricatiuus cura est eadem cum cura stomachi, & non est diuersitas nisi in hoc, quod in fluxu stomachi medicinæ magis per superius administrantur. Sed in fluxu intestinali, sine excoriatione, & debilitate digestiuæ magis per inferius, et per clysteria procedimus. Et si est materia phlegmatica euacua, ut supra, in cura fluxus stomachi, quare, &c.

Cura fluxus splenetici.

SI fluxus proueniat propter debilitatem uirtutis attractiuæ splenis, uel propter oppilationem, curetur sicut dictum est in capitulo de dolore splenis. Et ibi ampla est cura ad resolutionem. Multum ualet oleum capparorum, oleum de lilio, de genesta agresti, & aliæ

res appropriatæ spleni. Aqua scolopendriæ multum appropriatur spleni, etiam tamarisci, euacuatio fit cum myrabolanis indis, uide ibi, quare, &c.

Cura fluxus intestinalis, qui dicitur tenasmon.

T*Enasmon est appetitus uehemens egerendi absque egestione notabili, respectu illius appetitus quem habet.* Nota *quod cum dissenteria quasi semper complicatur tenasmon ex eo, quod locus excoriatus stimulatur ad egerendum, licet non sit materia, uel pauca egerenda. Et etiam quia multotiens materia uirulenta egreditur à tali ulcere, & figitur in extremitate intestini recti, & causat talem appetitum, & hic nota. Si causa istius fluxus fuerit cholerica, uel phlegmatica salsa, curatur cum clysteribus lauatiuis, ut cum aqua hordei, saccharo, & duobus uitellis ouorum in calida, in frigida cum melle rosato, aqua lactis, brodio cicerum, &c. Si causa fuerit apostema debemus curare secundũ modũ apostematis, scilicet cum clysteribus mollificantibus. Vel etiam si causa sit fex sicca curetur cum mollificantibus per superium, & per inferius, ut supra dictum est in cura cholericæ. Vulgares accipiunt tabulam paruam ligni fortis, ut puta nucis, & calefaciunt, et cũ illa actuali caliditate apponunt ano, & aliquando inungunt ipsum sepo hircino, quia per calefactionem illam si est propter frigiditatem, uel uentositatem remouetur. Si uero sit uentositas practici faciunt sacculos ex chamomilla, uel ex floribus tapsi barbassi. Mirabilem enim habet proprietatem in tenasmone, uel faciunt ista bul-*

lire cum uino, & exprimunt, & postea cum actuali caliditate ponunt supra uentrem. Quando autẽ superfluit fluxus, & timemus defectionem uirtutis debemus ipsum restringere, et utimur emplastro diafeniconis, quod describit Mesue, sicut supra dictum est. Suppositorium etiã de licio multum confert. Hoc tamen est in intentione stupefactionis, & describitur à Rasi, & sicut supra dictum est, administratur cum filo appenso, ut poßimus ad placitum remouere, ne propter nimiam moram eius somnus nimis profundaretur, et sic esset periculum de morte infirmi. Et ideo hoc sit ultimum remedium. Per superius administrantur trochisci, de opio confectio, de storace, ut dictum est supra, usualis est athanasia Nicolai à ʒ.i. usque ad ℈.iiij. Si autem proueniat à repletione, tunc est bonus, & non debet restringi. Si à debilitate contentiuæ est, tunc confortanda cum pulueribus supra scriptis. Si uero à liquefactione tunc debet illa caliditas remoueri, quare, &c.

Cura fluxus epatici.

Cura fluxus epatici diuersificatur secundũ diuersitatem causarum, & ideo oportet bene considerare causam illius, & quia talis fluxus epaticus dependet ex specialibus causis epatis, ideo autores breuiter tractant, & ista causa asſignatur à Nicolo. Alia causa à Conciliatore differentia 22. aßignatur, quia ipsi parum, uel nihil sperant de cura, & ibi allegat Galenus quinto de interioribus, qui dicit, quod multi mortui sunt propter defectum curatiuum, & quod aliquan-

do materia profluit ad intestina, & ulcerat. Et ipsi habebant oculum ad solā ulcerationem, & attendebant ad epar, & retinebant materias. Oportet ergo considerare causam, et abscindere. Propterea dicit Auicenna. Oportet ergo, ut redeas, & cures apostema, & opilationes, et alias causas. Cum enim feceris hoc, iam curasti. Prima ergo species fluxus epatici est chilosus fluxus, qui potest prouenire ex debilitate attractiuæ à frigida causa, uel propter oppilationem epatis. & in cura istius tres intentiones sunt obseruandæ. Prima est digestio. Secunda euacuatio. Tertia remotio malæ cōplexionis, & epatis confortatio. Pro prima intentione conueniunt syrupus de duabus radicibus, de quinque radicibus cum aquis appropriatis, ut fœniculi, absinthij, cuscutæ, apij prassij, quæ omnes sunt aperitiuæ. Et etiam digeramus humorem phlegmaticum. Optimus est syrupus de cicorea, qui à Nicolo describitur pro diuitibus. In causa autem calida possumus refrigerare dictos syrupos cum syrupis de endiuia, cum syrupo rosarum, cum aquis endiuiæ, cicoreæ, & alijs. Secunda intentio est euacuatio, in qua oportet cauere ne euacuemus cū rebus nocentibus epati, ideo uti debemus rheumb. in infusione. Item cum agarico, qui ualet ad oppilationes saltem cum rheumbarbaro fiat. Tertia intentio est remotio malæ complexionis epatis, quæ completur cum trochiscis, confectionibus, & electuarijs, ut cum trochis. de lacca, cum trochis. de rheumb. electuarium etiam diacalamenthum conuenit dando ʒ.i. usque ad ʒ.ij. conuenit etiam diacurcuma, dialacca, et noli semper procedere cum uno remedio iuxta sen-

tentiā Auicennæ quarta primi,capitulo primo.In chronicis ægritudinibus,&c.sed in una hebdomada cum ℥.i. uel.i.s. uel ij. de dialacca, alia cum syrupis, alia cum trochiscis,& caue ne constringas fluxum saltem à principio, & hæc est cura fluxus chilosi. Nota etiam quod dicit Auicenna. Multotiens linit insipiens epar in hac ascellatione cum inspissantibus sanguinem,& extinguentibus epar per hoc quod sunt frigida;& in hoc est mors. Si uero fuerit causa debilitas epatis, recurre ad curam debilitatis epatis. Oportet enim,ut uigoretur epar,maxime in fluxu lotiuo. Et caue ne perducas epar ad augmentum causæ,ideo oprtet considerare eam, quia si debilitas epatis sit à causa frigida, cnm calidis procedimus, & econtra. Quia ergo,ut solum est frigiditas,ideo procedimus cum caliditate, & laudat Auicenna pistacia, idest, fisticos. Rosa Anglica cauat, & ponit unum electuarium quod ipse appellat de cubebe,quód est singularißimum,cuius laudes ab eo uide,& cum eo possumus administrare aliquid de rheumbarbaro. Inter alia autem, quæ epati conferunt,est epar adip siue lupi,dando in mane cochlearium unum.Optime etiam sunt passulæ,multū enim commendantur ab Auic.ut in cap. de rebus conuenientibus epati,& in capitulo de cura malæ complexionis calid.& frigid. epatis, & in capitulo de debilitate epatis,et in capitulo præsenti,dicit.Etiam laudatæ sunt passæ pingues in hoc capitulo,ita ut quidam æstimauerunt,quod ipse sanant fluxum lotiuum difficilem,& nos quidem iam experti sumus illud, & debent passæ in frigiditate esse dulces,et pingues. In caliditate uero acetosæ.

Comendatur etiam ſpodium ſecundum commune dictum: Gaudet epar ſpodio, & ſi uis ſtipticare da paſſas cum armilis, & granis ad intra contentis. Et ſi non uis ſtipticare da ſine illis, & dentur coclearia duo ante cibum. Accipiantur etiam paſſæ bene piſtatæ, & cribellatæ cum ſetacio, deinde conficiantur cum ſaccharo, & ſi uis potes ponere de ſpodio, uel de alijs epati appropriatis, & fac cõfectionem, uel electuarium, ualet enim multum propter hoc, quod penetrat melius ad epar, & hoc nota. Singulariſſimum etiam eſt electuarium hoc, quod ſit à me deſcribitur. Recipe diacurcumæ, paßularum, ana. ℥. i. rheubar. epatis adip, ana. ʒ. i. & ſi uis contemperare calida, addas ſpodij. ʒ. 5. cum ſyrupo de biſantijs, & fiat electuarium. Valet etiam epatica herba, quæ naſcitur in puteis, et locis aquoſis. Optimum etiam eſt rheumbarbarum. Nam bonum eſt exhibere in qualibet hebdomada. ʒ. i. & Giringellus dabat omni die ℈. i. de quo loquitur Nicolus de mente Gerardi, abſinthium, ſimiliter optimum eſt, ut ex adminiſtratione eius in cibo, & potu, multum rectificatur epar. Singularisſimum eſt etiam electuarium de uino, deſcriptum ab Auicenna ſupra de mente Galeni. Et cum iſto illuſtrisſimus dux Barri, qui paßus eſt hunc fluxum per dimidium annum, curatus fuit, et maxime ualet in cauſa frigida, in cauſa uero calida admiſcemus cum eo ſpodiũ, ſpecies diarhodon Abbatis, trochiſcos de ſpodio, ſpecies triaſandalorum, & ſimilia. Etiam ſyrupus de abſinthio in cauſa frigida multum ualet, ſyrupus uero de cicorea Nicolai, uel Guilielmi Placentini in cauſa calida eſt bonus, ubi ſit fluxus aquoſus, ſimiliter ualent prædi-

cta, & stat intentio confortandi cum calidis. Si uero sit fluxus cholericus detur syrup. de endiuia, de bisantij cum aqua endiuiæ, cicoreæ, trochiscis, de spodio cum semine acetosæ. Diarhodon Abbatis, uel descriptione communi, & triasandali. Si fuerit sanguineus dimittatur, ubi sit fluxus uirulentus remittatur caliditas epatis cum frigidis, immediate dictis, & epithymatibus, ubi sit diuersorum colorum, uigora omnes uirtutes epatis, cum his, quæ dicta sunt in capite debilitatis epatis cum cinnamomo, &c. Si causa sit frigida cum melle rosato, ubi autem sit saniosus abstergе cum aqua lactis, cum aqua hordei, cum saccharo, cum aqua cicerum rubrorum, & alijs de quibus dictũ est supra, postea cõsolida cũ rebus supra dictis, &c.

De cura fluxus cibalis.

IN *cura fluxus cibalis tres intentiones sunt obseruandæ, prima est abscisio causæ, secunda est mũdificatio intestinorũ, & stomachi, tertia est remotio malæ complexionis, & stomachi confortatio. In prima intentione procedimus à principio abscindendo causam. Si causa sit nimia quantitas cibi, sumant paucam quantitatem. Si uero causa sit ciborum corruptibilitas, quia, scilicet comederit cibos malos, & facile putrescibiles, illos dimittat & bonos capiat. Si uero causa sit oleaginea & unctuosa, sumat stiptica. Secunda intentio est mundificatio stomachi, & intestinorum. Si enim illud, quod cooruptum est in intestinis continetur, leniemus uentrem cum clysteribus lenitiuis, ut cum lib. i. decoctionis communis, cum. ℥. i. cassiæ, & ℥. s. pulueris sacchari. Si uero materia in stoma-*

cho cõtineatur dabimus casſiæ electæ.℥.i.uel.ʒ.x.uel mannæ electæ.℥.ij.uel pilularum elefanginarum ℈.iiij.uel hieræ ſimplicis Galeni.℥.i.Tertia intẽtio eſt remotio malæ impresſionis factæ à corruptione ciborum,& confortatio ſtomachi,ut,uerbi gratia, ſi quis comederit cucumeres cũ aceto,& agreſta præparatos,ex quorum comeſtione impreſſa fuerit mala complexio frigida,illã enim remouebimus cum inunctione olei de abſinthio, de ſpica cum unguento ſtomachico, etiam fomentando cum abſinthio,galanga,ſquinanto, & capiendo alias res ſtipticas, & bulliendo cum uino rubeo ſtiptico, & euaporare cum ſpongia,poſtea dare ſyrupos de menta,de abſinthio aromaticũ roſatũ,diagalanga,diacyminũ, & alia cõfortantia ſtomachũ, quæ ſupra ſæpius numerata ſunt,ibi recurras ſi iſtorum copiam uis ſecundum diuerſa ingenia, &c.

De cura fluxus ex diſpoſitione aeris.

SImiliter in iſta cura tres intentiones obſeruantur, prima eſt abſciſio cauſæ, ſecunda eſt euacuatio,tertia confortatio membrorum laxorum. In prima intentione,quæ eſt abſciſio cauſæ,ſi proueniat fluxus ex forti frigiditate aeris, oportet ponere infirmũ looo calido, &c.De alijs rebus naturalibus ſemper contrariãdo cauſæ,ut etiam ſi ex calido,uel humido fiat cõtrariũ.Secunda intentio eſt euacuatio,ſi aliquid de materia in ſtomacho cõtinetur,quæ iam ſit fluxa oportet ipſam euacuare, & de hoc dictum eſt ſupra,puta de his,quæ conueniũt ad hanc intentionem, ſicut eſt hiera ſimplex Galeni. Tertia intentio eſt membrorum, quæ ſunt laxa confortatio,

cta, & stat intentio confortandi cum caldis. Si uero sit fluxus cholericus detur syrup. de endiuia, de bisantij cum aqua endiuiæ, cicoreæ, trochiscis, de spodio cum semine acetosæ. Diarhodon Abbatis, uel descriptione communi, & triasandali. Si fuerit sanguineus dimittatur, ubi sit fluxus uirulentus remittatur caliditas epatis cum frigidis, immediate dictis, & epithymatibus, ubi sit diuersorum colorum, uigora omnes uirtutes epatis, cum his, quæ dicta sunt in capite debilitatis epatis cum cinnamomo, &c. Si causa sit frigida cum melle rosato, ubi autem sit saniosus absterge cum aqua lactis, cum aqua hordei, cum saccharo, cum aqua cicerum rubrorum, & alijs de quibus dictũ est supra, postea cõsolida cũ rebus supra dictis, &c.

De cura fluxus cibalis.

IN *cura fluxus cibalis tres intentiones sunt obseruandæ, prima est abscisio causæ, secunda est mũdificatio intestinorũ, & stomachi, tertia est remotio malæ complexionis, & stomachi confortatio. In prima intentione procedimus à principio abscindendo causam. Si causa sit nimia quantitas cibi, sumant paucam quantitatem. Si uero causa sit ciborum corruptibilitas, quia, scilicet comederit cibos malos, & facile putrescibiles, illos dimittat & bonos capiat. Si uero causa sit oleaginea & unctuosa, sumat stiptica. Secunda intentio est mundificatio stomachi, & intestinorum. Si enim illud, quod cooruptum est in intestinis continetur, lenienus uentrem cum clysteribus lenitiuis, ut cum lib. i. decoctionis communis, cum. ℥. i. cassiæ, & ℥. s. pulueris sacchari. Si uero materia in stoma-*

cho cõtineatur dabimus casſiæ electæ.℥.i.uel.ʒ.x.uel manna electæ.℥.ij.uel pilularum elefanginarum ℈.iiij.uel hieræ ſimplicis Galeni.℥.i.Tertia intẽtio *eſt remotio malæ impreſſionis factæ à corruptione ciborum,& confortatio ſtomachi,ut,uerbi gratia , ſi quis comederit cucumeres cũ aceto,& agreſta præparatos,ex quorum comeſtione impreſſa fuerit mala complexio frigida,illã enim remouebimus cum inunctione olei de abſinthio, de ſpica cum unguento ſtomachico, etiam fomentando cum abſinthio,galanga,ſquinanto, & capiendo alias res ſtipticas, & bulliendo cum uino rubeo ſtiptico, & euaporare cum ſpongia,poſtea dare ſyrupos de menta,de abſinthio aromaticũ roſatũ,diagalanga,diacyminũ, & alia cõfortantia ſtomachũ, quæ ſupra ſæpius numerata ſunt,ibi recurras ſi iſtorum copiam uis ſecundum diuerſa ingenia, &c.*

De cura fluxus ex diſpoſitione aeris.

S*imiliter in iſta cura tres intentiones obſeruantur, prima eſt abſciſio cauſæ , ſecunda eſt euacuatio,tertia confortatio membrorum laxorum.* In *prima intentione,quæ eſt abſciſio cauſæ,ſi proueniat fluxus ex forti frigiditate aeris , oportet ponere infirmũ loco calido, &c.*De *alijs rebus naturalibus ſemper contrariãdo cauſæ,ut etiam ſi ex calido,uel humido fiat cõtrariũ.Secunda intentio eſt euacuatio,ſi aliquid de materia in ſtomacho cõtinetur,quæ iam ſit fluxa oportet ipſam euacuare, & de hoc dictum eſt ſupra,puta de his,quæ conueniũt ad hanc intentionem ,ſicut eſt hiera ſimplex* Galeni. *Tertia intentio eſt membrorum , quæ ſunt laxa confortatio,*

ut confortare cum stip. secūdum diuersitatem malæ complexionis, uidelicet cum unctionibus, ut cum oleo de absinthio, de menta, de mastiche, & cum confectionibus, sicut in fluxu cibali dictum est, quare, &c.

De cura difficultatis vrinæ.

EX dictis Rasis, & Auicennæ cura difficultatis urinæ reducitur ad duas generales intentiones, seruato tamen prius debito regimine secundum uarietatem causæ. Prima intentio est abscisio causæ diuersitatis. Secunda est prouocatio urinæ. Prima intentio sic complebitur, quia primo contrariabimus causam, & in eius abscisione studebimus, ut si fuerit mala complexio frigida uesicæ, tunc oportebit eam calefacere, & sic regimen primo erit calefactiuum, etiam facere clysteria calefacientia, & inunctiones calefacientes, sicut postea dicetur. Si ab oppilatione colli uesicæ, oportet causam considerare. Si enim fuerit apostema curabimus ipsum apostema cura apostematū, sicut dicetur. Si causa fuerit materia lapidea, hæc dicetur in cura lapidis, quia oportet comminuere lapidem, & frangere, ponit tamen in hoc casu unum remedium Rasis, quod si non possumus comminuere, tūc debemus facere, ut infirmus supinus iaceat, & eum conquassare, & diuersis modis pedes infirmi leuare in altum, donec lapis à uia urinæ remoueatur. Si autem lapis sit in collo uesicæ, & nullo modo possit remoueri, tunc debemus facere, ut infirmus capiat siryngam aureā, uel argenteam, & intromittat in uesicam ad expellendū lapidem, uel accipiat candelam ceream oleo intinctam,

ut melius per uiam flectatur, & faciat similiter, ut supra, & hoc est singulare remedium. Si uero causa fuerit oppilatio facta à materia saniosa, uel phlegmatica, uel sanguinis coagulatione, tunc stat intentio in subtiliando talem materiam, & in hoc conueniunt syrupi aperitiui, & subtiliatiui, sicut est syrupus de duabus radicibus, & de quinque radicibus, de eupatorio cum aquis appropriatis, ut fœniculi, apij, etiam confectiones ualent, ut diacurcuma, dialacca Iustia. & etiam theriaca, mithridatum cum modico uini. Si uero causa est ex parte renum, remoueatur mala dispositio renũ. Si propter apostema curetur cura apostematis diuersificando remedia secundum ipsorum diuersitatem. Si uero causa sit ex parte epatis, curetur mala dispositio epatis. Secunda intentio uertitur ad eductionem urinæ, nam dato, quod causa sit abscisa oportet tamen urinam prouocare, primo incipiendo à lenioribus, ut leniter comprimendo uesicam, & si hoc non sufficit fiat suppositorium cũ salæ thabarzet, uel salgemma in ano, & hoc quia lacerti ani multum communicant cum lacertis colli uesicæ, capiatur etiam pediculus, & ponatur in extremitate uirgæ, motu enim suo irritabit uirtutem expulsiuam, etiam frustrum cæpe, & allei, irritant enim ualde, fiat etiam lenis fricatio cum ungue in collo uesicæ, prope anum, sed si hæc non sufficiant tandem deuenire oportet ad diuretica. Et horum quædam administrantur per superius, quædam per inferius. Per inferius uero quædam ab intra, quædam ab extra. Ab extra, ut inunctio pectinis cum oleo scorpionum, cum oleo de lilio, calefaciunt enim, & dißoluunt, & relaxant, etiam fo-

mentationes facta ex parietaria sola, quia talem uirtutẽ habet, uel ponere senationis, id est cresonis cũ dictis oleis frixando in sartagine, deinde per se, uel ad intra petiam pectini apponere, calefaciamus etiam tegulam, uel ferream laminam, & spargamus supra uinum calefactum superponendo herbas humidas, & ponamus supra fœmur, zirbus etiam adipinus cum sua actuali caliditate positus supra uentrem multum ualet. Nicolaus Florentinus *recitat se habuiße à fide digno. Sit etiam fomentatio ex rebus magis calidis, uidelicet cum abrotano, calamentho, mentastro, sauina, fomentando cum spongia. Sed si ista nõ sufficiant oportet deuenire ad balneum, faciendo decoctionem ex rebus supra dictis, & ponendo ægrum ad sedendum, etiam de prouocatiuis urinæ. Ad intra uero per inferius conueniunt clysteria, & inunctiones, & impositiones per siryngam, facimus enim clysteria ex decoctione ex qua facimus fomentationem, ut accipiendo hieram picram, uel benedictam simplicẽ, cassiam puluerem, sacchari cum oleo scorpionũ, uel de lilio, & facimus enema, uel per siryngam oleum scorpionum, uel de lilio distillando, uel etiam oleum de ruta, uel de spica. Per superius uero conueniũt, ut syrupus de duabus radicibus, uel de quinq; radicibus, etiam de eupatorio cum aquis fœniculi, asparagi, decoctio etiam quinq; radicum, scilicet fœniculi, bruschi, asparagi, apij, petrosilij, &c. Decoctio etiam senationum, ut dicit* Nicolus, *multum ualet, & etiam de ipsis decoctis comedere, de quo ipse historiam recitat, quàm tu uide, decoctio etiam iuniperi singularissime laudatur, quæ tantum prouocat, quod facit sanguinem mingere, se-*

cundum Dioscoridem decoctio etiam sauinæ ualet super omnia, etiam Nicol. singularissime commendat corticem oui, à quo pullus est egressus exhibendo. ʒ.i. corticis bene depurati à pellicula sua. Et ego dedi dominæ Mariæ de Taconibus, & emisit 12. uitrea urina plena, est enim hoc singularissimum remedium. Etiam rubea tinctorum ualet, similiter cantarides amotis capitibus, & alijs, sed sunt timorosæ, participant enim de uenenositate, de quibus quidam scholaris alludens accepit, & mortuus est. Gerardus multum laudat huiusmodi cantarides, & componit hoc modo receptam in qua ingrediuntur. Recipe spicæ drac. ʒ. 5. cantaridarum ℈.iiij. conterantur, et decoquantur cum decoctione apij, uel fœniculi, uel cum aqua cicerum rubrorum, aqua etiam raphani multum ab Auicenna laudatur. De compositis sunt confectiones, ut dialacca, diacurcuma Iustinianum, confectio de cineribus scorpionum dando usque ad. ʒ.i. 5. cum aquis appropriatis, ista. n. sunt usualia. Si proueniat à coagulatione sanguinis uidelicet exhibendo in forma syrupi oxymel simplex, oxymel compositum, oxymel sciliticum, quod est fortius, uel coagulatum leporis, &c.

Cura lapidis renum.

Cura lapidis distinguitur secundum diuersitatem loci. Alia. n. cura est lapidis renũ, alia uesicæ. Primo igitur dicetur cura lapidis renũ, quæ duplici indiget regimine, scilicet præseruatiuo, et curatiuo. Præseruatiuum regimen debetur corporibus, quæ sunt parata cadere in hac ægritudinem. Curatiuum uero debetur

corporibus actualiter ægrotantibus. Regimen præseruantium consistit in quatuor fundamentis. Primum est prohibitio multiplicationis humoris phlegmatici, & hoc, quia materia phlegmatica est causa lapidis, seu materia ipsius. Secūdum uero est, quod si generetur talis materia, diuertimus ne fluat ad renes, sed uersus intestina. Tertiū est, quod si aliquid ad renes transierit, prohibere ne in renibus figatur, & retineatur ne possit lapideari. Quartum est remouere, seu remittere caliditatem renum, quæ est causa effectiua lapidis. Quantum ad primum fundamentum, oportet, quod infirmus in regimine cibi taliter se regat, ut uitet omnia cibaria grossæ substantiæ frigida, & uiscosa, unde uitetur caseus maxime recens, & lacticinia omnia, & cibaria de pasta azima, partes pingues animalium, & extremitates ipsorum, & intestina, carnes etiam auium aquaticarum, nimia etiam comestio, & abundans. sed dimittat comestionem cum reliquijs famis, & comedat cibaria optimum sanguinem generantia. Quantum ad secundum fundamentum, si multiplicetur materia phlegmatica debemus eam diuertere ad uias intestinorum, & in hoc casu iubent practici alternis diebus, uel bis in hebdomada fieri clysteria lenitiua, ut natura assuescat has materias ad intestina transmittere, etiā semel in hebdomada est bonum sumere bolum cassiæ, uidelicet. ℥. i. Quidam habent pro singulari remedio cass. fistularum, quod uocatur dia cassia, accipiunt enim cassiā cum sacchāro, & cum decoctione liquiritiæ, & seminis alchechengi semel, uel bis in hebdomada, tenet enim uentrem lubricum. Quidam etiam habent pro singulari remedio

medio terebenthina, dando ab.℥.5.usque ad.℥.i.quidam enim soluuntur à tali dosi, & quidam non. Iuuamentum autem eius est maximum, lenit enim uentrem, mundificat renes, & uesicam, est quidem singularissimum, & expertum remedium, capitur enim nebula, et infunditur in uino, deinde in illa inuoluitur terebenthina, & sic sumitur quia est res uiscosa, uel accipitur cum brodio gallinæ, in illo enim liquefiat, & sumatur. Quidam utuntur pilulis quibusdam, ut sunt pilulæ elefangine, dando pilulam unā singulo die, uel alternis diebus, & ita natura assuefit transmittere materias illas ad intestina, et hæc sunt quibus practici communiter utuntur. Tertium fundamentū est, ut si contingat, quod aliquid de materia phlegmatica ad renes trāsmittatur, debemus prohibere ne in lapidem conuertatur, debemus ergo dictam materiam à renibus expellere, & in hoc conueniunt diuretica, ut brodium cicerum rubeorum, ut si hodie damus lenitiuum, die sequenti exhibeamus brodium ciceū rubeorum, uidelicet.℥.vi. uel.vij.uel.viij.multum enim abstergit renes, & uesicam. Aliqui addūt de radice liquiritiæ, quia mirabiliter mūdificat renes, & uesicam, ut dicit Auicenna in capitulo de oppilatione renum, & si ponitur de saccharo magis conuenit, ius etiam galli decrepiti, ius etiam carnium cū saccharo multum ualet, etiam aqua lactis caprini exhibendo.℥.vi.post lenitionem, est enim multum abstersiua etiam decoctio parietariæ multum facit in prouocatione urinæ, & succus eius uel aqua decoctionis siue sublimationis eius. Quartum fundamentum est, remouere, uel remittere calorem renū, ut nō fiat induratio materiæ, uel

exiccatio, practici ergo communiter singulo die faciũt inũctiones renũ cum oleo uiolato, cũ oleo cucurbitino, & nenufarino. Vnguenta autẽ, et si sint frigida, ut unguẽtũ sandalinum, unguentum Galeni, & unguentum conutissæ, practici tamen communiter uitant, quia ultra frigiditatem habent uirtutem stipticam, etiam illa claudendo faciunt ad materiæ retentionem. Regimen curatiuum debetur corporibus actualiter habentibus dolorem, nam lapis per poros uritides transit, & extendit, & dolorẽ causat descendendo, oportet ergo, ut administremus ea, quæ urinam prouocant, & lapides expellunt, atq; frangunt, & quæ sunt aperitiua uenarum, quia facilius lapis descendit. Auicenna omnia hæc notat. Sed est canon aduertendus, quod cum illa, quæ administrantur ad frãgendum lapidem sint, ut plurimum calida, & in stomacho inuenientia materias liquefaciendo illas faciũt ad renes præcipitare, debemus ergo ante horum administrationem exhibere bolum unum casiæ cum oleo amygdalarũ dulcium, ut uiæ lubricentur, & postea exhibere ea, quæ frangunt lapidem. Horum autem, quæ frangunt lapidem, quædam sunt, quæ à proprietate frangunt ipsum, quædã uero, quæ à manifesta qualitate. Inter ea autem, quæ ualent à manifesta qualitate est pulegium, habet enim uirtutem diureticam, & aperitiuam, & dißoluit lapidem, est etiam calamenthum, origanum, milium solis, saxifragia etiam multum ualet, radix etiam graminis, & quidã habent pro magno secreto facere decoctionem ex radice graminis, etiam amygdalæ amaræ masticentur, & cum uino albo deglutiantur, etiam nuclei cerasorum, & per-

ſticorum, radicis petroſilini, ſparagi, bruſchi, fœniculi, apij, cicerum rubrorum decoctio etiam multum ualet, etiam aqua corticum fabarum. Item brodium multæ decoctionis radicum maluarum. De his autem, quæ à proprietate occulta ualent primo laudatur lapis Iudaicus, & magis in lapide renum, quã ueſicæ, & poteſt ſecure dari, quia bonum ſaporem habet, & non horridum, cinis etiam leporis multum ualet, capiatur enim lepus, & ponatur in furno, & ita exiccetur, ut pulueriʒari poſſit, de quo puluere exhibeatur, ualet etiam uitrum combuſtum ponendo ipſum ad ignem, & extinguendo eum in aqua ſaxifragiæ, & ſeptem uicibus ignire, & ſeptem extinguere, commendatur etiam puluis oſſis calcanei leporis, puluis etiam lapidum, qui reperiuntur in cancris, ualet puluis etiã lapidum limaciarum, etiã oſſis puluis mandibularum lucij ualet, & quidam medicus Venetus habet hoc pro ſecreto, nec ab alio autore reperitur poſitum, iſti enim pulueres ſunt in uſu, & dantur cum uino albo, uel aqua appropriata, uel brodio, ualet etiam aqua apij, raphani, & meliloti, ualet etiam cinis ſcorpionum, & eſt multum fortis in frangendo lapidem, doſis eius eſt ſexta pars. ℥. i. id eſt, ʒ. 5. ualet etiam lapis ſpongiæ, etiã lapis qui exiuit ab homine pulueriʒatus multum frangit, ſcilicet renalis renalem, ueſicalis ueſicalem, licet Galenus de ſimplici medicina dicat hoc eſſe mendacium, puluis etiã uermium terreſtrium multum laudatur, os hominis humati pulueriʒatum, & cum uino albo exhibitum audiui mirabiliter conferre dolori renali, ſeu lapidis, & hoc utebatur quidã religioſus in ſeipſo, habebat enim os unum,

& cum lima limabat, & de illa limatura cum uino albo sumebat, & statim dolor quietabat, laudatur etiam ab Auice. *cortex lauri si bibatur, frangit enim sanguis hircinus multum etiam laudatur, capiatur enim hircus quatuor annorum, et cibetur pluribus diebus cum herbis supra dictis prouocantibus urinam, & frangentibus lapidem, & bibat etiam uinum maluaticum, aromaticum, & tempore augusti decolletur, & colligatur sanguis non primus in ingreßu, neq; ultimus, sed medius, & hoc fit cum scutellis multis colligendo, & primus, & ultimus abijciatur, et medius colligatur, et dimittatur coagulari, & in frustra incidatur, & sub diuo pastorali, i. in domo pastorali, sub tecto, ut dicit* Aui. *exponitur, & ita exiccatur, et ponitur in alto ne à pulueribus tãgatur, et pro hoc uideas* Auice. *& communiter datur de eo usq; ad quãtitatẽ.ʒ.i. laudatur etiã super omnia ab* Auice. *quædam auis, quæ dicitur cauda tremula, quæ exiccatur in furno, & in puluerem redigatur.* Composita autem *quibus practici communiter utuntur sunt, ut dando* Iustinianum *descriptum à* Nicolao *dictum à* Iustiniano *imperatore patiente calculum, & datur usq; ad.ʒ.i. uel.ij. in mane cum uino albo calido, ualet etiam lyton, tripon, etiam dialacca, electuarium descriptum à* Nicolao *efficatius est, & omnia ista sumat ieiunio stomacho cum uino, uel aquis appropriatis, electuarium etiam de cineribus scorpionum est singularisßimum, & tenetur confectum* Papiæ, *& fuit positum in practica à me, electuarium etiam ab* Auice. *descriptum, quod dicitur manus dei non tenetur confectum ualet, & istis damus à.ʒ.i. usq; ad.ʒ.i. ʃ.* Per *inferius ue-*

ro conueniunt clysteria, quia recepta in intestinis appropinquant renibus, & illa clysteria debemus facere cum rebus anodinis, fit enim decoctio maluarum, paritariæ, chamomilæ, meliloti, fœnugræci, capillorum ueneris cũ notabili quantitate butyri, uel pinguedinis gallinæ, uel olei amygdalarum dulcium, uel amararum, decoctione prædictarum herbarum accipitur lib. 1. benedictæ simplicis descriptæ à Nicol.℥. 5. *quæ ualet in passionibus renum cum.℥.i. caßiæ, & etiam.℥.i. facchari, & cum.℥. 5. olei scorpionum, & fiat enema, & etiã quia coniungitur aliquãdo magna uentositas, potest addi de oleo anethino. Potest etiam fieri clystere ex solo oleo oliuarum, & semine anisi, potest etiam fieri cum alijs carminatiuis uentositatis, aduertatur tamen canon, ut non pretranseamus lib. 1. ne nimis comprimantur renes, & dolor augeatur, & fiant sæpius huiusmodi clysteria.* Per *exterius etiam conuenit facere inunctiones, ut* Recipe *olei amygdalarũ dulcium, pinguedinis gallinæ, olei de amygdalis amaris, & olei scorpionum, ana unc. 5. ualet etiam inunctio ex solo butyro, etiam de hyßopo humida, emplastrum etiam ex decoctione prædicta, uel ex radice altheæ, paritariæ, &c.* Cum *farina seminis lini, fœnugræci cum butyro, & oleo scorpionum, uel amygdalarũ dulcium, multum ualet etiam facere fomentationes cum chamomila, althea, meliloto, paritaria, malua, & alijs prædictis, & cum spongia, uel uesica apponere loco dolenti, sed uesica est excellentior.* Per *superius exhibeantur ea, quæ habeãt huiusmodi intentiones, ut brodia pinguia, laudat etiam Auicenna unam decoctionem uidelicet.* Recipe *deco-*

ctionis maluæ campestris, uel altheæ.℥.viij.butyri.℥.i. mellis colati.℥.i.ʃ.misce, & de istis detur frequenter, & abundanter; & de istis possumus exhibere usque ad ℨ.xx.& est singularissima, & experta, ualet etiam ad frangendum lapidem iste puluis. Recipe *aristolochiæ longæ, alchechengi radicis, saxifragiæ, ana ℈.i.& detur. ℨ.i.cum uino albo.* Pro *stomacho autem si est debilitata digestiua, ut aliquando accidit in ista ægritudine.* Recicipe *olei spicæ, absinthij, & mentæ, ana.℥.ʃ.gariophylolorum, macis cynnamomi, cardamomi rosarum, corallorum, galliæ muscatæ, ana ℈.i.cum modico ceræ fiat unguentum, & stomacho apponatur.* In *primis etiam quando occurimus infirmo post lenitionem cum cassia conueniunt syrupi, ut.* Recipe *oxymellis simplicis.℥.i.syrupi acetosi compositiui.℥.ʃ.cum aqua betonicæ, uel saxifragiæ, liquiritiæ, granorum iuniperi, & milij solis fiat syrupus, etiam syrupus compositus de radicibus, de eupatorio admiscendo aliquid de syrupis uiolarum, uel de liquiritia ad remoueudum eorum uirtualem siccitatem, etiam syrupus de bisantijs cum aceto, & aquis appropriatis, ut saxifragiæ.*

Cura lapidis vesicæ.

Cura lapidis uesicæ, est eadem cum cura lapidis renum, nisi quod fortiora conueniunt in lapide uesicæ, quàm in lapide renum, tum quia uia est longior, & lapis durior, sed quando lapis est induratus nihil est melius, quàm incisio, que non debet fieri in commissura, sed aliter in collo uesicæ, & non in corpore ue-

ſicæ, poſtea extrahatur lapis, & non permittatur, quod materia egrediatur per illud foramen, poſtea debemus incarnare cum incarnantibus, & conſolidantibus. Pro *cura autem apoſtematis renum, & ueſicæ, uide* Raſim, & Auicenna, &c.

De cura ardoris vrinę.

PRo *cura ardoris urinæ duæ generales intentiones ſunt obſeruandæ. Prima uertitur ad cauſam ardoris, ſecunda ad ipſum ardorem auferendum, & hoc cum his, quæ remittunt ardorem ipſius urinæ, & remittunt ſenſum loci, ideo oportet primo conſiderare cauſam. Si enim ſit ex parte materiæ cholericæ admixtæ ipſi urinæ, pro cura eius ſunt quatuor intentiones obſeruandæ, prima eſt debitum regimen, ſecunda digeſtio, tertia euacuatio, quarta diuerſio. Prima intentio, quæ eſt debiti regiminis adminiſtratio, completur per infrigidantia, quia materia, ut patet, eſt calida, oportet ergo, ut patiens abſtineat ſe à cibarijs calidis, amaris, & acutis, ſafregedi taphcos, id eſt, cibaria cum rebus frigidis adminiſtrẽtur, laudãtur ergo herbæ infrigidãtes, ut lactuca, portulaca, cicorea, endiuia, & aliæ herbæ infrigidantes, laudantur etiam maluæ, & ſpinachia, quia ſunt lenitiuæ, & lubrificatiuæ, pultes etiam ex hordeo, & ſunt quidam, qui ex ſolo uſu maluæ liberati ſunt, bleta etiam conuenit, aqua etiam ſacchari cũ iulep ualet. Secũda intẽtio eſt digeſtio materiæ cholericæ, quæ fit cũ ſyrupo uiolarum, de endiuia, &c. Et nota, quod ſyrupus acetoſus eſt uitãdus, quia ulcerat. Tertia intẽtio eſt euacuatio, quæ non debet fieri*

cũ medicina scãmoneata, sed cũ mãna, cassia, uel myrobo lanis citrinis, uel in infusiõe. Quarta intẽtio est diuersio humoris cholerici à uijs urinæ, & ideo singulis quatuor uel quinq; diebus dare cassiã, uel electuariũ ex cassia, & cũ saccharo exhibẽdo partes æquales, & dissoluẽdo cum decoctione appropriata, ut quatuor seminũ communiũ, etiã sebesten, alchechengi, & est singulare, quia cõplecti tur duas intentiones, scilicet diuertendi à uijs urinæ, & infrig. dãdo singulo die uel alternis diebus duo chochlea ria, ut natura assuefiat transmittere ad uias intestinorũ; aqua etiã lactis caprini est singularissima, ut natura di uertat, & transmittat superfluitatẽ cholericã ad intesti na, de qua detur semel uel bis in hebdomada, & lac capri num euacuat materias baurachias, uel introsas, & etiam, quia lac est multiplicatiuum urinæ, & ita propter mul tam quantitatem urinæ cholera permixta non tantũ pun git, ut dicit Auicenna. Et quando non sunt ulcera, meli us est prouocatio urinæ, pro cuius uaria expositione ui de Conciliatorem, utrum diuretica conferant ardori uri næ: & magister Ioannes Matthæus Gradi, de mente Ni colai nõ uult, quod conferant diuretica, laudantur etiam elysteria, quæ participant duplici uirtute, scilicet leniti uã, & remissiua acuitatis urinæ, & talia fiunt ex deco ctione maluarum, uiolarum, matrum uiolarũ, nenufaris, foliorum salicis, ana M.i. cassiæ.℥.i. sacchari.℥.i. olei uio lati.℥.ij. Si autem fuerit materia phlegmatica salsa, debet euacuari cum rebus sibi appropriatis, ut cum terebe n thina, quæ indistanter diuertit à uijs urinæ, & remittit acuitatem, cum qua mulierem quandam, quæ longo tem-

pore passa fuit hanc ægritudinem, & cum solo hoc reme-
dio mirabiliter curata fuit, lauando dictam terebenthi-
nam cum aqua oliuarum, & endiuiæ, ut acuitas remit-
tatur, & est singularißima in hac ægritudine, sicut ab-
sinthium est singularissimum in mala dispositione frigi-
da epatis, uel praßium, etiam faciendo aquam, et cū hoc
curaui quandam mulierem, quæ per multos annos passa
fuerat hydropisim, scilicet cum sola comestione absinthij
diuersis modis exhibiti, oportet ergo quàm primum pos
sumus diuertamus dictam materiam à uijs urinæ, ne an-
tiquetur ista ægritudo, & ne natura assuefiat transmit-
tere has materias ad renes, & uesicam, & ideo illa tere-
benthina facit ad diuertendum per secessum, & etiam re
mittit acuitatem urinæ, quando transit per uiam illam.
Si uero fit ab excoriatione existente in membris urinæ,
ualet in uesica, uel in poris uritidibus, cura eius est con-
solidatio, & in hoc casu conuenit dare boli armeni ℨ.i.
uel dare trochiscos de terra sigillata, de carabe, cum
aqua solatri, uel plantaginis. Si uero causa sit ulcus, duæ
requiruntur intentiones. Prima est absterſio, ut cū aqua
sacchari, à qua decoctionis seminis frigidorum, & aqua
lactis asinini, uel caprini. Secunda intentio est consoli-
datio, cum enim amplius non egreditur saries, sed san-
guis indigemus consolidatione, ut cum trochiscis de ca-
rabe, & alijs supra dictis. Si uero ardor proueniat ob
effectum humiditatis tegentis uesicam, tunc oportet ad-
ministrare cibaria uiscosa, & cibaria de pasta, ut laga-
na, & similia, ut tegant uesicam, &c. Secunda intentio
principalis est remißio ardoris urinæ, quæ multotiens

debet à principio poni in opus practicum, aliquando enim est ita intensus dolor, ut patiens nunquam poßit quiescere, remouetur autem cum his, quæ infrigidant, & remittunt acuitatem urinæ, & cum his, quæ hebetant, et remittunt sensum uesicæ, & aliarum uiarum, ne talis ardor sentiatur. Istorum autem quædam per superius, quædam per inferius administrantur. Per superius conueniunt syrupi infrigidantes, & humectatiui, ut syrupus uiolarum cum aqua lactucæ, portulacæ, solatri, & endiuiæ. Si fortius uolumus, exhibemus syrupum de papauere simul cum uiolarum, & cum decoctione seminum communium frigidorum, uerbi gratia. Recipe syrupum uiolarum ℥. i. syrupum de papauere ℥. s. cum decoctione prunorum, tamarindorum, sebesten simul, miscendo cum syrupis quantum sufficit, puta ℥. iij. & etiã confectiones scilicet, ut saccharum uiolarum, rosarũ, & de prædictis syrupis demus unũ in mane, et unũ in sero. Puluis singularissime descriptũ in litera à Rasi ualet, scilicet seminis hyosciami, & papaueris albi ʒ. i. cum aquis lactucæ, & portulacæ in mane exhibeatur. Si fortiora uolumus sunt trochisci de alchachengi descripti à Mesue, & est singulare remedium, dando de eis ʒ. i. habent enim uirtutem stupefactiuam, & diureticam, & multum ualent in remisßione acuitatis urinæ. Per inferius ualent clysteria ex decoctione, maluarum, uiolarũ, matrum uiolarũ, &c. cum caßia, & saccharo, & oleo uiolato, exhibendo omni die duo cochlearia unum in mane, & unum in sero. Valent etiam ea, quæ per syringam in uesicam immittuntur, de quibus singularisßima sunt, ut lac humanum, ca-

brinum, ouium, quia tale lac misceatur cum urina, et sua humiditate obtundit urinæ acuitatem, singulare autem est albumen oui conquassatum, donec tota uiscositas sit remota, & de tali mittimus in uirgam, uel miscemus cum decoctione papaueris, uel cum lacte muscilago, etiam psillij est singularissima infundendo in aqua frigida per sex horas, de semine psillij, postea ex tali psillio emanat quædam humiditas uiscosa, quæ mucilago appellatur, est enim singularis in sedatione omnis doloris acuti, ualet etiam mirabiliter in maximo dolore hæmoreoidarũ de qua maximam experientiam fateor habuisse, etiam in dolore podagrico multum ualet à causa calida, ut expertus sum. Si ergo talis humiditas siue mucilago in uirgã per syringam immittatur, prodest multum. Si fortius uolumus possimus immittere tria, uel quatuor grana camphoræ, & si adhuc fortius unum granum opij, uel ℈.i. alchechengi, dissoluti in aqua papaueris accipiatur, & imponatur, tenere etiam uirgam in lacte, uel decoctione papaueri albi ualet, inungere etiam sumen cũ oleo de salicibus uiolato, de nenufare, ponendo istis aliquantulum camphoræ, balnea etiam ex decoctione foliorum salicis, uitis, maluarum, uiolarum, matrum uiolarum, hordei, & cum uesicis hac decoctione plenis uaporare sumen, uel balneare multum ualet, quare, &c.

Cura mictus sanguinis, uel saniei.

Aliquando mictus sanguinis fit propter nimiam repletionem sanguinis, & ex defectu superiorum, cum natura quærit se exonerare, aliquan-

do propter aquositatem ipsius sanguinis. Aliquando propter cholericitamente, aliquando propter putrefactionē ipsius sanguinis, ut in sinocha, aliquando propter malam dispositionem epatis, propter defectum digestiuæ, & sequestratiuæ aliquando accidit ex defectu membrorum urinalium. Mictus etiam saniei potest contingere ex parte superiorum, & inferiorium, aut propter rupturam uenæ. Si à superfluitate proueniat non est restringendus nisi superfluat, & si per uiam crisis etiam non est restringendus nisi superfluat. Si uero à mala dispositione epatis, ut debilitate sequestratiuæ, proueniat, tunc rectificandum est epar. Si uero à debilitate sequestratiuæ renum, tunc oportet curare renes, & restringere sanguinem cum inunctionibus stipticis, uidelicet cum oleo myrtino rosf. de citonijs. Item cum stipticis faciendo decoctiones cū aqua rosf. plantag. aqua calibeata seu ferrata etiam cū decoctione balaustiarū, gallarū, hypoquistidos. Vnguenta etiā cōueniunt, ut unguentū de anthera, id est, de semine rosarum, unguentum Galeni sandalinum conuenientissimum est. Per interius similiter exhibendo ea, quæ habent uirtutem stipticam, ut est syrupus rosatus, myrtinus, de citonijs cum aqua solatri, plantaginis, lactucæ, & rosf. etiam confert dare boli armeni ℥. i. cum prædictis syrupis trochisci etiam de charabe, de terra sigillata, de spodio cum semine acetosæ descripti à Rasi multum ualent, & inter cætera confortando renes Auicenna ponit unum remediū singulare, scilicet lac ouium, & dicit quod non habet sibi simile in confortando renes, & ita practici dant de isto lacte ouino ad

quantitatem ℥.iiij.uel vi.stomacho uacuo,et miscent ℥.i. boli armeni,& hoc expertus sum. Est tamen præcipiendum ne post assumptionem lactis dormiat, nec exercitetur.Si uero fiat ab excoriatione propter incessum lapillorum,à natura consolidatur, & rectificatur, & de isto non multum curamus.Si tamen uideremus, quod sanguis mictus continuaret, tunc stat intentio solius consolidationis, & in hoc casu damus trochiscos de charabe cum aqua plantaginis,& boli armeni. Si fiat à percussione, uel à casu prima intentio est diuersi, & in hac competit phlebotomia basilicæ,quæ primo respicit epar,& ita diuertimus.Secunda intentio est constrictio,ut dando trochiscos de charabe, de terra sigillata, de spodio cum semine acetosæ,dando de omnibus ad quantitatem ℥.i.cum aquis solatri, plantaginis:item cum bolo armeno, facimus etiam inunctiones supra locum dolentem cum oleo rosato,myrtino,unguento Galeni,uel cum alijs pulueribus stipticis.Si sanies egrediatur propria intentio est abstersio,quàm etiam nobis insinuat Rasis si sit caliditas,& inflammatio,conuenit aqua lactis,sacchari, hordei,uel cicerum rubeorum. Tertia intentio est consolidatio, & in hac per superius conueniunt trochisci supra dicti,per inferius colyrium ponit Rasis multum ualet, prædicti etiam trochisci dissoluti, cum aliqua aqua appropiata iniecti cum siringa in uirgam multum ualent, quare,&c.

Cura inuoluntarij exitus urinę.

Circa hoc capitulum nota, quod Rasis sub hoc capitulo comprehendit quatuor capitula ab Auicenna in quatuor locis posita, scilicet capitulum de inuoluntario exitu urinæ. De his qui mingunt in lecto, de diabete, de multitudine urinæ. Nota secundo, quod diabetes est multitudo urinæ, non tamen quælibet imò requiruntur aliquæ cõditiones. Prima est quod sit cum siti intensissima, ita quod non possit cum potu extingui. Secunda quod aqua, quæ sumitur ita egreditur sicut sumitur, eo modo quo in lienteria cibus in qualitatibus cũ quibus sumitur egreditur. Tertia quod sit frequentissimus exitus urinæ, adeo, ut quasi continue egrediatur urina. Multitudo uero urinæ est, quando est magna urinæ exuberantia, quod si cum ea coniungitur sitis, tamen est remissa, & extinguibilis. Ista tamen passio diabetica raro accidit, adeo quod Galenus dicit se tantum bis uidisse. Nota quod magister Franciscus de Busii Mediolan. in dicta ciuitate Mediola. anno 1481. habuit in cura quã dam puellam annorum 18. quæ passa est superfluum fluxum urinæ, adea quod singula die mingebat bocalia 16. urinæ, & continuauit per 60. dies, & illud quod sumebat inter cibum, & potum non ascendebat ad quantitatem bocalium iij. & patet manifeste, quod si totum corpus dissolutum fuisset, non ascendisset ad quantitatem tantam, quia de re medici Mediolan. quærentes inter se causam Ioannes Marlianus reddidit illam dicens, quod aer qui erat in porositatibus corporis istius, & aliæ humi-

ditates corporis, & in membris ex dispositione corporis eius conuertebantur in aquositatem urinalem, & tandem puella liberata fuit, nec erat multũ extenuata. Ideo *dicendum est cum* Auerroe *quinto colliget, quod in medicina fiunt monstra sicut in natura.* In *cura fluxus urinæ, prima intentio est abscisio causæ, secunda membrorum urinæ confortatio.* Prima *intentio diuersificatur secundum diuersitatem causarum. Si proueniat propter cibum, & potum, oportet abscindere causam. Si propter frigus extrinsecum idem est faciendum. Si propter debilitatem epatis, & maxime hydropisis asclitis dictum est supra in cura debilitatis epatis, oportet enim rectificare epar. Si causa fuerit relaxatio lacertorum colli uesicæ, stat intentio curandi cum his, quæ dicta sunt in cura paralysis. Si uero causa sit caliditas renum, fiat infrigidatio renum per interius, & per exterius, ut cum succo granatorum, limonum.* Et *cum uirtus contentiua debilitatur, stat intentio confortandi per interius cum frigidis stipticis, &* Rasis *laudat puluerem cuiusdam simplicis, ut olibani ℈.i. uel ʒ.ſ. cum aqua absinthij, uel uino coriandri præparati, spodium glandis assatæ, & puluis earum. Composita sunt sicut trochisci de spodio cum semine acetosæ, trochis. de terra sigillata, trochis. de balaustijs.* Dosis *est ʒ.i. cum uino, uel aqua absinthij.* Auicenna *ponit in capitulo de diabetica passione.* Et *sæpe istis usus fui, & in capite de distillatione urinæ, laudat electuarium quoddam in quo ingrediuntur omne species myrabolanorum. Si propter relaxationem lacertorum datur acorus conditus, & diacorus. Si propter causam*

calidam debemus infrigidare, & stipticare cum sirupis de agresta, de limonibus, de acetositate citri cum aqua portulacæ, lactucæ, etiam cũ spodio, corallis, etiam possumus infrigidare cum unguento, ut de anthera, sandalino Galeni, & possumus dare succum plãtaginis, & aliarum herbarum, uel acorum cum aqua plãtaginis, & ponere res frigidas stipticas, ut rosas, balaustias, spodium. Aliquando stat maior intentio infrigidandi, unde ponitur æger in balneo rerum frigidarum, quare &c.

Cura vermium.

Duplex regimen in cura uermium obseruatur, scilicet præseruatiuum, & curatiuum. Primum regimen debetur corporibus aptis in hanc ægritudinem cadere, & in hoc regimine, primo debemus præcipere, ut uitent omnia cibaria uiscosa, & materiam phlegmaticam multiplicantia, et hunc cannonem in principio posuit Auicenna, oportet enim, ut phlegma extrahatur à corpore, & mundificentur intestina, & ideo Rasis laudauit, ut detur panis cum sinapi, & hoc quia sinapis sui caliditate facit ad consumptionem materierum phlegmaticarum, tamen si istud non sufficit, oportet digerere phlegma; & euacuare, & per hoc recurre ad capitulum de cholica, & de debilitate stomachi. In regimine autem curatiuo quinque requiruntur intentiones, prima est debitum regimen, secunda necatio uermium, tertia eorum expulsio, quarta prohibitio ascensus ad superiora, quinta diuersio ad inferiora, et diuersio à principalibus. In prima intentione non possumus dare regulam

lam generalem, quia nunc unum intendimus, nunc aliud. Aliquando enim intendimus interficere uermes, & tunc præcipimus, ut corpus stet famelicum, postea exhibeatur medicina eorum interfectiua, ut uermes postea ad eam perueniāt. Aliquando *principaliter intendimus remouere eorum sæua accidentia, & tunc oportet eis dare cibum gratum uermibus, & conuenientem, quia ipsi cum sint famelici mordicant uentrem, & ascendunt aliquando. Si tamen uolumus prohibere augmentum phlegmatis debemus cibaria calida, & sicca administrare. Si uero uolumus diuertere ad inferiora, dabimus acetosa, acuta, & amara. Secunda intentio, quæ est uermium occisio, completur cum his, quæ contrariantur complexioni, & materiei ipsorum, scilicet cum calidis, siccis, & amaris, ideo oportet, ut illa, quæ interficiunt uermes sint calida, & sicca in tertio, etiam cum his, quæ à proprietate contrariantur.* Domesticum *autem, & usuale est cornu cerui ustum, quod ponunt autores, maxime* Albertus Ma*gnus in libro de animalibus, capitulo de ceruo, & per adustionem non acquirit, neque ammittit uirtutem suam, sed hoc faciunt apothecarij, ut melius in puluerem redigant, & exhibent ad quantitatem ʒ.i. & istud est gratum gustui, absinthium etiam in hac intentione multum commendatur, quia sua caliditate, & amaritudiue uermes interficit, folia etiam persicorum sunt multum usualia contundendo ea, et de eorum succo dare ad bibendum, uel ponere supra stomachum, lupini etiam multum ualent, exhibendo de aqua decoctionis eorū, quia sunt multum amari, faciendo etiam emplastrum de eorum fa-*

rina, mentastrum etiam ab omnibus laudatur, quia habet uirtutem uermium interfectiuam, semen etiam caulium contundendo, & exhibendo ʒ. 5. semen etiam apij, alleum à Rasi, *&* Auicenna *laudatur, similiter uinum simplex, quod dicitur ferax, de quo loquitur* Rasis *decimo continenti, & est filix masculus, & cognoscitur à fœmina, quia habet certas maculas in inuersa parte foliorum, & eius radix est grossa ad modum brachij, & habet secundum longitudinem innumerabilia capita radicum, eius enim decoctio necat uermes, siue magni, siue parui.* Radix *etiam graminis singulariter ualet, unde mulieres communiter exhibent decoctionem graminis, nullus tamen autor autenticus ponit de radice graminis, nisi* Rasis *20. contentis dicens, quod decoctio graminis ualet contra torsionem à uermibus prouenientem, commendatur etiam scea scandonicum, uel centonicum, semen sanctum, semen* Alexandrinum, *herba granella, semen cina, gemina, marina, hæc enim octo nomina sunt synonyma, & est species absinthij, mulieres communiter exhibent de isto semine contrito, &* Nicolus *eum laudat, & appellat eum semen* Alexandrinum, *uel semen sanctum.* Aliqui *dicunt, quod non est idem, sed differunt.* Tertia *intentio est uermium expulsio, interfectis enim uermibus, oportet eos à corpore expellere.* Si *enim retinerentnr mortui in intestinis (ut dicit* Auicenna*) essent causa sæuorum accidentium, quia ab eis eleuantur fumi putridi, & uenenosi.* Euacuamus *autem cum his, quæ expellunt uermes, & inimicantur eis, ut aloe, & absinthio, pilulæ compositæ, quas laudat* Auicenna,

ſunt ſingulares in educendo, & interficiendo uermes. Item rheumbarbarũ dando ℈.i.uel.ij.multum enim confert, quia necat uermes, etiam expellit, licet a nullo inueniatur quod necet uermes, ſed poteſt ratio perſuaderi, quia omne amarum ualet in cura uermium, & rheumbarbarum eſt amarum, & quia ut in pluribus complicatur lubricitas uentris, & quia rheumbarbarum eſt ſtipticum, etiam ualet lubricitati uentris, & in confortatione ſtomachi, etiam quia ut plurimum complicatur febris, & rheumbarbarum euacuat humores corruptos, & ut dicit Auicenna *ſecundo canone, confert ſemen antiquis, & habentibus periodos, confert etiam morſui uenenoſorum animalium, & ſerpentis.* Et *quantitas potus eius eſt ſicut quantitas potus agarici, ideo his rationibus concluditur, quod confert uermibus, & eſt medicina benedicta, quæ poteſt dari infantibus, & prægnantibus, agaricus etiam ualet propter ſui amaritudinem, ſed non ſic ualet, ut rheumbarbarum, nec ita omnibus datur, oleum etiam olfacinum, quod fit ex oliuis immaturis ualet ad necandum uermes in magna quantitate exhibitum, & multis uicibus, facit etiam ad eductionem ſua lubricitate, & ſua amaritudine eos necat. Si uero timeremus aſcenſum uermium non ponas illud oleum olfacinum in clyſteribus, quia magis aſcenderent, quia fugiunt ab eo.* Compoſita *ſunt aloes cum abſinthio, uel cum diptamo, ſcilicet cum radice eius hiera ſimplex* Galeni *pilulæ etiam communes ſunt ſingulares, ſcilicet compoſitæ ex aloe, myrrha, & croco, etiam pilulæ de hiera ſimplici, & uniuerſaliter*

quæcunque participant de amaritudine, & leui stipticitate conueniunt. Quarta intentio est prohibitio ascensus uermium ad partes superiores, hæc autem completur confortando stomachum cum stipticis, ut inungere stomachum cum oleo de citonijs, de absinthio, de sumach, de semine portulacæ, de corticibus granatorum stipticando uentrem, damus etiam amara per superius, quia uermes fugiunt amaritudinem, conueniunt etiam omnia acetosa, etiam acetum forte est singularissimum contra uermes. Facimus etiam emplastra, & unguenta supra stomachum, ut facere unguentum ex succo absinthij, & abrotani cum melle uaccino. Emplastrum fiat isto modo. Accipe bucellam panis, & bene assetur, de inde infundatur in aceto fortissimo, postea exprimatur leui expressione donec ueniat ad formam unguenti, uel aliter, admisce de corticibus granatorum, de succo absinthij, & alijs appropriatis, & fiat emplastrum, isto enim sæpius utor. Quinta intentio est attractio uermium à partibus superioribus ad inferiores, & ista perficitur faciendo suppositoria grata uermibus. Quidam habent pro singulari clystere ex lacte calefacto, quia uermes delectantur lacte, & descendunt ad intestina. Alij autem uituperant lac, quia facile coagulatur, & corrumpitur propter febrem, ideo magis ualet factum ex brodio carnium, & mellis, ponendo ℈.i. mellis si non est febris, & si esset febris, ponendo ℥.i. sacchari, delectantur enim unctuosis, & propter dulcedinem trahuntur ad inferiora membra. Si autem sint uermes in ano confert suppositorium de coto inuoluto ex

oleo olfacino, uel oleo simul cum aloe, uel cũ felle uaccino. Est etiã unum ingeniũ expertum, capiatur caro pinguis porci salita, et filo appendatur, & ponatur in ano, omnes enim uermes ad illam carnem conuertuntur, & adhærebunt, qua extracta extrahentur, et eodem modo ualent omnia clysteria uermes interficientia, quare, &c.

De cura superflui fluxus hæmorroidarum.

PRo *cura hæmorroidarum nota, quod alia cura debetur hæmorroidibus fluentibus, alia non fluentibus, alia dolorosis, alia non dolorosis.* Pro *cura fluentium duo canones sunt obseruandi.* Primus, *quod non debent à principio restringi, nisi quosque nimium fluat, quoniam corpus cum huiusmodi fluxu præseruatur à multis ægritudinibus. Si uero uideatur propinquitas sincopis, & color sanguinis uarietur de malo ad bonum, & uideatur debilitas, & mollicies, tunc debemus restringere.* Secundus *canon est, quod semper debemus intendere ad uentris lubricitatem, dando brodium carnium in clysteribus, uel casiam, uel brodium caulium, & hoc quia feces induratæ magnum causant dolorem in egressu suo.* Quibus *obseruatis quatuor intentiones sunt obseruandæ, prima debitum regimen, secunda diuersio, tertia restrictio, quarta confortatio, & sanguinis rectificatio.* Prima *intententio completur per stiptica, ut eam docet* Rasis, *quando dixit esse alterantia cibaria cum sumach, sintq; frigida, & stiptica.* Secunda *intentio completur per phlebotomiam uenæ basilicæ, & est uena epatis, quia est fons sanguinis, &*

talis extractio debet esse copiosa, & sit ad oppositum, ideo laudatur illa basilicæ. Item phlebotomia saluatellæ in manu. Item appositio uentosarum in hypochondrijs, & in regimine epatis, & in spatulis, & in adiutorijs brachiorum, etiam balnea extremitatum, & fricationes dolorosæ, etiam ligaturæ extremitatum superiorum. Tertia intentio completur per ea, quæ restringunt uias, & ingrossant sanguinem, & immobilitant eum interius, & exterius applicatis. Per interius cum syrupis, ut syrupi frigidi, & stiptici, ut sunt rosarum, myrtinus de succo acetosæ, de granatis, de citonijs cum aqua plantaginis, acetosæ rosʃ. solatri, confectio ex sacchoro rosʃ. cum bolo armeno, uidelicet dando in mane per duas horas ante cibum, uel ponendo de lapide hæmatitis, de corallis rubeis, et cum syrupo de granatis miscemus in modum electuarij, & ea exhibemus, etiam triphera ex arte fenonis, electuarium de scoria ferri, quod laudat Rasis in præsenti capite, et est multũ usuale. Et nota quod scoria ferri, est spurcicies ferri, squama uero, quæ separatur à ferro, cum super incude ferrum malleo percutitur, limatura uero, quæ cum lima diuiditur. Simplicia sunt, ut coralli rubei, lapis hæmatitis, bolus armenus, dando usque ad ℥.i. Nicolus ponit unum singulare, quod est expertum, & usuale sumatur squama ferri, & subtilissime puluerezetur, & bulliatur in aceto, postea exiccetur, & hoc fiat quater postea exhibeatur. Et dosis eius sit a ℈.i. usque ad ij. uel iij. dando bis, uel ter in hebdomada de dicto puluere, ualent enim in confortatione stomachi, epatis,

& rectificatione humorum. Et *quando ista non sufficiunt, debent alia usualia dari, ut trochisci de charabe, de terra sigillata, de spodio cum semine acetosæ, magis tamen usuales sunt, trochisci de charabe, & de terra sigillata.* Aliquando autem *nos oportet ad stupefactiua deuenire, & usualia sunt sicut athanasia* Nicolai *philonium persicum, dosis athanasiæ est à ʒ.i. usque ad ℈.iiij.* Per *exterius uero conueniunt balnea stiptica cum rebus fortiter stipticis, ut cum corticibus, & floribus granatorum, sumach, & alijs stipticis extinguendo aliquando ferrum ignitum, etiam pulueres, & emplastra.* Et *unum singulare est emplastrum de citonijs, quod fit decoquendo citonium sub cineribus, ponendo de bolo armeno, & de alijs stipticis usualibus, ut de sanguine draconis, dragaganto, balaustijs, gallis.* Et *conuenit emplastrum* Nicoli Floren. *in hac cura, & est tale:* Recipe *aloes, thuris, boli armeni, sanguinis draconis, pilorum leporis subtiliter incisorum, & cum albumine oui, & tela aranea, misce.* Item Nicolus *laudat cinerem sotularium combustorum.* Galenus *etiam quinto de ingenio sanitatis ponit emplastrum, quod melius credit non posse in restrictione sanguinis excogitari, quod fit ex aloe, olibano, & albumine oui.* Est *etiam quoddam secretum* Giringelli, *& est puluis de subere, id est, cortice quodam grosso poroso leui, ex quo fiunt pantofole, comburitur enim dictus cortex, & puluerizatur, deinde cum aliqua re appropriata fiat ano emplastrum.* Item Nicolus *ponit unum emplastrum, et est de cinere buffonis, quod positum supra hæmorroidas*

retinet sanguinē, & remouet dolorem, & delectat eas, et dicit, quod uenenositas deletur per adustionē sicut etiam in cinere scorpionum, & est in eo securitas. Quarta intentio est rectificatio sanguinis, & debet considerari si sit propter nimiam quantitatem sanguinis fiat minutio, et dieta, sit tenuis dimittendo carnes, oua, &c. Si propter nimiam aquositatem sanguinis, utatur dieta exiccatiua, & calefactiua. Si propter nimiam quantitatem cholerae, uel phlegmatis, humor digeratur, & euacuetur cum appropriatis, ut dictum est in capitulo de fluxu sanguinis narium. Nota etiam quod ualet unum singularissimum emplastrum, scilicet comitissae applicatum supra anum, quod tenetur confectum, & istud describit Bartholomaeus de Varignana, quare, &c.

Cura tumoris hæmorroidarum, siue cœcarum hæmorroidarum.

IN *cura tumoris hæmorroidarum diuersimode procedimus secundum diuersitatem intentionum, aliquando enim dolori intendimus, si enim nihil de materia egrediatur, tunc uehemens contingit dolor, quia à uena chilis quinque oriuntur uenæ, quæ ad anum terminantur, & intestinum rectum, & sunt ibi quædam pelliculæ cooperientes orificia prædictarum uenarum, quæ sunt maxime sensibilitatis, & ad quarum extensionem intensissimus dolor causatur. Remittimus autem dolorem cum localibus, quæ si non sufficiunt., oportet procedere cum his, quæ sanguinem fluere faciunt. Aliquando uero intendimus eas exiccare, & ita diuer-*

ßimode procedimus. Primo ergo intendimus dolorem mitigare. Secunda uero eas exiccare. Sunt tamen in primo aliqui canones obseruandi. Primus canon, quod si non fuerit dolor, nec apostema non est necesßitas curationis. Et hoc quia propter remedia fortia quandoq; deuenitur ad prauas ægritudines, scilicet cãcrum, uel fistulam. Secundus canon est, quod in cura huius ægritudinis sit studium in lenitione uentris, quia cum feces induratæ egrediuntur maximum causant dolorem in egreßu suo sua asperitate. Et sic fit humorum attractio ad locum. Lenitio autem fiat cum brodio carnium, uel cum casßia fistula, uel cum decoctionibus lenibus, uel cum brodio caulium. Tertius canon est, quod oportet, ut rectificetur corpus, ut magnus sanguis euacuetur. Istis stantibus oportet primo diuertere humorem fluentem. Et in hac intentione laudatur phlebotomia basilicæ, et phlebotomia saluatellæ, quæ est inter anularem, & auricularem. Etiam administratio uentosarum in spatulis, & ligaturæ dolorosæ, in adiutorijs brachiorum, & aliæ diuersiones, ut positiones extremitatum superiorum in aqua calida. Ad doloris etiam remisßionem ualent anodina supra locum applicata in forma unctionum emplastrorum, & unguentorum. De usualibus primo est oleum uiolarum quando sentitur calor, et ardor, sicut euenit in actu practico. Oleum etiam rosatũ, uitellum oui, cum oleo uiolarum incorporatum, ita ut reducatur ad formam emplastri, & extensum super panno lini ano applicetur, ualet etiam multum medulla panis infusa in lacte cum uitello oui, quæ simul ponantur ad bulliendum, postea misceatur albumen oui, ualet etiam

oleum de semine lini, oleum crisomillarum, & etiam ponatur cum crisomila, oleum decoctionis lumbricorum terrestrium, oleum etiam porcelionũ, id est, panaroles, singularem enim habent proprietatem in mitigatione doloris, si cum adipe gallinæ contundantur, & cum butyro incorporentur, & in forma emplastri redigantur, & ponantur supra locum, sedant enim dolorem illico, ut dicit Nicolus, *ualet etiam oleum decoctionis scarabeorum si contundantur, & cum oleo fiat emplastrum, & sint olea prædicta, uel amygdolarum dulcium.* Rasis 11. *continentis dicit, capiatur melilotum, et in aqua ponatur, & bulliat donec dissoluatur, & misceatur cum farina fœnugræci, & cum aliqua pinguedine, ut anatis, uel gallinæ, & in forma emplastri redigatur.* Giringellus *utebatur hoc remedio uidelicet capiatur super, quod ponitur in folis pinelarum, de quo supra dictum est comburatur, & puluerizetur, & cum aliquo oleo appropriato, ut de semine lini, uel uitello oui emplastretur, hoc enim maxime iuuat in mitigatione doloris.* Ioannes Matthæus Gradi *utebatur limacijs, quæ sunt naturaliter, sine testa decoquantur in oleo uiolato, & contundantur, deinde cum farina semine lini, uel fœnugræci fiat emplastrum bene incorporando.* E*st etiam unum singulare, & expertum remedium à me. scilicet faceret, ut infirmus sedeat in balneo anodino, quod remittat acuitatem, uidelicet faciendo decoctionem maluarum, uiolarum, matrum uiolarum, meliloti, fœnugræci, chamomilæ, foliorum althææ, florum tassi, barbassi, seminis lini, in qua decoctione sedeat infirmus, & ubi sedere non possit fiat epithyma cum panis lineis made-*

factis in dicta decoctione, & loco dolenti applicatis, & & misceantur etiam flores nenufaris, stiptica papaueris albi semen eius, & cortices, semen hyoscyami. Confidens *in uirtute discretiua consequitur intentionem mitigationis doloris.* Quando *autem ista non sufficiunt ad stupefactiua deueniẽdum est, quorum usualia sunt primo suppositorium ex philonlo rof.cum coto, uel ponendo more emplastri supra locum, ualet etiam athanasia* Nicolai, *ualet etiam hoc emplastrum:* Recipe *unguenti populeonis.℥.i.uitellum oui unum, opij.ʒ.i.uel usq; ad.ʒ.ij.croci parum simul misceantur, et in forma emplastri redigantur.* Mitigat *enim dolorem, sed non fiat nisi in intensissimo dolore. Si autem ista non sufficiunt, oportet hæmorroidas aperire faciendo fluere sanguinem, quia euacuato sanguine cessabit dolor.* Aperimus *autem cum diuersis ingenijs.* Pr *imo cum fricatione cum re aspera poros dilatante, ut cum folijs ficus, etiam cum paritaria, & si est tempus hyemis, ita quod folia non inueniantur, pannus asper accipiatur fricando cum hoc donec locus aperiatur.* Et *oportet nõnunquam ad fortiora deuenire, ut si sumatur pulpa colocynthidæ, & infundatur in oleo amygdalarum amararũ, & applicetur.* Aperit *enim in quinq; horarum spacio.* Ad *hanc etiam intentionem laudat* Auicenna *stercus columbinum cum saxifragia.* Succus *cæpæ etiam singulariter ualet, ut, scilicet succus extrahatur, & loco applicetur, facit enim ad aperitionem.* Est *enim sua acredine ulceratiuum, ualet etiam fel uacinũ.* Radix *etiam cyclaminis, uel succus eius.* Practici *etiam quandoq; applicant sanguisugas non uenenosas.* Et *primo*

inungunt locum cum sanguine gallinæ, uel columbæ, ut sanguisugæ loco adhæreant, quia quàm primum sanguisugæ sanguinem degustant figuntur, & sugunt ipsum unde replentur, & tumefiunt, & ita fortiter quandoque adhærent, quod uix possunt euelli, & ut euellantur accipiatur de cinere, & supra caput earum spargatur, quia subito cinere percepto separantur, quas capimus, & ponimus in uase, ut sanguinem quem suxerunt euomant, & ut euomant utimur hoc ingenio, scilicet ponendo sal super eas, & statim euomunt totum sanguinem. Deinde *si iterum indigemus sanguinis extractione iterum eas applicamus faciẽdo, ut supra.* Si *autem non habebimus sanguisugas, tunc extrahemus sanguinem cum phlebotomia, sed hoc uitare debemus quantum possibile est propter difficultatem consolidationis, quod si ex necessitate fiat consolidemus considerata quantitate sanguinis extracti.* Aliquando *etiam non stat dolor, nec sunt consuetæ fluere nec æger est consuetus pati talem fluxum, sed sibi displicet talis tumor unde uellet eas remouere, quamuis sit casu non suprascriptus, quod si non est dolor, nec apostema non debent curari.* Si *etiam esset consuetus pati talem fluxum non restringatur, nec exiccetur, sed pur quando uolumus exiccare, est quando non sunt solitæ fluere aliter non, tamen secundum* Auicennam, *si per interius sumantur de galbano.ʒ.ij.tribus uicibus exiccat, & hoc expertus est* Matthæus Gradi *in quodam, & bene ei successit, & sicut dicit* Auicenna, *ualet etiam ad idem puluis antimonij, pro quo uide* Auicennam *secundo canone, & applicatur per exterius.* Item *per exterius ualet epithyma*

factum ex decoctione siliquarum, id est, charabe: Item cũ *aqua piscium salitorum, uel capita piscium cum modico casei salsi apponantur supra locum, anacardi fructus quidam à proprietate ualent, & applicantur hoc modo, incidantur dicti anacardi, & ex eis locus fricetur, & quidam ponunt eos supra prunas, & cum emboto, quod est instrumentum quoddam, faciunt ne recipiatur fumus, ita quod habeatur scutella ĩ qua sit cinis, et prunæ ignis, in qua ponantur de anacardis, deinde cooperiatur scutella emboto, & totus fumus recipiatur, & bene ingrediatur hæmorroidas, ualent etiam folia serpentariæ, & hoc à proprietate, ut dicit* Nicolus. Radix *etiam serpentaria, oleum serpentariæ, & cineres eorum, & cortices multùm ualent, uel stringantur hæmorroides cum capillis caudæ equi, uel serico paulatiue à principio stringendo, & in processu magis stringendo, & tales uenæ stringantur, & paulatiue exiccentur, quare, &c.*

Cura exitus ani.

PRo *cura exitus ani, primo oportet considerare si cum humiditate complicetur caliditas, si non, stat intentio calefactionis, & exiccationis, & in hoc casu ponit* Rasis *remedium singularissimum, & ita dicit* Nicolus *ego soleo hoc facere ex succo hypochistidos, & acatiæ, fiat puluis, & ex puluere isto etiam ego utor.* Modus *autem applicari est, quod quando infirmus uadit ad assellam, & intestinum est grossum, uidendum est, si est inflammatum, & rubeum, si sic, lauamus ipsum cum aqua hordei, uel facchari, si uero non, lauamus ipsum cum ui-*

no rubeo,uel etiam cum decoctione balaustiarum,corticum granatorum,& aliarum rerum stipticarum,& hoc ubi non sit caliditas, postea inungere cum oleo rosato,& inde aspergimus ex puluere stiptico,deinde intromittatur, & quiescat cum coxis eleuatis, & strictis. Et hoc oportet facere fecibus emissis. Quidam laudant rosas contritas facta lotione intestini, & inunctione ex oleo rosato,myrtilorum,citoniorum.Similiter ualet puluis thuris,uel sandaracæ. Forte autem remedium in exiccando est scoria ferri posita supra intestina, uel uinum decoctionis eius,est enim multum stipticum,quando intestinū non est inflammatum utimur supra scriptis. Sunt etiam remedia ualentia quando est inflammatum,quæ tu discernas. Vbi ergo sit inflammatum inungimus ex oleis, & unguentis frigidis,& siccis,ut cum oleo citoniorum,rosarum, unguentum etiam sandalinum est singularissimū, & usuale,& facta prius lotione,& hoc quando est humiditas laxans. Et nota quod Rasis tacuit debitum regimen in medicinalibus, & in sex rebus non naturalibus, quæ omnia requiruntur ad curam ultra localia,& ratio est,quia in cura paralysis fuit sufficienter dictum,in cura enim relaxationis, oportet regimen esse calidum, & siccum,oportet etiam digerere materiam phlegmaticā, & eam euacuare, postea malam complexionem remouere,& confortare.Si uero est apostema, intentio est remouere materiam apostematis,& facere decoctionem ex rebus anodinis,ut ex camomila,malua, althea,semine lini, semine fœnugræci,& applicentur supra intestinum apostematum. Laudatur etiam aqua calida, intelligendo de

apostemate facto, ut ponit Rasis nõ autem de fiente, quia tunc stant aliæ intentiones. Quia si est materia admixta sanguini, tunc primo diuertimus à principio cum phlebotomia. Si uero sit à sanguine, diuertimus cum uentosis, uel uomitu: Item repercutiendo, scilicet faciendo epithyma ex aqua rosarum, plantaginis, &c. Quando uero est factum, resoluimus cum decoctione dicta, & applicentur panni, uel spongia in dicta decoctione malefacti, fiat etiã inunctio cum oleo chamomilino, & fiant reliqua, puta fomentationes, emplastra, balnea, unctiones, uaporationes, quæ omnia habeant rsoluere materiã, & hanc intentionem tetigit Rasis, postea intromittatur intestinum, & curetur, ut dictum est supra, abluendo, inungendo, et imponendo illa stiptica, stet etiam æger cum coxis eleuatis post remedia applicata, quia erit situs satis conueniens, quare, &c.

Cura exitus matricis.

IN cura exitus matricis etiam considerare, oportet utrum sit apostema uel non, & utrum sit mollis, uel tractabilis, quia tunc est materia humida relaxans, & tunc facta lotione, aspergatur cum puluere stiptico dicto in alia cura, scilicet de exitu ani, & intromittatur. Aliquando enim non potest ingredi, & aliquando tota egreditur, ut dicit Auicenna, & putrefit. Et ego uidi mulierem habentem matricem inter coxas pendentem, & putrefactam cui abscisa fuit, et adhuc illa per plures annos uixit. Præterea tempore pestis Papiæ mortua est. Practici etiam applicant per inferius prauos odores, &

ſuffumigant, ut faciendo ſuffumigium ex pennis perdi-cum, & facere, ut fumum recipiant quando ſentiunt ma-tricis deſcenſum. Capiunt etiam aſſam fetidam, et ponunt ſupra carbones ignitos, ponẽdo ægram in cathedra per-forata, qua poſita ſupra carbones recipiant fumum: Item caſtoreum, quod habet terribilem odorem. Contundunt etiam folia urticæ, & ſuperponunt matrici, ſimiliter ma tricariam, quàm criſpulam uocant, miſcendo cum oleo de ſemine lini, ponunt etiam ouum corruptum ſub gallina fo uente oua cum quo intingunt lanam, & matrix fugiens prauos odores petit partes ſuperiores, ſi etiam teneat patiens apud nares bonos odores iuuat, quia matrix per-cipiens eos inſequitur, & conſequenter magis conatur ad aſcendendum, ſed ſi iſta non ſufficiunt, habeatur opti-ma obſtetrix, quæ intromittat matricem, poſtea coxæ ele uentur, & in hoc ſitu ſtet, uel fiat inſtrumentum ſicut uir ga uirilis, & imponatur inunctũ, facta tamen prius lo-tione uini rubei ſtipt. gallarũ, hypochiſtidos cũ balauſtijs & floribus granatorũ, & inungere cum oleo de citonijs, uel myrtino. Poſtea cum pulueribus aſpergendo, uel acci piendo ſtupas iuſuſas in albumine oui cũ pulueribus, & alijs prædictis, & cũ bolo armeno, ſanguine draconis, an te et retro ĩ ſitu debito ſituetur. Si ſit apoſtema cõſidere mus tẽpus apoſtematis. In principio procedimus cũ rep cuſſiuis, in augmẽto miſcemus reſolutiua cũ repercuſſi uis, repcuſſiuis dominãtibus, in ſtatu repcuſſiua cũ reſo-lutiuis, ſed reſolutiuis dominantibus in declinatione pure utemur reſolutiuis, et conſolidatiuis, poſtea intromitta-tur, & fiat ut dictum eſt de exitu inteſtini, quare, &c.

Cura

Cura superflui fluxus menstruorum.

IN cura huius ægritudinis sunt duæ obseruandæ intentiones. Prima est abscisio causæ. Secunda est retentio sanguinis fluentis. In prima intentione oportet considerare, si proueniat ex sanguinis abundantia, & tunc oportet remouere cum phlebotomia, & dieta tenui prohibēdo comestionem rerum sanguinem multiplicantium, ut oua, uinum, carnes, &c. Si uero proueniat ex sanguinis subtilitate, & cholericitate, tunc oportet cholerā digerere, ut cum syrupo rosato, de succo acetosæ, de ribes, de granatis cum aqua plantaginis acetosæ, portulacæ, & rosarum, euacuando postea cum myrobolauis citrinis, qui ultra hoc, quod euacuant, etiam infrigidant, facta euacuatione oportet alterare malam complexionem cum supradictis, ut cum syrupo rosato, trochiscis rosarum, cum diarhodon, cum triasandali, cum epithymatibus, ut cum aqua rosata, plantaginis, cum oleis, & emplastris infrigidantibus. Si sit ex nimia aquositate humor phlegmaticus digeratur cum melle rosato, & aqua absinthij euacuando, postea cum myrobolanis, chebulis, deinde remoueatur mala complexio cum contrarijs. Si sit à casu stat intentio consolidationis. Si ab ulceribus duæ sunt intentiones, scilicet absterſio, & consolidatio, pro quibus fiendis uide dicta inde mictu saniei. Secūda intentio principalis, est retentio sanguinis fluentis, quæ duobus perficitur ingenijs, scilicet diuersione sanguinis per aliā uiā, et restrictione uiarū per quas fluit sanguis. In primo ingenio laudatur phlebotomia basilicæ, oportet etiā applicare uētosas sub mămillis, quia multū diuertunt à matri

ce, ut habet Hippocrates quinta particula aphorismorũ: Mulieris menstrua si uis retinere, sithiã maiorẽ mamillis appone, etiam cum ligaturis dolorosis, & impositione extremitatũ in aqua calida, sed illæ uentosæ sunt multũ usuales mane, & sero apponantur ante cibum, fricationes etiã, & uentosæ in brachijs multum ualent. Secundũ ingenium, quod est constrictio uenarum per quas fluit sanguis, perficitur cum his, quæ exhibentur per superius, et inferius, interius, & exterius. Per interius cum syrupis constrictiuis, ut cum syrupo rosato, myrtino, de citonijs, de granatis, cum aquis solatri, plantaginis, & acetosæ. Et de aqua plantaginis, dicit Auicenna, quod ipsa nõ habet sibi simile in retinendo huiusmodi fluxũ. Valent etiã ad hanc intentionem trochisc. de charabe, & sunt multum usuales exhibendo ℈.ij. uel.ʒ.i. cum syrupis prædictis, ualent etiam trochisci de spodio, cum semine acetosæ, trochisci etiam de terra sigillata exhibendo, de quolibet illorum.ʒ.i. cum syrupo uel aqua plantaginis: Item coralli rubei à ℈.ij. usq; ad.ʒ.i. uel exhibere tantundem de lapide hæmatitis, cum aqua appropriata, electuarium etiam de scoria ferri est multum usuale, etiam triphera ex arte fœnonis, quam laudat Auicenna, ualet etiam multum confectio ultimi iuuamenti isto modo appellata quã multum laudat Auicenna. Et nota, quod ista intentio restrictionis est à principio ponenda in actu practico, quia si multum differamus, natura postea assuefacta per illam uiam difficulter remouetur, ab illa scoria ferri, etiam est singularissima, & experta. Suppositoria etiam multum conueniunt, & sic Rasis laudat unũ in litera, quod cum

lana uel coto debet imponi intinctum in aqua, uel succo plātaginis ponendo de olibano, balaustijs, antimonio, acatia, alumine, etiā sedeat patiēs in aqua de curcuma, quam quidā dicunt esse chelidoniam, quidam uero aliud. Quando causa est sanguinis aquositas, oportet eam remouere cum exiccantibus, & ideo conuenit balneum rerū stipticarū, ut ex rosis, corticibus granatorum, ponendo in dicta decoctione plantas pedis usque ad genua, uel in ipsa madefacere pannos lineos, & ponere ipsos in regionibus matricis ante, & retro, unctiones etiā cōstringentes conueniunt, ut unguentum sandalinum de anthera uel comitissæ, & ex istis fiat inunctio supra dorsum ubi est situs matricis, et uēter inungatur ex oleo myrtino, de citonijs, postea aspergimus de puluere rerum stipticarū, ut de puluere boli armeni, sanguinis draconis, terræ sigillatæ corticum granatorum, gallarum, balaustiarum, rosarū, &c. Per inferius uero ponantur suppositoria ex lana, uel coto, intincta in succo plantaginis, solatri, uel aquis earum, & aqua rosarum, ponendo de terra sigillata, bolo armeno, & cum aquis frigidis, & alijs pulueribus prædictis, conueniunt etiam clysteria cum aqua plantaginis, bolo armeno, sanguine draconis, dragagāto, clysterizādo matricē. Quod si ista nō sufficiunt, tādem deueniendū est ad stupefactiua, ut dando athanasiæ Nicolai, ℥.i. uel philonij persici. ℥.i. causa constringendi, & est fiendum in casu disperato, ut uirtus confortetur, deinde procedimus cū diuersis remedijs. Rasis docuit, quod fiat pessariū acutū, quod cauterizat, & generat escarā, sed nō laudatur, nec est usuale, fit solum in casu desperato, quare, &c.

Cura retentionis menstruorum.

QVando in corpore mulieris non est sanguis superfluus, tunc si per menstrua non emittatur, non est mirandū, quia natura intēdit corpus restaurare, ut multotiens accidit in mulieribus cum patiuntur ægritudines, uel febres chronicas, quia tunc natura intendit illum sanguinem retinere, pro corporis conseruatione, & restauratione, & ita tunc sanguis non superfluit nec per menstrua emittitur, unde tunc prouocari non potest, sicut accidit cuidam scholari nouiter practicanti cū uellet menstrua prouocare in quadam muliere extenuata ex quartana quam longo tempore passa fuerat, unde nunquam potuit, quare misit ad me mulierem, qui eam uidens dixi nunquam posse prouocari, donec mulier esset bene restaurata. Nota quod trochisci quos Rasis in litera describit sunt usuales, & eis practici communiter utuntur, & tenentur confecti, & multum ualent in prouocatione fœtus, et menstruorum, etiam adiuuandum exitum, & dentur cum decoctione iuniperi, de quo dicit Dioscorides, quod tantum prouocat, quod facit sanguinem mingere. Cura huius ægritudinis reducitur ad duas principales intentiones, prima est abscisio causa retentionis, secunda est facilitatio exitus, siue prouocatio. Prima intentio sic perficitur, nam si causa sit ex parte fortitudinis, caloris, seu uirtutis, quod talia menstrua retineantur non debent prouocari, quia calor est sufficiens ad cōsumendum tales superfluitates, sicut accidit in mulieribus, quæ sunt uiragines, & utentibus fortibus exerci-

tijs. Si uero ex debilitate uirtutis, oportet bonum cibum exhibere, ut uinum, oua sorbilia, carnes, & similia sanguinem generantia, & restaurantia uirtutem, & non oportet prouocare, sed ut supra dicebatur, oportet expectare dispositionem in qua reducta sit natura ad suam naturalem dispositionem, qua reducta si remaneat sopita, tunc oportet eam adiuuare, & prouocare. Si uero fuerit propter materiam oppilantem phlegmaticam sicut plurimum contingit, oportet eam digerere cum syrupo de bisantijs, de duabus radicibus, & quinque radicibus, cum aquis apij, fœniculi, cuscute, postea uero euacuamus, et de solēnibus euacuatiuis est agaricus, quia mūdificat materiam phlegmaticā, & maxime à matricibus mulierū, & est singulare. In hoc casu euacuamus etiam cum electuario indo, cū diafenicone, deinde oportet alterare, & malam complexionē remouere, ne iterū reaggregetur materia, cōfortando stomachū, & epar, cū inūctionibus, et cōfectionibus in alijs locis proprijs iā dictis. Si uero ex parte organi, oportet cognoscere causam. Si fuerit propter materiā phlegmaticā oppilantē, tunc digerimus, deinde euacuamus diuertēdo ad intestina, ut dādo semel in hebdomada pilulas masticinas cū agarico, uel de hiera simplici cum agarico, uel de hiera magna cum agarico, & cum istis taliter diuertimus materiam ad intestina, ne amplius reaggregetur in matrice, & tunc disponimus regimen declinans ad calidum, & siccum. Si uero ab apostemate proueniat curetur cura apostematis ut supra dictum est. Si autem ab ulcere cura est imposs ibilis, sed ordinetur regimen, & non multum comedat, & exercite-

tur,& eu teuemus sanguinem per phlebotomiam frequenter,ut sanguis,qui debebat per intestina fluere, resoluatur hoc regimine,uel euacuetur hac euacuatione per illas uias.Si causa sit nimia pinguedo, curetur cum forti exercitio tolerantia famis,& cum alijs resoluentibus. Secunda intentio principalis,est prouocatio menstruorum,quæ fit cum illis,quæ per superius, & inferius administrantur.De his,quæ per superius sunt omnes syrupi,& aquæ aperitiuæ,ut est syrupus de bisantijs, de duabus radicibus & de quinque radicibus, cum aquis apij, fœniculi, cuscute. Decoctio etiam communis quinq; radicum sola conuenit,scilicet petrosilij,brusci,fœniculi,sparagi,apij, & hoc est expertum à mulieribus maxime monialibus abstinentibus à coitu,admiscetur etiam de sauina parua, quæ est maxime prouocatiua,conuenit etiam decoctio facta ex pulegio,calamentho,mentastro, & origano,conuenit etiam decoctio cicerum rubrorum,faseolorum,uel ex rubea tinctorum,quæ est multum prouocatiua,& damus de huiusmodi decoctione.℥.v.uel.vi.in mane, & debet exhiberi calida, & cum syrupo de duabus radicibus,damus trochiscos descriptos in litera à Rasi,& communiter damus de huiusmodi trochiscis.ʒ.i.uel ℈.iiij.sed habent odorem ualde paruū,sed in forma pilulari melius capiũtur,cassia lignea est maxime prouocatiua,etiam eius cortex,cinamomum etiam,& crocus multum prouocant, ponendo in scutella brodij, maxime cicerum uel faseolorum rubrorum, in aqua decoctionis sit radix apij,postea ponẽdo crocum,& de istis omnibus pulueribus possumus dare.ʒ.i.uel cassiæ ligneæ solū.ʒ.i.Et Ioãnes Matthæus

Gradi dicit, capiatur cassia lignea, borrax gũmi quoddam quo utuntur aurifices ad consolidandum aurum, & de istis cum aqua apij, uel decoctione sauinæ detur in potu. Dosis autem istorum puluerizatorum sit.ʒ.i. Valet etiam sedere in balneo decoctionis rerum prouocatiuarum menstruorum, & quando uolumus prouocare, oportet expectare tempus in quo natura sit consueta illum sanguinem expellere, & tunc fiat decoctio ex rebus dictis, uel applicentur alia dicta bis in die, scilicet mane ante prandium, & ante cœnam, prouocamus etiam cum fortibus fricationibus, fricetur ergo ueter, & coxæ, quia attrahit ad matricem, sanguis etiam cum appositione uentosarum, & sic practici faciunt, applicant enim uentosas in parte domestica coxarum, uel sub curuatura poplitis, id est, genu, quia ibi est uena, quæ respicit matricem, laudatur etiam phlebotomia saphenæ, quæ est singularis in hac prouocatione. Sed aliquando sanguinis fluxus ad matricem, & uenæ matricis sunt clausæ, unde opus est tũc ponere in matrice aliquid, quod aperiat orificia uenarum, cum uenæ sint clausæ, ut sanguis non possit egredi, ideo est herba, quæ appellatur mercurialis, quæ si capiatur, & contundatur, uel subtiliter incidatur, & ligetur in petia lini; & ponatur ad intra matricẽ, in nocte aperit orificia uenarũ, & debet hæc petia poni cũ filo appẽsa, ut possit libere extrahi. Aliud etiam singulare, quod laudat Ioannes Matthæus, est farina gith, quod apud uulgares appellatur githon, & est granũ nigrum, & rotundũ, quod nascitur in frumento, cõtundatur siue teratur, & ligetur in panno lini subtili, & ponatur, ut su-

pra, & mirabiliter operatur. Mithridatum *etiam ualet cum mastice, ut capere mithridati.ʒ.i.masticis* ℈.*i.& superponatur.* Et *licet mastix sit stipticus tamen est attractiuus, unde si retineatur in ore, mirabiliter attrahit phlegma à capite.* Si *fortiora uolumus, habemus quasdam gummi species, ut galbanum, serapinum, oppoponacum, euphorbium, de quo dicit* Auicenna *in capite de præfocatione, quod prouocat in illa hora qua sumitur, etiam colocynthida, elleborus, scammonea, cyclamen, si mulier transeat super ea, prouocat menstra mirabiliter, fiant ergo ex eis suppositoria alligata filo, & aliquando trahitur ad matricem tanta materia, quod uir per mensem non potest coire.* Et *si ista suppositoria faciunt ardorem maximum, sicut sæpe contingit ita, ut mulieres blasphemant medicum, madefaciant pãnos lini in aqua rosarum, & albumine oui, oleo uiolato, rosato, & lactæ, & superponatur, & si opus fuerit remouebitur ardor cum prædictis, etiam cum litargirio, quare, &c.*

Cura præfocationis matricis.

IN *cura præfocationis matricis, prima intentio est conuertere uapores, qui eleuantur ad superiora ad partes inferiores, et prohibere ne alij uapores ascendant, & hoc pluribus modis.* Primus, *ut dicit* Rasis *fricentur extrema inferiora.* Secundus *est, ut etiam dicit, quod fiant ligaturæ fortes, & sic faciunt practici ligantes crura, et coxas, et dimittunt ligata aliquãto tempore.* Tertio *fit cum uentosis ponendo circa partes inferiores, scilicet partes domesticas coxarum, & in car-*

nositate tibiarum, uel supra sumen. Et si illa non suffi-ciunt, fiat phlebotomia in saphema pedis, quia attrahi-tur sanguis, & materiæ ad inferiora, laudatur etiam phlebotomia sub poplite, id est, genu, sed oportet primò causam diuertere si est ex retentione menstruorum, & non ex spermate corrupto per retentionem, quia si ex spermate corrupto, tunc traheremus illud sperma cor-ruptum ad intra uenas per talem phlebotomiam, quia non esset fienda, diuertimus etiam uapores cum rebus o-doriferis applicatis intra. Et ita Auicenna *laudauit galliam, scilicet muscatam in qua ingreditur gallia, & muscus, etiam elefanginam quoniam uapores ad ista con uertuntur, accipiatur etiam muscus, ambra, gariophyli, cinamomi, incorporando cum storace liquida; & fiant pilulæ ad modum lupinorum, quarum una ponatur supra ignem, ut effumet, deinde ægra ponatur ad sedendum in cathedra perforata, & recipiat huiusmodi fumum, acci-piunt etiam practici de oleo, de lilio, irino, laurino, et de musco, dissoluendo in eis de gallia, & iniiciunt in matri-cem, & faciunt, ut obstetrix experta intingat digitum medium in hoc liquore, deinde imponat in matricem, & circumuoluendo ducat hincinde causando quandam ti-tillationem, unde matrix commouetur ad appetitum co-eundi, & percipit delectationem, & per hoc quandoque politur quod egreditur sperma corruptum.* Etiam ad *idem ualet quoddam simplex, quod dicitur uulgari ser-mone zibet, uel zebet, quod applicatur eodem modo sicut supra dictum est, de quo semel usus fui in muliere qua-eam patiente præfocationem, cui causauit tantum appe-*

titum coeundi, quod quasi continue uolebat marito suo copulari, deinde rogauit me sibi uelle tamen appetitum remouere, dixi quod ex se remouebitur post aliquot dies. Et nota quod si uir quando uult uti cum muliere, ponat in summitate uirgæ de dicto zibet, & subito utatur causabit in eo maximam delectationem. Per superius uero conueniunt ea quæ malum habent odorem, quia in sursum conuertuntur fumi, uel materiæ, ideo oportet eos reprimere inter quæ est assa fetida, quæ ponatur sub naribus, etiam castoreum est singulare, similiter serapinum & galbanum, si ponantur supra carbones ignitos, uel ponantur ad nares, tenere etiam in ore radicem zedoariæ confert, mulieres capiunt sotulares, & cõburunt in igne & ponunt in oleo de semine lini, & recipiunt fumum, & istud est corij combusti, fumus enim iste fugat serpentes uiuos, ut uidi in uno existente in hospitali Papiæ, qui habebat uiperam in stomacho, cui fecerunt multa remedia, ut eam expellerent, scilicet ponendo lac ad os, & multa alia, ueniebat enim ad os, & nolebat egredi, tandem factis fiendis æger fuit suffumigatus ex tali fumo, & statim uipera uisa est egredi per anum, fumus etiam pēnarum, præcipue perdicis combustarum conuenit, & sic releuamus ægram à paroxismo præfocationis, & quia tunc oportet in abscisione causæ insistere, euphorbium est multum prouocatiuum, ut supra dictum est, hoc etiam medicamen potest exhiberi. Recipe seminis agni casti, seminis dauci, cinamomi, croci, ana ℈.s. fiat puluis subtilis. & sumatur cum aqua infrascripta. Recipe aquarum nepite, arthemisiæ, & buglossæ, ana ℥.i. misce. Si

uero ex spermate retentio fiat, & sit puella, uel non consueta uiro, uel uidua, tunc debemus dare maritum si est possibile. Si uero non uellet nubi, uel esset monialis, phlebotomemus sæpe eam, & faciamus eam ieiunare, & fortiter exerceri, dimittat etiam carnes, oua, et uinum, utatur semine, & folijs agni casti, ruta, cymino, dauco. Secretum Ioannis Marliani *quod exiccat sperma. Recipe dauci ℥ i. dissoluatur cum aqua arthemisiæ, & bibatur. Auicenna etiã laudat uinũ simplex, quod dicitur alsosor, & dicit cum sumitur est sanitas in eo, quare, &c.*

Cura ra adiarum vuluę, & eius apostematis.

Nota quod pessarium dicitur clystere matricis, nascale uero dicitur suppositorium eius, sed aliquando confunduntur, hyssopi cerotum, est hyssopus humida, & est sordities, quasi sudor accepta à pellibus ouium, quod cerotum est sublime in mollificando, & ideo applicatum super illas scissuras, quæ maximum causant dolorem soluendo continuum est singularissimum. Quantum uero ad curam apostematis, istud apostema aliquando terminatur per resolutionem, aliquando conuertitur ad dubleti, id est, collectionem, & saniem, etiam quia multotiens generantur in matrice apostemata, melancholica, cancerosa, ideo cõmuniter practici utuntur unguento de plumbo ad extrahendum adustionem, capiuntur enim liquores diuersi, maxime illi descripti à Rasi *in litera, uidelicet cãphora, sandali, et alia frigida bene pistentur in mortario plũbeo cum pistello plũbeo, et istud applicatur apostemati cãceroso. Emplastrũ etiã de meliloto ualet in omnibus apostematibus interioribus, & dissoluatur hoc*

emplastrum cum aliquo oleo, ut cum oleo de semine lini, sedat enim dolorem, & mundificat. Et nota quod in cancro confirmato, non oportet uti acutis, sed blanditiuis, quia si cum acutis procederemus, tunc materia magis adureret, procedendum est ergo cum aqua, uel succo solatri, & plantaginis, oleo uiolarum, rosarum, mucilagine, psillij, unguento de cerusa, de plumbo. Pro cura etiam ragadiarum conueniunt rosæ, oleum chamomilinum, de semine lini, uiolarũ, rosarũ, ut dictum est supra, emplastrũ de plũbo dissoluto cũ oleo de semine lini, linitũ, uel clysterizatũ ualet ad omnia apostemata interiora, ualet etiã balneũ anodinũ in quo sedeat, ualet etiã supporatio, uel suffumigatio, debent ergo istæ ragadiæ primò abstergi, deinde consolidari, nisi sint cancerosæ, quare, &c.

Cura molę matricis.

CVra molæ matricis, est cura retentionis menstruorum, ita quòd procedere debemus cum his, quæ prouocant menstrua, ut cum decoctione calamenti, radicum pulegij, corticum cassiæ fistulæ, & similibus prouocantibus menstrua. Si ergo prouenerit à uentositate, & non ab aliquo sanguine retento, nec carne generata, fiat decoctio de seminibus; & ea quæ diximus in capite de cholica uentosa, ualet enim resoluendo uentositatem diacyminum, dianisum, diagalanga electuarium de baccis lauri, fiant etiam pessaria ex mercuriali, gith, uel si fortiora uolumus, faciemus ex cardamomo, oppoponaco, euphorbio, sed ad ista fortia deueniendum est in ultimo alijs iam probatis. Item inungendo, fundendo, bal-

neando, cum his, quæ habent uirtutem resolutiuam, inungendo uidelicet cum oleo de balsamo. Item faciendo etiã pessarium de ruta, mentastro, de quibus dictum est in capite de retentione menstruorum, & cum mithridato, mastice, &c. semper à leuioribus inchoando. Confert etiam sæpe mundificare corpus patiẽtis cum pilulis fetidis, sed quando ista non prosunt relinquatur naturæ, quia ipsa ex se resoluet superfluitates. Nota quod sicut generatur hæc mola in matrice, ita etiam generantur aliæ res præter naturam, ut testor me uidisse in quadam muliere Papiensæ, quæ putans se esse prægnantem, post 12. menses emisit frustum unum carnis satis magnum, et multa alia parua, & simul cum illis peperit animal ad similitudinem unius tenconis piscis, & erat coloris uiridis obscuri supra tergum, & infra erat rubei coloris, & habebat coriũ ita durũ, quod uix cum gladio scindi poterat, habebat enim motũ, & plicabat se sicut eritius, quare, &c.

Cura herniæ, siue crepaturę.

Pro hac cura duæ sunt intentiones notandæ. Prima est reductio intestinorum ad situm suum. Secunda est intestinorum retentio in situ suo conuenienti, et consolidatio rupti, siue dislocati. In prima intentione regimen debet esse prohibitiuum uentositatis, & non generatiuum, quia si intestina descendunt tunc tumefiunt, & nõ possunt bene reingredi, reductio autem intestinorũ fit hoc modo, iubent enim practici, ut resupinetur infirmus cum coxis sursum eleuatis, & si ex ipsis non ingrediantur, tunc oportet cum leui compreßione illa ad intra

siphac reducere, & si nõ possumus propter uentositatem resistentem, quæ est in intestinis, prohibens eorum ingressum, resoluamus illam uentositatem, postea intromittamus, resoluemus autem cum decoctione meliloti, anethi, seminis lini, fœnugræci, anisi, cymini, semen etiã carui cum spongia uaporando, uel cum uesicis illa decoctione plenis, & inungendo cum oleo amygdolarum dulcium, chamomillino, & anethino, ut mollificatis intestinis, & siphac melius ingrediantur, & leniter tractando introducantur, eleuamus etiam coxas infirmorum, et caput tenemus depressum, sæpius agitando cum cruribus eleuatis, ut melius ad situm suum reducantur. Secunda intentio est retentio intestinorum in loco suo, retinemus autem cum ligatura debita, cum bragerijs, quæ comprimendo locum comprimant ne intestina descendant, aliquando autem ad retinendum, & consolidandum sola ligatur à sufficit maxime in infantibus, qui habent uirtutem restauratiuam bonam, & in eis fit talis consolidatio, aliquando indigemus medicaminibus, & de eis sunt quædam cerota, ut est cerotum Rasis in litera, etiam cerotum aliquod usuale, quod dicitur cerotum depelle arietis, & istud tenet confectum aromatarius de la ferenela P. piæ, in quo ingreditur sanguis humanus, cuius descriptionem habes à Ioanne Matthæo Gradi in quodã consilio quod facit de ruptura siphac, et est hoc. Recip. picis naualis. ℥. ij. litárgirij. ℥. i. ceræ citrinæ, & rubeæ, colophoniæ, ana. ℥. ij. aromatici, oppopanaci, bdellij, galbani ana. ℥. i. uisci quercini. ℥. iij. aloes. ℥. i. ß. masticis, corticum thuris, myrrhæ, terebentinæ, nucis, cupreßi, glu-

tinis piscium, sarcocollæ ana. ℥.i. s. boli armeni, gypsi ana. ℥. iij. aristologiæ longæ, & rotundæ, mumiæ, sanguinis draconis ana. ℥. ij. radicum consolidæ maioris et minoris san. ℥.i. sanguinis humani lib. s. ciperi, sansuci, acaciæ, gallarum ana. ℥. s. sauinæ capitum granatarum ana. ℥. s. Item Recipe *pellem arietinam unam, & decoque diu in aqua duplici pluuiali, quousq; pelles dissoagulata sit, tunc mollifica uiscum et gummas in dicta aqua pluuiali, & pone ad ignem, quousque omnia bene dissoagulata sint, deinde cola, postea adde desuper puluerem omnium aliarum rerum, & iterum reduc ad ignem, & coque quousque sit ad modum emplastri, postea ipso utere.* Nota *tamen pro regula quod ipso ap posito non remoueatur circa nouem dies patientę semper, quantum possibile est quieto manente, nam ut refert Auenzoar libro uigesimoquarto thesir, quidam iuuenis qui hoc morbo laborabat, stetit duobus mensibus super dorso suo, & cũ bono regimine sine medicinarum applicatione liberatus est, uide prædictum consiliũ, quia ibi ponit multa alia, & singularissima.* Alia *sunt ingenia retinendi intestina, ne descendant.* Quidam.n. *cauterizant locũ per quẽ descendunt intestina, ut in inguine dextro si per locũ illũ descendũt, quia per hoc generatur caro callosa prohibens descensum.* Alij *faciunt foramen in loco dicto, & imponunt filũ aureum, & ita continue procedunt constringendo, & faciunt istud foramen per constrictionẽ ita strictũ, quod intestina non possunt descendere.* Alij *uero faciunt per castraturam, ita quod scindunt illũ testiculũ, & uasa spermatica, & ita didimũ postea caute*

uizant,et ita generatur escara in pinguibus,in musculis faciunt fasciā ab ipsis incipientem,& descendentē usque ad inguina,& ita ad alium musculum,& est optima ligatura quàm ego fieri feci pluribus Papiæ. Est unus ferrarius in sancto Ioanne in burgo,qui facit bragerios ferreos,& sunt optimi, & multum iuuantes. Si uero proueniat à uentositate cognoscimus, quia ibi non est grauitas, & est magna traslucentia, cognoscimus etiam ex tactu bursæ testiculorum,quod sit uentositas,& ista maxime apparet in hydropisi asclite, & maxime in tympanite, & tunc in cura est procedendum cum resoluentibus,ut cum oleo de cherua, cum oleo sambacino, quod sit ex folijs sambacis de lilio, chamomilino, de ruta, de anetho. Remedium singulare, quod laudat Auicenna est emplastrum factum ex fabis decoctis eo modo,ac si uellemus eas comedere Sunt enim calefactiuæ,& exiccatiuæ,ideo ualent emplastrate cum oleo chamomilino,rutaceo,de lilio secundum quod uolumus magis,uel minus calefacere, possumus etiam ponere de alijs seminibus, ut anisi,anethi,carui,cymini. Si uero proueniat ab aquositate procedimus cum calefactiuis,& exicattiuis,ut cum emplastro de stercore uaccino,& caprino. Sed si ista,& alia calefacientia non ualeant, fiat foramen in bursa testiculorum,ut aqua egrediatur, postea consolidetur. Et aduertamus semper,& attēdamus causæ,seu radici,quæ generauit aquositatem,utputa epati si sit causa. Si uero sit causa cerosa, & proueniat propter sanguinis abundantiam, fiat primo phlebotomia, postea humectamus, deinde resoluimus. Si uero sit uaricosa, & proueniat à

sanguine

ſanguine uaricoſo primo fiat phlebotomia, deinde digeratur humor melancholicus, poſtea euacuetur, deinde humectentur uerucæ, deinde reſoluantur. Sed ſi iſta parum faciunt, ſcindantur leuiter cum cauterio, cum igne uſque ad didimum incidendo, poſtea uenas comprimendo, quæ ſunt circa teſticulnm, redibit ad priſtinum ſtatum. No*ta de muliere quadam quàm uidi, quæ cum in partu laboraret, fuit crepuit & egreſſa fuerunt inteſtina, & fecerunt magnum tumorem in umbilico.* Nota *etiam quod multotiens, quando inteſtinum ingreditur burſam teſticulorum, inteſtinum uoluitur, & torquetur, et cauſat magnum dolorem, repletur etiam quandoque fecibus, et uentoſitate, & non poteſt redire ad locum ſuum, etiam ratione inuolutionis aliæ feces non poſſunt deſcendere ad partes inferiores, quare regurgitant ad partes ſuperiores, quare, &c.*

Cura doloris iunɫurarum a cauſa calida.

PRo *cura doloris iunɫurarum quinque intentiones ſunt obſeruandæ.* Pri*ma eſt diuerſio, uel minoratio materiæ.* Secūda *digeſtio.* Tertia *euacuatio.* Quar*ta mitigatio doloris, & repercusſio.* Quinta, *& ultima remanentis reſolutio.* Pro *prima intētione facimus phlebotomiam laudatam à* Raſi, *& hoc quando talis dolor prouenit à ſanguine, uel à materia ſanguinea mixta in diuerſis tamen uenis hanc facimus. Si enim eſt in manu dextra fiat phlebotomia, in pede dextro tantū per unā diametrum & econtra. Si tamen pedes ſint debiles à natura non debemus hanc facere ne materiæ attrahantur*

ad pedes, sed tunc fiat à basilica. Si autē fiat ab alia materia à sanguine fiat digestio, deinde euacuatio. De phlebotomia uidetur controuersia, nam Serapio non concedit phlebotomiam esse fiendam materia non digesta. Auicenna uero uult, quod fiat in principio. Respondetur quod Auicenna habuit intentionem ad dolorem, qui est fortis, & multum attrahit, ideo ad diuertendum concedit phlebotomiā in principio, postea dicit, incipe à re forti quāuis debilior sit incolumior. Iste autem sermo uester contradictorius, sed dicatur, quod nulla est cōtradictio, quia quando dicit incipit à re forti intelligit, id est, incipe ab euacuatiuo electiuæ euacuante, quia materia est in locis longinquis, ideo indiget euacuatiuo electiuæ euacuante, quamuis inter electiuæ euacuantia debilior sit incolumior, quia fortia euacuatiua euacuant subtile relinquendo großum, etiam faciūt maximam agitationem in corpore, ideo gradatim in huiusmodi euacuationibus procedendum est diuertimus ergo cum solutiuo electiuæ euacuante in materia calida, & usuales sunt pilulæ de hermodactylis minores, & tenentur confectæ, pilulæ autem de hermodactylis maiores ualent in causa frigida, & describit eas Mesue ubi dicit, pilulæ de hermodactylis ex inuentione nostra, & damus ℥.i. pilularum de hermodactylis minorum, uel ℈.ij. in causa calida, ponēdo aliquātulum de rheumbarbar. Secunda intentio est digestio humorum, & licet multa habeamus in proposito, tamen syrupus de endiuia, & syrupus acetosus non sunt boni, oportet ergo, ut syrupi in proposito sint frigidi, & stiptici, ut uerbi gratia. Recipe syrupum rosarū ℥.i. syrupum

de granatis ℥. s. aquarum plantaginis, & rosarum, ana ℥. s. solatri, acetosæ, ana ℥. i. misce, continua per quatuor uel quinq; dies. Tertia intentio est eradicatiua euacuatio, in qua laudantur pilulæ dictæ supra uidelicet dando drach. i. pilularum de hermodactylis minoribus, uel ℈. iiii. & sic procedendo usque quo tota materia euacuetur, & repercussionem materierum ad locum oportet attendere continue, & inungere cum oleo rosarum, practici enim incipiunt epithymare, & ita ponunt statim à principio in opere intentionem repercussionis. Quarta intentio est prohibitio doloris, quæ statim est ponenda in opus practicum à principio, & ideo Rasis laudauit multa singularia remedia dolorem mitigantia, simul & repercutientia, ut cassia fistula dissoluta cum oleo rosarum, uel aqua rosarum, uel solatri, liniata supra locum. Etiam, ut ponit Auicenna secundo canone, capite de cassia fistula. Item farina hordei incorporata cum oleo rosato, uel aqua rosarum linita mitigat & resoluit. Medulla etiam panis infusa in lacte, & panis siligineus, id est, desigala est melior, quia est frigidioris cõplexionis, addendo uitellum unum oui, et incorporando cum medulla panis & lacte, ac in forma emplastri applicare. Si uero dolor sit intensus, addatur drachm. i. opij incorporando cum modico croci, ut det penetrationem. Si autem percipiatur uehemens dolor & inflammatio, singulare est facere mucilaginem de psillio in aqua rosarum, uel aqua solatri, ponendo etiam aliquid de aceto, quia dat penetrationem extendendo illam mucilaginem supra pannum, postea ponere

supra locum dolentem renouando sæpe cum incipit calefieri, & hoc expertus sum, & debet esse psillium ex quo fit mucilago integrum, quia partes eius exteriores sunt frigidæ, interiores uero calidæ, si etiam accipiatur oleum rosarum in quo bullierint uermes terrestres, et sit infrigidatum actualiter, et ponatur supra locum dolentem mirabiliter operatur ad eandem intentionẽ. Quando materia totaliter fluxerit ualet applicatio rerum anodinarum, ut chamomila, melilotum, fœnugræcum, bulliant hæc omnia cum uino rubro stiptico, ponendo etiam de iua, quæ est singularissima in confortatione neruorũ & eis facere balneũ, ualet etiã emplastrũ ex rebus anodinis, miscendo aliquid ex frigidis, uel oleo rosarũ, &c. Quinta intentio est resolutio illius quod fluxum est, quæ completur cum approximatione resoluentium, & mollificantium, ualet cum oleo rosarum, & chamomilæ, & in processu cum chamomilino solo, ualet etiam stercus uaccinum cum sua actuali caliditate ad hanc eandem intentionem. Pro præseruatione uero ualet balneum ex uino nigro, in quo bullierint aliqua stiptica, uel gallæ, balaustiæ, &c. miscendo aliquid de uino, conueniunt etiam omnes autores, quod patientes hanc ægritudinem debent se abstinere à uino, ut dicit Rasis in litera, dicit etiam in alio loco, dimittant uinum toto tempore uitæ suæ, & curabunt, & Auicenna 22. tertij prohibet exhibitionem uini, idem asserit Cornelius Celsus, et ita hoc in memet feci cum incepissem pati podagram, usus enim fui tali regimine, scilicet dimisi uinum per duos annos, ita quod parum, uel nihil bibebã, faciebamq́; singulis mensibus eua-

cuationes, et accipiebã aliquã pilulam diuersiuam, et minoratiuã bis in hebdomada, ut natura diuerteretur in transmittendo materias ad iuncturas, et potius transmitteret per uiã secessus, quia in principio facile est materiã diuertere, sed quando est consueta nullo modo, uel cũ magna difficultate possumus illã consuetudinẽ remouere. Similiter quando facta est nodosa, ut Ouidius. Tollere nodosam nescit medicina podagrã. Et cũ tali regimine curatus fui, et pro certo nunquã passus sum tales dolores, nõ etiã huiusmodi patiẽtes laborent in coitu, quare, &c.

Cura doloris iuncturarum à causa frigida.

PRimo in cura huius ægritudinis sunt obseruandi hi canones Auicennæ. Primus quod nõ absoluamus ab euacuatiuis materiæ phlegmaticæ, quando cum eis sint permixta euacuatiua choleræ, quia phlegma ex se non flueret nisi secũ esset mixta cholera. Secundus canon est quod cũ euacuatiuis simul permisceamus stiptica, qa constringendo uias faciunt ne materia ad locum fluat, ideo ad hanc intentionem ualent pilulæ de hermodactilis, & ualent tã in causa frigida quã calida, tamen quando uolumus euacuare materiam calidam, admiscemus aliqua respicientia à proprietate illã. Si uero frigida admiscemus ea, quæ frigidã euacuant. Tertius canon est, quod à principio non est euacuandũ cum fortibus euacuatiuis, quia euacuarent subtile relinquendo grossum, & ideo dicit Auic. Oportet ut blande tractetur, innuit enim quod si à principio aliqua conueniunt, non tamen sint fortia, sed debilia, ut aliqualiter minoretur materia, pilulæ de-

scriptæ à Rasi in litera non sunt in usu, sed descriptionẽ Mesue quas describit in antidotario, & sunt dandæ usq; ad drach. i. in principio pro minoratione. Nota etiam quod non debemus euacuare cum fortibus, nisi præmissa digestione, quæ non debet fieri cum ualde aperitiuis, ne materiæ fluant ad iuncturas, ideo pro digestione conuenit mel rosatum, ut sic dicendo. Reci. mellis rosati unc. i. s. aquarum betonicæ & absinthij, ana unc. i. misce pro syrupo, facta ergo una, uel pluribus euacuationibus transimus ad fortiora, uidelicet addendo in processu syrupi de sticados unc. s. cum unc. i. mellis rosati colati cum aquis dictis, facta autem euacuatione attendimus ad materiam fluxam epithymando cum epithymate Rasis. Item cum aqua decoctionis chamomilæ, fœnugræci, maluarum, althææ: semper etiam in emplastris oportet aliquid exhibere quod humectet ne induretur materia, & lapidetur seu gipsetur, diuretica etiam non debent dari nisi corpore debite mundificato, uinum quantum potest debet uitari, licet hic Rasis ponat potius causa resolutionis ab extra, dicit enim ego plures uidi qui reliquerunt uinum, & omnino curati sunt. In hac ergo cura ex dictis Rasis, & Auicennæ quinque intentiones sunt attendendæ, prima est diuersio & minoratio, secunda digestio, tertia eradicatiua euacuatio, quarta mitigatio doloris, quinta resolutio remanentis. In prima ergo intentione notandus est canon supradictus, scilicet quod non debemus à principio procedere cum fortibus euacuatiuis, sed cum debilibus, conueniunt ergo pilulæ de hermodactylis minores, descriptione Mesue cum ali-

quãtulo rheumbarbari, ut uerbi gratia, sic dicendo. Recipe pilularum de hermodactylis minorum ℈.ii. rheum barbari electi ℈.i. misce. Si autem talis materia fuerit sanguini mixta, debemus diuertere cum phlebotomia, uomitus etiam multum ualet, ut dicit Auicenna, ad diuertendum ex eo quod per uomitum fit uomitus contrarius, dummodo corpus sit bene dispositum ad ipsum. Secunda intentio est digestio, de hac dictum est, quod digestiua non debent esse aperitiua, nec quæ noceant neruis & iuncturis, ut sunt syrupi de radibus, oxymel simplex, & compositum, nocent enim neruis, standum est ergo in melle rosato per aliquos dies, postea ueniendum est ad syrupum de sticados. Tertia intentio est euacuatio, quæ fit cum fortibus euacuatiuis, ut cum pilulis de hermodactylis maioribus, & pro eradicando damus ℈.iiij. sine rheumbarbaro, &c. Quarta intentio est mitigatio doloris, quæ statim à principio debet poni in actu practico, maxime in non consuetis doloribus, mitigamus enim cum anodinis in forma unctionum, possumus etiam in forma epithymatũ applicare, accipe oleũ chamomilinum cum uermibus sicut in calida, accipimus oleum rosatum cum dictis uermibus, & dictum emplastrum ponimus supra locum, oleum etiam uulpinum, scilicet ex decoctione uulpis supra dolores iuncturarum à causa frigida multum ualet, & est expertum emplastrum, etiam factũ ex farina fœnugræci, meliloti, et pauco aceti ualet, cassia fistula est etiã singularissima, s. tã in causa calida quàm frigida, sed in calida dissoluimus cum modico olei rosarum, uel aqua rosarum, uel solatri.

In frigida uero non ponimus oleũ rosatum, sed mel sufficientis quantitatis cum oleo chamomilino. Est etiam unum aliud autenticum remedium, & singulare quod ponit Auic. cap. de sedantibus dolorẽ quo usus fuit frequenter, & est tale, bulliatur fœnugræcum in aqua, & aceto, & ponatur de melle sufficientis quantitatis, & commisceatur ad modũ emplastri, & ponatur supra locum dolentem, & dimittatur tribus diebus, ualet enim multum & si tale emplastrum exiccaretur supra locum, & constringeretur membrum, ponatur pannus lineus supra emplastrum, et inungatur talis pannus lineus cum petia ex oleo rosarum intincta, ut melius tale emplastrum separetur, mitigatiuum, & aliqualiter resolutiuum est stercus uaccinum cũ illa actuali caliditate cum qua egreditur, etsi taliter non potest haberi, ponatur in eode oleo chamomilino, uel uulpino, & simul bulliant in uase, postea calidum ad modum emplastri loco apponatur. Quinta, & ultima intentio est resolutio residui remanentis, et ista perficitur cum emplastris, & unctionibus calidis, & siccis, non tamen uehementer ne materiam lapideam efficiant, conueniunt etiam in hoc casu balnea, & quæcunq; temperate resoluunt, ut oleũ chamomilinum, uulpinum, de lilio, conueniunt etiam emplastra ex farina fœnugræci, altheæ, seminis lini floribus chamomilæ, radice altheæ, emplastrũ etiã positũ à Rasi in litera, uel balneũ factũ ex oĩbus anodinis, ut ex althea, chamomila, fœnug. saluia, roremarino semine lini, absinthio, & alijs similibus, bulliant etiã prædicta in uino, ut saluia, maiorana, rosmarinum, iua, et in tali balneo infirmus commoretur.

Cura doloris ſciatici.

IN *cura doloris ſciatici non fit repercusſio a principio debent tamen remedia eſſe magis fortia, ideo emplaſtra & aliæ unctiones ſint fortiores ex eo, quod materia eſt profunda, & uirtus medicaminum non poteſt, niſi cum difficultate ad locum peruenire, Auicenna laudat phlebotomiam brachij diuerſiuam, qua facta aduertatur ſi ſit rubedo in urina, et ſi ſic fiat phlebotomia uenæ ſciaticæ, quæ eſt prope clauiculam pedis in parte ſylueſtri. Si ſit materia phlegmatica fiat uomitus, dummodo corpus ſit ad ipſum paratum. Inungamus etiam cum oleis appropriatis. Fiant etiam ſuppoſitoria, & clyſteria acuta, & fortia, ut propter dolorem materia diuertatur, & attrahatur a partibus ſuperioribus ad partes inferiores, & ſic diuertatur à ſuo curſu ad iuncturas, caueantur tamen huiuſmodi in corpore delicato timentes excoriationem. Emplaſtrum quod deſcribit Raſis eſt ueſicatiuum et cauterizatiuum, attrahit enim materiam ab inferiori parte ad ſuperficiem: Item ſtercus columbinum conteratur, & cum decoctione farinæ ſuperponatur pro cauterio. Et in omnibus alijs cura eſt eadem cum cura podagræ, de qua dictum eſt, quare ibi recurre, quare, &c.*

Cura gibboſitatis.

QVando gibboſitas prouenit à materia phlegmatica, deſcendente à cerebro, tũc eius cura eſt, cura ſpaſmi, et cura paralyſis, et ideo factis euacuationibus, & digeſtionibus debet poſtea talis mate-

ria resolui. Et optima resolutiua sunt, sicut acorus conditus, confectio diacori, confectio plirisarcoticon, oleum de euphorbio pro unctione, quod describit Auicenna in capite de gibbositate, & remittit nos ad capitulum de paralysi, & debemus à principio in hac cura esse solliciti, quia quanto magis confirmatur difficilior efficitur cura, sed quando est confirmata, ut infirmis complaceamus aliqua tentamus sine spe curationis. Si autem ab apostemate proueniat curetur cura apostematis, saltem talia emplastra sint fortioris impressionis, quia materia est profunda, quare, &c.

Cura varicum.

Cura huiusmodi ægritudinis est, sicut cura melancholiæ, oportet digerere, & eam euacuare cum his, quæ appropriata humori melancholico, & remoueatur causa antecedens cum phlebotomia basilicæ, quæ sit cum foramine lato, & corpus sit exercitatum, ut permisceatur sanguis subtilis cum grosso, & cum digestiuis appropriatis prædicto humori, uidelicet cum syrupo de thymo, de epithymo, de fumoterræ, de pomis euacuando, postea cum pilulis indis, sicut dictum est in capite de melancholia, etiam cum pilulis de fumoterræ, & hoc frequenter faciendum est, ut bene talis humor euacuetur, qui est causa antecedens uaricum. In regimine autem cibi, & potus, abstinere debet à leguminibus carnibus, salsis, caulibus, & alijs generantibus melancholiam, sicut est uinum, grossum, spissum et nigrũ, et hoc regimẽ cõtinuetur pluribus diebus, deinde euacuetur causa coniuncta phlebotomando uenam, & permittatur totus sanguis

exire pluribus uicibus,ut bis,uel ter,& non una uice tan tum in die usquequo uena inaniatur, postea semper attendamus ne iterum fiat aggregatio euacuando à basilica. Modus autem quo chirurgici utuntur in extrahendo sanguinem est, quia primo excoriant pellem, & excarnant bene uenam, & ligant eam cum filo usq; ad locum tumidum, & sic incidunt ut sanguinem extrahant paulatim, qui est in parte inferiori, & sanguis à parte superiori non potest amplius descendere. postea cauterizat,ut fiat escara,ut non amplius fluat sanguis. Et si diceretur illa tibia non nutriretur, quia sanguis per eum non potest transire. Responde, quod sunt aliqui rami per quos transit sanguis quare nutritur. Recordor ego de quodā scholare Alamano adolescenti pulcherrimo, qui patiebatur hanc ægritudinem,& non præcedentibus euacuationibus & alijs se commisit in manibus unius empirici,qui extraxit sanguinem,& clausit uenas, & quia corpus non erat mundificatum, passus est illinc ad paucos dies febrem quartanam pestilentialem, & mortuus est, & hoc fuit, quia natura erat consueta per illa loca transmittere superfluitates,quibus retentis,et putrefactis secutus est effectus dictus,ideo cauere debemus à tali nisi seruato prius ordine debito iuxta Hippocratis sententiam sexta aphorismorum illo. Hæmorroides sanari antiquas,si non una dimissa fuerit multum periculum est hydropisim, aut phthisim, aut maniam fieri, &c.

Cura elephantiæ.

ELephantia est eadē ægritudo, quæ uarices, id est, utraque fit ab eadem materia, nisi quod hanc faciens est subtilior, et spargitur per multas uenas, causans tumorem in tibijs, ideo præcedētibus prædictis digestiuis euacua cum pilulis de hermodactylis, & pluribus uicibus euacuando prohibeantur à generantibus sanguinem grossum: Item utantur uomitu in principio, utemur repercussiuis cum aloe, acatia, aceto, hipochistidos: Itē ualet phlebotomia extrahēdo à cōtrario si materia fuerit sanguinea. Et si assuescat portare calceos de pelle canis erit bonum, ut pes stet strictus. Item ualet decocto caulīū, & aliarū rerū prædictarū, & fiat balneū, ut fiat resolutio illius materiæ. Et mirabile remedium ad elephantiam .i. tumorem in tibijs, uel in manibus, uel ad quemlibet aliū tumorem est tale. Accipiatur lixiuium ex cineribus quercus, & si acetū forte imponatur erit melius, & cum eo misceatur boccale unum uini albi aromatici, & ex his fomentetur locus cum spongia, postea cum eisdem spongijs sic madefactis fricetur locus ab inferius ad superius si est in tibijs, deinde accipiantur folia ebuli, & cum eis locus cooperiatur & emplastretur cum eis, quia maxime ualent, exiccant enim illam materiam grossam, facientem tumorem, uel aliud, et est mirabile. Accipiatur lapis marmoreus, uel silex, uel saxum uiuum, & igneatur, postea irroretur aceto fortissimo postea teneat tibiam, siue locum tumefactum supra fumū illius lapidis, suprapposito panno loco, ut melius fumus accipiatur, & uidebitur quod

sudabit, quia illa materia dissoluetur, & hoc expertum est, quare, &c.

Cura vlcerationis cutis.

P*Ro cura uide* R*asim, & nota quod litargirium aureum est singularissimum ad omnia ulcera, & ad maculas delendas, cuius compositionem ponit.* S*eruitor. mirabiliter etiam ualet ad pustulas faciei, & ad choleras facta prius debita euacuatione causæ antecedentis cum phlebotomia, & alijs requisitis.* Et ego *cum istis liberaui quendam fratrem sancti* Dominici *de obseruantia, qui habebat has choleras adeo quod uidebatur leprosus, qua de re alij fratres uolebant eum separare ab eis, & potest hoc modo fieri descriptio.* Recipe *litargirij aurei ℥.i. conterantur, & infundantur in aceto forti, & dimittatur per diem & noctem, uel per dies, duos remouendo primum acetũ & ponatur aliud, & ita abijciendo singulis quatuor uel sex diebus nisi sit albificatum, quod gratius redditur, & tunc non oportet quod maneat in infusione in aceto, cuius albificatio fit duobus modis, uno modo fit cũ sale in quadraginta diebus, ut ponitur à* S*eruitore, postea dissoluatur in mortario cum aceto, quantum sufficit inspissabitur, et secũdum quod inspissabitur, addatur de oleo uiolato ad sufficientiam, & iterum dissoluatur cum ipso oleo, & ducatur in mortario cum pistello inspissabitur adhuc, & iterato ponatur de aceto, & fiat ut prius una uice ponendo acetum, alia uice oleum uiolatũ continuando per spacium duarum, uel trium horarum, & si fiat hoc sub*

sole conuenientius erit,ulterius addatur camphoræ subtilissimæ puluerizatæ ℈.i.postea usui reseruetur, lauetur locus cum decoctione maluarum,fumiterræ, lapatij, uiolarum,matrum uiolarum,aduertendo, quod balneum infectum abijciatur, & cum dicto litargirio liberaui quandam mulierem habentem intensissimum ardorem in uulua, per tres uel quatuor dies, & per applicationem istius bis uel ter fuit liberata,quare,&c.

Cura dolorum in membris manifestis.

N*Ota quod dolor, qui fit in membris exterioribus potest causari, uel à causa interiori,uel exteriori,sicut à casu, & percussione,uel similibus,uel à mala complexione sine materia,uel cum materia,ut calida,frigida,cum postemate, uel à solutione continuitatis. Ad propositum Rasis ponit curam, quando dolor fit à materia calida,uel frigida. Secundo nota, quod doloris prouenientis à materia calida signa sunt,rubedo, calor, pruritus,&c. Et si sit cum duricie uel tumore,loci apostema calidum futurum significat,sed quando fit à causa frigida, sunt priuatio rubedinis, & caliditatis, & est stupor, & fuscedo, grauitas, & formicatio, hæc autem cum affuerint paralasim, uel mortificationem significant caloris, oportet ergo ægrum interrogare ubi dolor accidat, scilicet uel in pede, uel in manu, si sit ex percussione, uel si aliquid acciderit supra membrum, uel diu supra cum iacuerit, siue ab alia causa extrinseca. Si uero non sit à causa extrinseca debet considerari locus coloris, an sit rubicundior reliqua*

parte corporis, quia si sic debet curare ex medicamine apostematis calidi, scilicet cum oleis frigidis, ut uiolato rosarum, & similibus, & in tali casu conuenit phlebotomia. Si enim sic in pedibus fiat in manibus, & econtra. Si fiat ex exiccatione, & membrum non fuerit rubeum, nec calidum, sed continue offuscatur, & exiccatur, debet distillari aqua calida ab alto, ratio quia humectat, deinde inungatur ex oleo, & cera, &c. Quando autem dolor fit à materia frigida, & si locus apparet grossior, & ad tactum frigidus fricandus sæpe erit, ut fiat rarefactio pororum, deinde debet fieri embrocatio ex aqua decoctionis chamomilæ, samsuci, & sticados arabici, ratio quia resoluit materiam frigidam, postea inungatur cum oleo de cheiri citrino, uel cum oleo costino, uel de lilio, & similibus, ratio patet. Regimen, & dieta debet subtiliari quo ad quantitatem, ut calor naturalis reddatur potentior ad resoluendum, & debet uti multo exercitio, quia calefacit, & resoluit, debet etiam sudare in balneo, & si prædicta non sufficiunt debet fieri euacuatio cum medicinis euacuantibus materiam phlegmaticam, ut cum pilulis de hermodactylis, uel cum pilulis fetidis, uel cum medicina de turbith, & si membrum sentitur frigidum, debet fricari, deinde inungi ex oleo costino, sambucino, de been, & similibus, & si adhuc ista non sufficiunt, debet inungi cum unguentis, de quibus dictum est in capite de paralysi, donec sequatur sanitas, ratio quia sunt fortis uirtutis, quare, &c.

Decoctio communis.

Recipe prunorum thamarindorum, sebesten, uiolarum, & hordei ana partes æquales cum aqua fontium, quantum sufficit, fiat decoctio.

Decoctio pectoralis.

Recipe ficuum siccarum, iuiubarum, liquiritiæ, capillorum ueneris, uiolarum, ana partes æquales cum aqua, ut supra fiat decoctio. Et *ego addo passularum enucleatarum, & bene pinguium ad pondus omnium.*

Decoctio carminatiua.

Recipe seminis anisi, seminis fœniculi, seminis dauci, seminis siseleos ana partes æquales. Et *ego addo seminis cymini, ad pondus aliorum.*

Marci Gatinariæ de curis ægritudinum Liber Finis.

GENTILIS DE FVLGINEO IN a[illegible]uctorium practicæ de Febribus.

INclinatus multorum precibus, ut supra primam quarti canonis, receptas facerem: uobis meis dilectis, qui multũ in studio laboratis, post xxxiiii. meæ practicæ annũ, & post quartũ lecturæ meæ cæterisq; in uniuerso proficere uolentibus decreui scientiæ utiliora scribere medicinæ. In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Amen. Primo super tractatum ephemerarum, & primo super capitulo de febre ephemera causata ex angustia, initium faciam.

De febre ephemera causata ex angustia.

QVia hæc febris maxime quantum est ex sui natura indiget alterantibus, ideo consueuerunt aliqui facere pomum quod sequitur. Recipe rosarum rubearum electarum istius anni. ʒ.iij. uiolarũ. nenupharis ana. ʒ ii. utriusque sandalorum ana. ʒ.i. camphoræ grana. iiij. seminis papaueris albi conquassati. ʒ.iiii. puluerizentur omnia, & fiant de isto puluere duæ partes, quarum una ponatur in panno lineo delicato, & ligetur in modum pilæ, & de alia medietate fiat unus sacculus, & ista ambo madefiant in epithemate quod sequitur. Recipe aquæ rosatæ electæ, nenupharis ana. libr. s. aquæ acetosæ, aquæ endiuiæ aquæ cucumeris, aquæ cucurbitæ. aquæ buglossæ. ana. ℥. ii. aceti albi. ℥. s. sandalorum, alborum & rubeo-

rum ana.ʒ.ii. succi pomorum acetosorum facta residentia.℥.i.camphore.℈.ii.fiat epithima, madefiant in hoc pila & sacculus, & regioni cordis applicentur. Item *alteretur aer cum aceto & aqua mistis, quæ in camara ab alto aspergantur, & cum eadem madefiant parietes cameræ.* Item *per cameram spargantur folia uitis albæ, & folia salicis, cannæ cum corticibus.* Item *aer potest alterari cum camphora, uel fiat cataplasma cū aliquo uase perforato subtiliter in fundo quòd uas suspendatur in camera, & supponatur peluis in qua guttatim cadat aqua.* Et *peluis sit plena folijs dictis.* Item *omnia dicta possunt fieri in æstate magnæ caliditatis ad alterandum aerem pro magnatibus tempore sanitatis.*

De febre ephimera causata ex uigiliis.

EX *uigiliis prouocatur somnus sic.* Recipe *succi crassulæ maioris, succi lactucæ, succi portulacæ, succi solatri: facta residentia ana℥.s. aquæ rosatæ, aquæ nenupharis.ʒ.ii. utriusq; sandalorū alborum & rubeorū ana.ʒ.i. seminis papaueris albi fortiter conquassati.ʒ.iii. summitatū solatri.℥.s. si uis fortius prouocare, adde succi foliorum mādragoræ.ʒ.ii.* Et *iterum si fortius, adde opij masticis ana.ʒ.s. applicentur super frontem & tempora, & in pulsibus brachiorum cum pānis inde madefactis.* Et *nota ꝙ aliqui addunt acetum, ꝙ si addatur sit ualde parū, quia prouocat uigilias, ut infra dicetur. similiter quia tempus non semper est optimum, si non potes habere succos, habeas aquas simplices uel mixtas, nam idem faciunt.*

Nota q. inter omnes herbas quæ ad hoc ualent ualet nemitha & celidonia.s.agrestis & est secretum, & ualet in phrenesi multum.Et sit fortiter fronti & temporibus linita.Item ad idem ualet unguentũ quod sequitur. Recipe olei nenupharis,olei mãdragoræ,olei papaueris.anna. ℥.s. seminis papaueris albi fortiter conquassati ana.ʒ.ii. & debet conquassari ad partem,quia mistum cum alijs nõ potest conquassari,opij thebaici.ʒ.s. croci.℈.i. & ponitur ad remouendum malitiam mandragoræ & opij. ceræ nouæ.ʒ.ii.fiat unguentum cursibile,cum quo lineantur pãni linei & applicetur temporibus, & super uenas quæ in fronte,uel ungatur pannus lineus cum unguẽto populeon & applicetur,uel sic. Recipe lactis mulieris habentis feminam.ʒ.ii.albumina ouorum.ii.seminis papaueris albi fortiter conquassati℥.i.misce.uel sic. Recipe farine seminis papaueris albilibre.s.aque.ʒ.i.aceti albi.ʒ.ii. albumina ouorum fortiter agitata.ii. lactis mulieris q. sufficit,& fiat emplastrum quod tepidum ponatur super frontem.Item aliqui fomentant prius frontem & tempora ad aperiendum poros , ut poßint melius intrare somnifera. Et hoc faciunt cum spongia infusa in decoctione uiolarum florum nenupharis,seminis papaueris albi,qua fomẽtata ponuntur remedia antedicta. Vel id. Recipe cassiæ ligneæ.ʒ.i.croci.℈.s.opij.℈.i.fiat puluis, & incorporetur cum sirupo uel succo papauerum,uel cum aliquibus aquis,uel succis,uel olei antedictis,& super frontem & tempora applicentur. Item odoret pomum mandragoræ & alia similia,& flores salicis,& folia uitis. Item prouocetur cum cibis & potibus,ut sunt lac amigdalarũ ad-

dendo semen papaueris albi & fiat sic. Recipe *amigdalarum dulcium excorticatarum libr.s. seminis papaueris albi.℥.s.conterantur cum aqua frigida cocta, quia cruda opilaret, & propinetur, addunt aliqui uinum quod non laudo. uinum de se bene prouocat somnum mittendo uapores ad caput, sed non debet dari habentibus acutas, nec patientibus dolorem capitis, nec mentis permistionẽ ut habetur tertio techni.* Item. Recipe *conseruæ uiolarum conseruæ nenupharis ana.℥.s. seminis papaueris albi.℥.i. seminis hyoscyami.ʒ.i. panis zucchari. quar.s. misce.* Item *dissoluatur opium in uino, & bibatur ut utuntur latrones, qui associantur iter agentibus, ut ipsos poßint deprædari.* Item *si bibatur succus mandragoræ uel hyoscyami.* Sed *excitatiuum est acetum fortißimum odorare, quia fortis odor aceti mordicat, & titiat carunculas narium, & tendit ad partem cerebri, causando ibi motum, & excitando, & etiam ueniẽdo ad uenas, ratione suæ frigiditatis & subtilitatis substãtiæ, reprimunt uapores siue fumos.* Item *fortis ligatio: & sternutatio fortis: ualet ad prouocandum uigilias.* Item *si potes prouocare somnum cum prouocatiuis ab extra, fugias prouocatiua ab intra.*

De febre ephemera causata ab euacuatione superflua.

Venter constipetur cum cibis & potibus, & cum medicaminibus, tam simplicibus, quàm compositis, ab intra & ab extra applicitis. Cibaria *facta sint de farina uolatili frumenti multum subtili, cum lacte amigdalarum, & post bulliant simul.* Item *cibaria facta de car*

nibus electis boni nutrimenti fortiter tritis, cum quibus admisceatur amilum, ut esset zelaticium spissum, in pauca tamen quãtitate, & sit in principio fluxus, ut aggregetur & adunetur. Item *coquantur cum carnibus & brodijs res stipticæ, sicut pira cottana sorbæ nespulæ, corna immatura.* Vel *sumatur berberis hypocisthidos, acatiæ sanguinis draconis semis, citoniorum, uel corticum mirobalanorum a quibus prius expressa sit gumositas & euacuata, ꝙ fit in balneo* Mariæ, *de quo fiet mentio inferius.* Potest *etiam decoqui coralus, ualde bene ablutus quater uel quinquies cum aqua tepida cum carnibus antedictis.* Item *oua dura cocta fortiter cum aceto restringunt.* Item *coquantur cibaria in aqua cisternæ, uel pluuiali, in qua bulliat spodium electum.* Item *potus ad hoc est aqua ferrata, & si sit pluuialis præualet, quæ aqua fit extinguendo ferrũ nouies uel pluries: quæ postea coletur, & calibs præualet.* Item *uinum stipticum grossum de torculari, in quo ponatur panis albus bene coctus, & assatus, uel coctanum.* Item *sirupus de ribes detur cum aqua ferrata, & non cũ uino.* Item *in principio mensæ accipiatur aliquod stipticum de fructibus stipticis coctis uel crudis, tamen in parua quantitate, ꝙ si fructus non habes, sumas panem torefactum album & infunditur in uino grosso dicto ante & ipsa competenter remdlita spargatur isto puluere.*
Recipe *interiorum cinamomi electi ℥.i. coriãdri præparati ℥.i. panis zuchari ʒ.* Vi. *ponas de isto puluere super tostam & comedat ter uel quater in introitu mensæ, post bibat ualde modicum.* Item *potest patiens masticare uitellum oui in quo infundatr iste puluis.* Recipe *masticis.*

ʒ.ij.sandalorum, draganti, boliar. ana. ʒ.i. interiorum cinamomi electi. ʒ.i.s. fiat puluis subtilis, de isto puluere sumat quantū capere poterit cum tribus digitis, & infundatur in uno ouo et trāsglutiat. Itē *medicinæ simplices quæ ualent contra fluxum sunt, sicut coagulum leporis, uel hedi sumatur. ʒ.ii. cum. ʒ.i. aquæ plantaginis tepidæ & detur in potu stomacho ieiuno.* Item *caseus antiquus & durus, à quo tota salsedo est remota, q̄ fit sic: lauetur caseus cum aqua calida uel tepida, & per frusta parua, quinquies uel nouies. iste caseus ministretur cum cibis frigidis de pasta, & pasta cum uitellis ouorum. ut dictum est superius.* Tertium *est theriaca recens propter opiū, quæ si recens non inueniatur, sumatur theriacæ. ʒ.i. opij. gra. V. ministretur cum aqua plantaginis tepida, uel cum uino grosso de torculari.* Itē *castaneæ torrefactæ comestæ in parua quantitate.* Item *lentes excorticatæ, fortiter coctæ, & postea in patellis bulitæ cum pinguedine renum montonis, & ministratæ cum pauco aceto.* Quintum *est sanguis montonis sine sale, & aliqua pinguedine.* Sextum *est sanguis turturis antiquus, datus in potu cū uino grosso de torculari, & non coquatur sanguis.* Septimum *est semen nasturtij & absinthij integrum in sartagine ministratum cum lacte acetoso, in quo ferrum uel lapides igniti sint extincti.* Octauum *est lac acetosum in quo lapilli, uel ferrum ignitum est extinctum, cum quo coquatur aliquid de stipticis iam dictis, & additis floribus cameleuntæ puluerizatis. ʒ.i. uel. ii. & ministrantur ieiuno stomacho.* Item *hic puluis est bonus.* Recipe *carabe coraliorum utriusq; anteræ seminis plantaginis. seminis ro. bede*

guaris ana.ʒ.i. ſpodij, ſanguinis draconis lapidis æmathitis, ana.ʒ.s.omnium ſandalorũ ana.℈.i. panis zucha. ʒ.ii.fiat puluis ſubtilis cribelatus. Item alia applicantur ab extra & primo ſero lauentur plantæ pedum,& uolæ manus,& circa umbilicum,& renes,ponuntur flores cameleunte & diſſoluuntur cum aqua plantaginis, & uino de torculari,& ſi flores non habeantur,accipiantur radices eius & cum iſto lauentur.Sed ab extra applicãdum eſt uentoſa magna,ſi potens eſt patiens eam tolerare,ſine ſcarificatione ſuper umbilicum,& aliqui in utroque latere ponunt uentoſas paruas uel mediocres,ſi uirtus poteſt eas tolerare,iſtud non eſt bonum,quoniam grauat mẽbra principalia.Tertium eſt lauare extrema cum decoctione roſarum rubearũ electarum,folijs uitis,folijs ſalicis,cannæ,& ipſis lotis,fiat fortis fricatio cum panno lineo albo,ita q̃ nihil madidum remaneat in poroſitatibus,& poſt intret lectum,& habeat linteamina alba, a quibus cõfricatione& calefatione ſit remota frigiditas actualis,& ſit quaſi tepida,& ſit bene coopertus,& ſudet ſi poterit. Quartum aliqui faciunt ſuppoſitoria Raſis in nono almanſoris,& ſunt talia. Recipe thuris albi,olibani,licij,croci,gumi arabici ana.ʒ.i.opij.ʒ. ii.informentur collyria & ſupponantur,ſæpe ſum expertus et non inueni effectum ratione ſoliditatis & duriciei iſtius collyrij. Item poſſunt ab extra applicari emplaſtra. Recipe ſucci neſpulorum,ſucci citoniorum,ſucci cerearũ, ſucci ſorbarum, ſucci plantaginis ſine reſidentia, ana. quarta.i.aquæ roſatæ factæ de ſtipitibus libra.s.thuris maſticis ana.ʒ.s. ſanguinis draconis boli ar. ana.ʒ.vi.

florum cameleuntæ.ʒ.iii. acaciæ hypocisthidos ana.ʒ.iii rosarum rubearũ.ʒ.s.misce pro emplastro & potest sic fieri. Recipe *medullam panis assati fortiter, secundum quantitatem quam uolueris facere emplastrum, & infunde eam prædictis pulueribus, & si uis addere uinum de torculari, adde, & post super asperge puluerem masticis & calidum applica super stomachum, & intestina gracilia, & genitalia inter duos pannos lineos & liga, & potes addere farinam lentium si non habes panem al. ad inspissandum emplastrum.* Item *aliud emplastrum.* Recipe *thuris. masticis. storacis calamitæ. ana.℥.s. sang. draconis, boli armeni. terræ sigillatæ, hypocisthidos. acaciæ. ana.ʒ.ii. corallorum rub.ʒ.i. interiorum cinnamomi electi.ʒ.i.s. terbentinæ.ʒ.s. picis naualis q. sufficit, fiat emplastrum cum pistello calido, addito olei nardini, olei masticis q. sufficit, & fiat emplastrum in longitudine & latitudine uentris ab umbilico infra.* Et *aliud ponatur sit per stomachum.* Recipe *masticis.℥.i. coralli. rubei.ʒ.ii. corticum citri.ʒ.iii. puluerizentur, & fiat emplastrum ad modum supra adductum, ad modum scuti gallici.* Item *aliqui faciunt suffumigationem cum sola perforata & cum aceto fortissimo, interponentes pineas ardentes candentes, & recipitur fumus per anum.* Electuarium *aliud.* Recipe *de corticibus citri cum zuccharo cõditi, minutim incisi, de carnibus citoniorum cum zucchro conditorũ, conseruæ rosarũ antiquæ ana.℥.s. buglossæ antiquæ.ʒ.ii. interiorum cinnamomi electi. florum cameleuntæ. ana.ʒ.i.s. coralli albi & rubri, fortissime abluti in aqua calida nouies, id intellige de alijs mineralibus, nã abluuntur ut*

terrestreitas & malus sapor remoueatur ana.ʒ.s.sanguinis draconis.ʒ.ii.san.al. & rub.coriandri præparati. acatie hypocisthidos ana.ʒ.i. panis zucchari libr.s. aquæ buglossæ,succi citoniorum ana.q̃ sufficit, fiat electuarium per bolos, & si uis deauretur uel in toto, uel in parte.Item in tenasmone quando patiens surgit de sella tergat anum cum bombace, & post pone bombacem intinctum in hoc q̃ sequitur. Recipe *olei rosati antiqui.℥.i.uitella ouorum agitata fortiter.ii. opij subtiliter puluerizati.ʒ.ii.misceantur & tepefiant ratione sensibilitatis membri,in quo intingatur bombax bene carminatum q̃ ponatur intus ab intra quantum poterit impingui. Item in fluxu uentris possunt dari in principio clysteria, ita q̃ non imponatur de sale.* Et *postea in processu dari clysteria restringentia,quæ possunt fieri de succis & medicinis antedictis.*

De febre Ephemera causata ex sincopi.

C*Vratur sincopis ex cibo & potu & alijs medicaminibus.Cibus qui maxime ualet in sincopi & defectione uirtutis est aqua carnis, quæ sic fit.* Recipe *caponem bene pinguem, & phasianum,siue perdicem:q̃ si uenter fuerit laxus,adde turtures duas,seruato sanguine turturarum ad partem & fac bullire & despumare,& tota pinguedo abiiciatur,& frustatim ponatur in amphora,& coquas ossa cũ medulla,& postea si febris affuerit, ponatur aquæ rosatæ, quæ buglosæ ana quar.i.& si febris non fuerit, ponatur loco eius uini albi electi quar.i.*

& si uenter fuerit nimis laxus, ponatur de sanguine turturis & si fuerit diues, ponatur ligni aloes. ʒ.i. florenorum de florentia xx. uel xxx. uel 40. iuxta possibilitatem quam habet, & obstruatur amphora. & ponatur in cacabo pleno aqua, & caueas q; non natet sed stet infra aquam, & supponatur ignis, & tota nocte bulliat, & ordinetur q; aqua calida sit in alio uase iuxta cacabum, ita q; sicut consumitur aqua cacabi cum alia aqua calida possit impleri, & crastino subtrahatur aqua a cacabo, ita q; sine igne aqua a cacabo abiiciatur unde aliter si extraheretur, frangeretur amphora, & postquam res erunt ibi liquefactæ comprimantur, & exiens ministretur patienti. unde talis aqua debet poni in uase mundo, & quando patienti uolueris ministrare, misce cum parte una brodii alterius, & tepidum ministretur. Item scias q; in sincope *ualet usus pulueris, qui sequitur cum cibis ministratus, de quibus cibariis parum nutrit multum, & sunt testiculi gallorum qui nunquã calcauerunt, ita sorbilia, perdices, fasiani, & alia cõtrita & molita, ex quibus cibaria fiunt sorbilia, uel collaticinia de quibus dicit* Hippocrates *facilius est repleri potu quam cibo.* Recipe *cora. al. & ru. tripliciter in aqua tepida ablutorum, & fortiter defricatorũ ana. ʒ ii. ligni aloes. ʒ. i. been albi & ru. doronici ana. ʒ. i. s. interioris cinamoni electi, coriandri præparati, spodii fini, rasuræ eboris, schœnãti sandalorum albo & ru. muscatellini ana. ʒ. s. uel ℥. s. cacabræ sirici crudi ana. ʒ. ii. hyacintorum, smaragdorum, saphirorũ, electorum, ana. ʒ. s. & ℈. i. ossis de corde cerui interius & exterius purgati. ʒ. s. margaritarum orientalium bene cla-*

rarum & lucidarum perforatarum & nõ perforatarum fortiter ablutarum.ʒ.iii.pannorum auri & argenti puri, anna.15.numero,panis zuchari ad pondus omnium, terantur lapides in mortario marmoreo, & cribellentur per sindonem duplicatum ut deueniat puluis subtilis,qui conseruetur in pixide bene munda. Iste puluis uocatur cordialis,eo q, membra spiritualia confortat & generat spiritus,& facias q, teneatur in apotheca.Et si patiẽs est diues adde ambræ grisеæ ligni aloes ana.℈.i.uel.s.auri puri & puri argenti limatorum ana.ʒ.iiii. Et Cibaria superaspargantur isto puluere & de isto puluere potest fieri electuariũ cordiale quod sequitur. Recipe pulueris cordialis.ʒ.i.uel.ʒ.ii. secundum q, est diues,corticum citri conditi.℥.s.conseruæ ro.conseruæ buglossæ conseruæ boraginis ana.ʒ.ii.acetosæ.ʒ.s.coriandri preparati.℈.ij.panis zuchari quar.i.fiat electuariũ in modũ zuchari ros.aromatizatum cum aqua ros. de damasco,quod deauretur cum pannis auri quantum uolueris. Nota q, aqua ros.non competit in sincopi de repletione spirituum conculcatorum ad intus secundum Auic.tertio canone capitulo de sincopi,& scias q, ibi loquutus est stricte.Nam ab extra bene competere potest,spargendo super faciem, & extremitates sed in isto casu competit fortis fricatio extremitatum. Competit etiam in sincopi talis sacculus. Recipe seminis utriusque ozimi ana.ʒ.s. se. citranguli. ʒ.ii.coriandri præparati.se.acetosæ ana.ʒ.iii.seminis citoniorum.ʒ.ii. ros. ri. elect. florum melisse ana.℥.s.florum boraginis & buglossæ ana. ʒ.ii.utriusque sandali ana.ʒ.s.fiat sacculus ad modum cordis, & aspersus

aqua rof.& uino electo cordi applicetur. Iste facculus multum confortat cordis substantiam & spirituum & ideo debet quasi in omni fincopi ministrari quàm citius possumus.

De febre Ephemera causata ex opilatione.

*O*Pilationes actuales possunt curari cum sirupo acetoso. sirupus acetosus est duplex, quidam est compositus & quidam simplex. In simplici intrant tantum tria.s. acetum aqua & zucharum. Et ille est duplex, multæ acetositatis in quo tantum intrat de aceto sicut de aqua.ut Recipe aceti.aquæ electæ ana.partes.viii.zucchari partes.xii.Alius est paruæ acetositatis ut. Recipe aceti partes. iii.aquæ partes.v.zucchari partes xii. Alius est cōpositus, istum uidebitis in secundo tractatu huius libri.Nota q̃ ubi est opilatio,non debet administrari zuch.notabili quantitate. Insuper tamen unũ caueas,si des zuccharum,des cum cibis abstersiuis & mundificatiuis ut,ordeato.Et caueas,ne des zuccharũ cum cibis opilatiuis ut amylo. Item aqua ordei quædam est multi ordei. Alia est mediocris,quæ est pluris ordei plus nutrit:& sic fit. Recipe ordei mundi partem unam,aquæ partes x.buliat usque q̃ ordeum crepet.Alia est pauci ordei ut. Recipe ordei mundi partem unam aquæ partes xxvi.bulliant donec crepet ordeum.Alia est mediocris ut. Recipe ordei mundi partem unam,aquæ partes. iii.bulliant usque dum ordeum fuerit crepatum.

De febre Ephemera causata ex nauseatiua sacietate.

T*Vnc indigemus stomachum confortare cum remediis applicatis ad intus & ab extra. Ab extra primo fiat sacculus qui sequitur.* Recipe *mentæ siccæ, absinthii. maioranæ melissæ ana. ℥.s. ros. ru. electarum partem. i. anisi. marathri. carui. ameos. dauci. siseleos ana. ℥. i. masti. ʒ. ii. spicænardi. ℥. i. s. corticum citranguli fortiter conquassati. ʒ. iii. coriandri præparati, corali rubei anna. ʒ. i. conquasatis omnibus, fiat sacculus pro stomacho.* Item. Recipe *laudani puri masticis. ana. ℥. i. galangæ zedoariæ ameos gar. ana. ʒ. i. & si est diues, ponas de ligno aloes. ʒ. s. mentæ, absinthii siccarum ana. ʒ. ii. interiorum cinnamomi. ʒ. ij. storacis calamitæ. ʒ. iii. terebenthinæ. ʒ. s. picis naualis q. sufficit, fiat emplastrum cum pistello calido & in mortario, addendo olei nardini masticini ana. q. sufficit, fiat emplastrum pro stomacho. Item aliud, est pro paupere.* Recipe *succi absinthii, mentæ ana. quar. s. aceti. ℥. s. aqua ro. ʒ. ii. medullæ panis albi assati quar. i. infundatur panis calidus in succis prædictis & addito puluere thuris masti. ana. ʒ. ii. applicentur inter duos pannos lineos, & super stomachum eligetur ibidem. Item possumus facere cerotum ad idem.* Recipe *olei masticis. olei absinthij ana. ℥. s. thuris masticis ana. ʒ. i. ceræ nouæ. ʒ. ii. fiat unguentum cursibile, et quando erit ab igne depositum adde gar. subtiliter puluerizatorum & ungatur stomachus. Ad hoc ualet tragea grossa quæ sequitur;* Recipe *gingi. albi rasi. ℥. i. galan*

ge.℥.s.& si patiens non dubitaret amara.zedoariæ.ʒ.iii. coriandri confecti, anisi confecti anna. quar.s. fisticorum, pinearum ana. quar. i. anisi nouelli. quar.i. carui. ʒ.i.incidantur incidenda,& addatur panis zucchari incisi.℥.i.& ponas.ʒ.iii.floris cinnamomi & conficias trageam qua utatur sine potu. Item ad confortandum stomachum ualent potus diuersi, ut potus uernaciæ & uinum ex cipro,uel uinum saluiaticum,uel aqua ardens,uel claretum electum, tamen in modica quantitate. Et si febris non adsit, Recipe gingi. electi quar.s. cinamomi electi.℥.ii gariofilorum,galangæ anna.ʒ.iii.spicænardi.ʒ.i. folii schinanthi.ʒ.i.s.cardamomi cubebarum domesticarum, ana.ʒ.i.fiat puluis subtilis qui conseruetur in sacculo de aluta, de quo puluere sumant.ʒ. vi.in medio quareno uini odoriferi & ponatur panis zuchari quar.s.ad grossum pondus:& fiat claretum in manica uel in sacculo colando, & potest addi piperis longi. ʒ.iii.nucis mus.℥.i. Nota q tu potes facere optimum claretum ponendo ad partem gar.& spicænardi,& transeat per alias species primo,& post transibit per gar. & spicam nardi. Item post cibum sumat duos bolos cottani uel piri cocti,cui super aspergatur tragea statim dicenda,uel de puluere clareti,uel sumat post cibum tostam,balneatam in clareto, uel utatur gingi. uiridi confecto,qui portatur de cipro. uel gingi.indico,q portatur de india. uel stomachi confortatiuum Gale. cuius recepta ponitur in antidotario, uel si sit phlegmaticus,diatrion pipereon: uinum saluiatum confortat stomachum. Et est simplex et compositum. in simplici ponũtur.ii. M.saluiæ,in.V.angistaris uini,&

idem præcipitur stare in uase xii.diebus. In cõposito ponuntur similiter M.duo saluiæ & species quæ sequuntur. Recipe galangæ electæ.quar.i. gar. electorum.ʒ.i.spicæ nardi.ʒ.i.pulucrizentur subtiliter & cribellentur & ponantur in sacco de panno lineo,non nimis spisso,et saccus non restringatur nimis. & cum istis pulueribus imponatur lapillus,qui saccum teneat suspensum in medio uasis. Nota etiam q̃ isti pulueres non debent poni simul cum saluia,sed postquam saluia fuerit interposita per xx. uel xxv.dies. Item nota q̃ isti pulueres sufficiunt ad saluiariam nisi uolueris magis artificialiter facere addendo thymi & epithimi anna.ʒ.s. Item potes addere alia habentia proprietatem ad membra diuersa, si sit lapsus ad aliquod membrorum interiorum,ubi competat,sicut lepro sis potest poni serpens: si sit lapsus in cerebro betonica.si sit lapsus in splene,scolopendria. Item nota q̃ in febre Ephimera causata ex nauseatiua sacietate confert uomitus, ideo prouocandus est cum immissione digiti,uel cum immissione plumarum gallinæ intinctarum in liquore, qui sequitur. Recipe seminis atriplicis fortiter conquassati.ʒ.ii.bulliant fortiter in una quar.aquæ ad consumptionem medieta.& colletur et collaturæ addatur,si ue infundatur olei oliuæ quar.s.aceti.ʒ i.& patiens bibat de isto tepido in uno haustu quantum bibere poterit sine anhelitus respiratione. Et post stet per unam horam uel circa,& post mittat digitum intinctum prædicto liquore uel plumam gallinæ profunde. Et nota q̃ nũc raro uomitu utimur, ideo non pono uomitus fortes,noto hic bonum emplastrum resoluens apostemata dura,primo

scrofulas q. ponit Gale.in catageni. Recipe *sinapis ur ticæ aristolo. longæ furfuris spumæ maris,boli ar.anna. conficiantur cum oleo antiquo q. sufficit.*

De febre Ephemera causata ab apostemate.

PRimo debet apostema resolui cum hoc unguento q. sequitur & etiam ualet ad herniam uentosam.* Re cipe origani,calamenti abrotani parietariæ. saluiæ pimpinellæ ana. M.i. anisi maratri.antos ana.ʒ.s.camomillæ hispanicæ, melißæ ana.ʒ.s. coquantur omnia perfecte,& colentur,colaturæ sit libra.i.& colatura inspissetur addendo mellis quar.i.sepi hyrcini.ʒ.ii. uini albi.ʒ.i. aceti.ʒ.s.& fiat unguentum bene molle. & resoluantur apostemata in principio,secundo apostemata possunt curari cum unguento quod sequitur.* Recipe *medullæ pa nis albi quar.s. olei ros.aquæ fontis ana.quar.i. misce fortiter agitando, & ponatur super lentum ignem, & continue agitando bulliant usq; ad consummationem olei, & fiat emplastrum bene molle.& ualet bubonibus.* Item *possunt maturari apostemata cum hoc unguento q. sequitur.* Recipe *maluæ bismalue.cardonis benedicti herbæ uiole ana.M.i. radicum lilii. quar.s. farinæ fenugreci: farinæ seminis lini ana.ʒ.s. carycarum pinguium.ʒ.s. butiri recentis quater abluti axungie porci recentis ana.q. sufficit ad incorporandum & fiat emplastrum mol le quia eo melius maturatur.* Aperitiuum bonum. Recipe.*calcis uiuæ.ʒ.i.tartari.ʒ. iii. incorporentur sapone gallicano, uel cum saliua homnis uiui, & conseructur*

usui,

usui, & cum fuerit maturum, aperi cum phlebotomo quia præualet quã medicina Caustica. Et facta apertione cum phlebotomo applica plumaciolos cum albumine oui & uitello & oleo rosſ. immiſſa prius tenta, ut locus ſtet apertus, dum tamen non exeat multum ſanguinis. Quod ſi ſtulte aperueris, & multum ſanguinis exiuerit, pone in albumine ouorum puluerem iſtum. Recipe *ſang. dra. boli ar. terræ ſigillatæ ana. ʒ. s. balauſtiarum acatiæ mumiæ hypociſthidos ana. ℈. ii. uel. ʒ. ii. nucis cipresſi ſiccæ. ℈. ii. thuris, maſticis, ana. ℈. ii. s. fiat puluis, & ſi uis potes addere ſang. hominis, combuſti. ʒ. i. pilorum leporis combuſtorum. ʒ. s. in iſto puluere potes ponere aloem, myrrham, corallum ſpecialiter ſi fuerit ſupra caput. Et nota q͂ chirurgicus, ſine iſto puluere ſtare non debet: & ſi indigeat mundificatione, teneat mũdificatiuũ quod ſequitur.* Recipe *farinæ frumenti uolatilis. quar. s. uitellorum ouorum. iiii. olei ro. ʒ. s. mellis. ℈. vi. ſucci appii. ʒ. i. ponatur ſuper ignem, & bulliat continue agitando, quouſque fiat aliqualiter ſpiſſum in modum unguenti, bene fluxibilis & bene præſeruat a fiſtulis quo mundificato conſolida, & cicatriza cum unguẽto de lithargyrio bene mirato uel fiat ſic.* Recipe *lithargyri. ʒ. ii. olei roſ. aceti ru. & bene grosſi ana. libr. s. ponatur in mortario de plumbo ibidem & agitetur continue per tres horas, & ſi non ſufficiunt, acetum & oleum adde ana. continue agitando, & fiat unguentum in modum mellis, & de iſto appone ſolum bis in die & ſic curabis apoſtema, apparens tantum per uiã cõgeſtionis, uel deriuationis. Et cura ſcliroticis apoſtematis ignoratur ab auctoribus, ideo eã nõ pono.*

De febre causata ex soliditate & frigore.

IN *hac febre sudor prouocatur secundum aliquos sic.* Recipe *florum camomillæ utriusque, sticados, anthos puri ana. quar. s. origani, calamenti, pullegij ana. ℥. i. anisi. ℥. s. bulliant omnia in uino electo & aqua ana q. sufficit. Ponatur ista decoctio in cucurbita, siue una uel duabus, uel in alijs, calida, & obturentur bene, & ponatur ab utroque latere sub pannis, ita q. non tangat patientem, sed patiens poßit se mouere de uno latere ad aliud, & patiens sit bene coopertus tenendo caput extra pannos, potest etiam prouocari cum unguentis & oleis aperitiuis, ut.* Recipe *olei de anetho, olei melliloti, ana. libr. ii. bulliant in istis oleis ista quæ sequuntur, ut.* Recipe *origani calamenti pulegij utriusque saluiæ ana. ℥. s. exprimantur & colentur.* Et *inde tota spina dorsi a capite usque ad caudam ungatur, & cooperiatur bene patiens.* Item *uolunt alii q. patiens inuoluatur in foliis ebuli.*

De febre ephemera causata ex ebrietate.

EBrietas *curatur quinque modis, primo cum narcoticis & stupefactiuis, non approbo hoc, secundo cum uomitu, hoc approbo in dispositis & uomere consuetis in aliis non, tertio cum alterantibus caliditatem uini, & cum potu aquæ frigidæ, & cum succo citranguli uel cum succo alterius pomi, quarto cum prohibentibus uapores ascendere ad caput, ut est coriandrum, citonia, pira, & alia stiptica. Quinto cum ualentibus a tota proprie-*

tate, & ista sunt emperica, ut est succus caulium ru. carnes pingues porci recentis. Item qui comedit pulmonem arietis in tota die non ebriatur. Item. Recipe *pulueris hirundinis combustæ in olla bene lutata in furno, & id ualet multum ad præseruandum ab ebrietate.*

De febre Ephemera causata ex cibo.

EPithemata ualent ad calorem hepatis. Recipe *aquæ endiuiæ aquæ ros. aquæ nenupharis ana.lib. s.aquæ cucurbitæ, aquæ cucumeris ana. quar.i.succi lactucæ, succi portulacæ ana.quar.s.rosa.rub. electarum.℥. s.sanguinis al.& ru.ana.ʒ.ii.spodii fini.ʒ.i. aceti fini al. ℥.s.fiat epithema, & potest addi succi summitatū solatri, si uis fortius in frigidare, et si iterū uis fortius in frigidare adde cāphoræ.ʒ.s.*Nota *q, aliqui utuntur succo solatri, & ego non utor nisi in casu desperato, sed solatri cū toto, quia in substantia solatri est aliquid stipticum per quòd reprimitur sæua uirtus solatri.*

De febribus putridis, rubrica, & cura.

CIrca *capitulum febriū, putridarum, & est capitulum septimum secundi tractatus in cura talium Auicenna laudat clysteria quia oportet uentrem laxare minorando, ideo notandū q, clysteria sunt duplicia, quia aliud est ea mollificatiuū, & fit sic.* Recipe *maluæ, bis maluæ, uiolæ, mercurialis, brācæ ursinæ, ana.m.i.senetionis, radicum lilii ana.quar.s.fiat decoctio in aqua, in qua*

dissoluatur caßiæ fistulæ, mundæ, pinguis.℥.i. olei uiolati. ℥.ii. fiat clystere, & non ponitur sal. Aliud mollificatiuũ *ut.* Recipe *maluæ, bis maluæ, uiol. mercurialis, ficlæ, brancæ ursinæ, ana.* M.*i. anisi. marathri. carui. ana.ʒ.ii. tritici furfuris.p.i. succi, ficlæ, quar.i. & fiat decoctio, in qua dissoluatur caßiæ fistulæ, pinguis, mundæ.℥.i. salis cõmunis.ʒ.iii.* Quod *si uis magis mundificatiuum, salis gemme.ʒ.uel loco salis, olei uiolati.℥.ii.* Et *nota q; in omnibus clysteribus ponitur caßia fistula ad hoc ut non retineatur decoctio in intestinis.* Et *ultra nota, quòd ubi non habeas bismaluam, utere radicibus alteæ, quæ secundum aliquos bis malua uocatur, & non est uerum: secundum aliquos & melius est species maluæ quæ crescit in altum ad longitudinem* viii.*palmorum uel plus, & ista est duplex: alia est quæ portat flores ru. alia quæ albos ut ro.* Aliud *est clystere alteratiuum.* Recipe *scariolæ, lactucæ: rostri porcini, foliorum salicis, ana.* M.*i. succi melonis indi. quar.s. florum, camomillæ.℥.i. prunorum damascenorum numero.xx.* Hordei *quar.s. fiat decoctio in qua dissoluatur caßiæ fistulæ mundæ.℥.i. olei uiolati: olei nenupharis ana.℥.s. q; si herbas nõ inuenias.* Recipe *aquæ cucumeris: aquæ cucurbitæ: aquæ nenupharis, aquæ endiuiæ, ana. lib.s. furfuris.p.i.* Item *ut supra fiat clystere ad quar.s.* Aliud *attractiuum.* Recipe *herbarum.*V. *communium, quæ sunt malua, bismalua, uiol. ficlæ, mercurialis & si non habeas bismaluam, ponas branchã ursinam ana.* M.*i. agarici electi.ʒ.iii. anisi, marathri, carui, ana.ʒ.iii. furfuris.p.i. fiat decoctio, in qua dissoluatur caßiæ fistulæ, pinguis mundæ.℥.i. hierepicræ.ʃ. uel benedictæ, uel ele*

ſtuarii ſucci roſa.uel omnium iſtorum ana.ʒ.ii. uel alterius eorum.ʒ.vi. uel duorum ſimul ana.ʒ.iii. mellis roſ. uel communis,ana.℥.i.uel.ʒ.s. olei uiolati.℥.ii.ſalis communis.ʒ.iii.uel loco eius ſalis gemmæ.ʒ.i. fiat clyſtere, & caueas quòd ſal ſemper ponderetur,quia quanto magis ponitur de ſale tanto magis pungit inteſtina. Nota ꝙ *in clyſteribus,ubi eſt debilitas inteſtinorum, poteſt poni mentæ ſiccæ,abſinthii ana.ʒ.i.uel.ʒ.ii.* Item *poteſt fieri clyſtere conſtrictiuum,cum conſtrictiuis frigidis, ſtipticis,& in talibus non ponas caßiam fiſtulam,nec alias medicinas laxatiuas,nec ſal.& ſi poſueris ibi olera,ponas in modica quantitate,& ſint olera conſtrictiua, & caueas quòd clyſtere detur in parua quantitate,ne grauentur inteſtina.* Item *potes facere clyſteria confortatiua cum rebus confortantibus,ut brodio caponis,uel perdicis, aliqualiter per decoctionem inſpiſſatis,uel alterius, in quo nil ponas de ſale,uel de oleo, nec de laxatiuis: & detur etiam in parua quantitate ad quar.s. ne uirtus contentiua grauetur,& poteſt addi unum uel duo uitella ouorū fortiter agitata,& caueas quòd ſolum ſint tepida & non declinent ad aliam partem extremi,frigiditatis uel caliditatis.Clyſtere conſtrictiuum poteſt ſic fieri.* Recipe *radicum cameleuntæ, pirorum,cotonorum,immaturorū, cornearum,ſorbarum,neſpularum,fortiter conquaſſatarum ana.℥.i.uel quar.s.mentæ ſiccæ, abſinthii ana.ʒ.ii. acaciæ hypociſtidos ana.ʒ.i.aquæ ciſternæ,aquæ roſ.factæ de ſtipitibus roſ ana.quar.i.s. fiat decoctio, in qua diſſoluatur coaguli leporum uel œdi.ʒ.iii.ſepi hyrcini uel montonis,de renibus.ʒ.ii.ſirupi de ribes.ʒ.ii.ſang. dra.*

boli ar. ſubtiliter puluerizatorum, ana.ʒ.ii. maſticis.ʒ.s. fiat clyſtere ad lib.s. Item *nota circa id capitulum quòd iuleb eſt duplex, paruæ cõmiſtionis & multæ, paruæ eſt ubi ponitur una pars zucchari & 9. aquæ: multæ ubi ponitur tantum de zucchararo quantum de aqua, & econtra.* Vbi *nota quòd iuleb poteſt fieri alteratiuum, & digeſtiuum, uel conſtrictiuum, uel laxatiuum, & hoc fit accipiendo aquas appropriatas ad hoc, & medicinas ad hoc ualentes cum zucchararo, ut dictum eſt, & coquantur & colentur.* Et *tunc utatur iuleb compoſito de quo mentio fiet in capitulis ſequentibus particularibus de cura febris.* Nota *quòd eodem modo poteſt fieri hydromel cum melle & aqua ſolum, & uocatur hydromel ſimplex.* Item *oximel ut.* Recipe *aquæ lib.iii. mellis lib.i. aceti lib.s. & ponatur ad ignem, & coletur quando bene fuerit diſpumatum.* Et *ſcias quia multi dubitant recipere clyſtere.* Ideo *alii prouocant cum ſuppoſitorijs, quorum quædam ſunt debilia, quædam fortia.* Debilia *quædã fiunt cũ melle & ſale ut.* Recipe *mel.ʒ.i. & bulliat uſque ad eius conſumptionem, & addito ſale ſubtiliter puluerizato.ʒ.ii. informetur ſuppoſitorium.* Nota *q, in delicatis & habentibus inteſtina ſenſibilia, ſufficit iniectio cum bombace intincto in melle crudo.* Aliud *poteſt fieri de lardo duro.* Aliud *de candela facta de ſepo montonis addito parum de ſale in parte anteriori, quòd infundatur in oleo communi, poſt miniſtretur.* Aliud *fit de trunco caulis intincto in cyſti fellis montonis.* Item *in pueris de penidiis intinctis in oleo, uel nuce intincta in melle.* Item *fiunt alia fortiora quæ ſunt.* Recipe *ſal tritum infra*

pellem axungiæ porcinæ in modum suppositorij, & submitte, uel Recipe *mellis & salis, ut prius dictum est, et adde esulæ.℈.i. uel stercoris muris puluerizati.ʒ.s. uel diagridij.℈.s. uel colocynthidæ.ʒ.s. & inunge cum oleo in capite suppositorij & supponatur.* Aliud *fit de sapone duro.* Aliud *de salgēma.* Aliud *est suppositorium attractiuū, ut.* Recipe *mellis hieræ picræ, g. ana.ʒ.s. benedicta, potest poni loco eius salis communis.ʒ.iii. uel stercoris muris.ʒ.ii. colocynthidæ.ʒ i. fiat suppositorium quod cum filo ligetur, & talia fiunt in habentibus uirtutem debilem, & ligatur, ut cum sufficienter steterit intus, poßit extrahi.* Item *caueas ut non administres suppositoriū nisi prius sit inunctum oleo.* Item *quis potest laxare uentrē cum cibis sumptis in introitu mensæ, ut si dantur ficus siccæ & albæ sunt meliores alijs, quare si duo uel tres impleantur medulla carthami, melius laxat, & specialiter phlegma, & id ualet habentibus pectus multum plenum de phlegmate.* Ad *idem ualet usus racemorum in introitu mensæ, quòd si sicci fuerint non tantum nocent, quantum recentes.* Et *si recentes fuerint, et steterint collecti tribus uel quatuor diebus, sunt meliores.* Item *pruna damascena numero.x. quæ prius madefiant in aqua tepida per unam horam.* Item *ualent iuiubæ, sebesten, & tamarindi sicut pruna ministrata.* Item *ad idem cerasa recentia, uel sicca, recentia tamen plus ualent in habentibus stomachum colericum, & dulcia in habentibus stomachum phlegmaticum.* Item *fructuum sorbilium succus, & caßiæ fistulæ quæ competit in principio mensæ siue sint recentes siue sicci. Sed sicci prius debent temperari in aqua tepida uel*

calida. Similiter ualet ad hoc portio panis furfurei continuata in introitu mensæ. Item ualet ad hoc dicta Alexandrina de qua facit Galenus mentionem, secundo aphorismorum. Quibuscunque iuuenibus: &c. Et sunt proprie porri cum melle, quæ dieta duo facit primo incitat appetitum, & laxat uentrem, & ideo carnes salsæ uel pisces salsi cōmuniter dantur in principio mēsæ, uel aletha. Et ualet usus herbarum, spinachiæ, siclæ, bletæ, maluæ, uiolæ, mercurialis, omnia ista condita febricitantibus data cum lacte amigdalarum, laxant uentrem. Et si uis cum lardo porci ueteris. Quod si fortius uis laxare, adde senæ pul. ʒ.i. Item caueas quòd ubi humores fuerint salsi, uel colerici non des siclas uel blitas, nec carnes, nec pisces, salsos. Item ualet ad hoc comedere panem furfureum. Item potest uenter laxari cum potibus, & specialiter in colica, primo cum brodio galli antiqui ut. Recipe Gallum antiquum quatuor uel octo annorum, uel antiquiorē si inuenire poteris, habentis pedes, & rostrum croceos, & fac decoqui, & quando erit plusquam semicoctus, extrahe eum de brodio, & pone in eius uentre polipodij quercini, non antiqui sed recentis, conquassati quar. s. uel ℥. s. & fac iterum ipsum decoqui in eodē brodio usquequo sit perfecte coctus, & postea da brodium. Secundo ad idē ualet brodium uaccæ, uel bouis, & specialiter in arenulis renum, non tamen sit nimis pinguis: ista enim laxant sui uiscositate, & non sint nimis coctæ istæ carnes. Item ualet ad hoc potus aquæ expressæ post paruam decoctionem mercurialis, ut. M. i. pone in parua quantitate aquæ, & postquam bullierit abiiciatur mercurialis ab ista aqua,

& ponatur in paropside, & ibidem exprimatur & quod inde manabit potui ministretur. Quarto ualet ad idem potus.ʒ.i.caßiæ fistulæ pinguis mundæ, dissolutæ in brodio pullæ, uel cicerum parum bulitorum, uel lentium, uel in brodio carnis porcinæ, uel bouis, uel uacinæ, sine sale. Quod si fortius uis laxare infunde senæ mundæ, ex stipitibus & se.pul.ʒ.i. Item si uis fortius, turbit bene gumosi purgati.ʒ.i.uel.ʒ.s.zingi.℈.i. Item aliqui ribaldi dissoluunt radicem irios uel grana uel folia catapuciæ, uel diagridij, uel esulam, & ministrant in potu, & male, quia sine digestione medicantur. Item possumus ministrare medicinas in liquida substantia, uel in solida. In liquida substantia oportet dari, si materia fuerit in stomacho uel in uijs propinquis. In solida substantia, & hoc dupliciter, quia uel in forma electuarij, uel pilularum. In pilulis, si materia est remota, & specialiter in capite tibijs uel brachijs, & debet in principio noctis dari. In forma electuarij debet dari, si materia sit in partibus mediis, etiam in renibus, & debet ministrari in medio noctis. Aduerte tamen quòd nullam medicinam concedas, apostemate existente in partibus pectoralibus, sed operari cum phlebotomiis uel unguentis uel cum aliis ad hoc appropriatis. Nota quòd antequàm des medicinam, oportet te scire utrum patiens habeat somnum profundum uel non, quia si habeat somnum profundum, oportet, quòd excitetur postquam dormuerit per unam horam, uel dormiat antequàm recipiat medicinas magnum somnum. Item potest sumi in substantia liquida in forma clareti quòd sic fit. Recipe pul. clareti superius positi,

3.s.foliorum senæ mundatorum a stipitibus.℥.i.turbit gu mosi purgati.℥.s.zingi.ʒ.ii. diagridii uel scāmoneæ.ʒ.s.si uis choleram euacuare, si phlegma. esulæ. ʒ.s. polipodii quercini fortiter conquassati.℥.s. thimi. epithymi. ana.ʒ. ii.spicæ nar.℈.ii.conquassanda conquassentur, et ponatur in manicam, & addito pul. zucchari quar.i. uini electi competentis quantitatis, fiat claretum. Quod si uis pro uocatiuum magis esse urinæ; adde cretæ marinæ, tribuli marini.ana.℥.s.se.milii solis.ʒ.ii.anisi.ʒ.i. & usui conser uetur & da mane unum plenum poculum, & si laxat suf ficienter da diebus alternatim.s. uno die & alio non. Et si non laxat sufficienter, augumēta quantitatem. Quod si nimis: minuas quantitatem: nam ducere oportet quater uel quinquies, & caue ne post assumptionem clareti dor miat, quia ista sunt satis calida de se. Item potest laxare cum administratione colaturæ, tunc cibus statim est su mendus. Aliud est quòd dicimus apozima, quòd si purga re intendis phlegma, Recipe corizolæ fumi terræ, ana. ℥.i.polipodii quercini fortiter conquassati, succi scabio sæ, succi, lapacii acuti, facta residentia ana.℥.s.quòd si suc cos non habeas, sumas aquas ana.ʒ.ii.agarici albi electi.ʒ. iii.fiat decoctio in aqua in qua dissoluatur caßiæ fistulæ. ℥.s.turbit bene purgati gumosi.ʒ.s.zingi. albi.℈.i.fiat po tus qui datur tepidus in aurora, illa colatura debet duce re mediocriter. Et si uis quòd fortius operetur, dissolue in ea benedictæ, uel diacarthami.ʒ.ii. uel iii. & fiat po tus. Item si intendis purgare choleram, ut in tertiana. Recipe florum boraginis, uiolarum, buglossæ, nenupha ris ana.ʒ.s.prunorum damasceni, iuiubarum, sebesten.ana

ʒ.xx.aquæ endiuiæ,uel ſucci lactucæ facta reſidentia,uel capilli ue.ʒ.s. ſeminis melonum. ʒ.ii.fiat decoctio, in qua diſſoluatur caßiæ fiſtulæ.ʒ.i. electuarii de ſucco roſ.ʒ.ii. fiat potus, qui tepidus detur in aurora.Et ſi amara non dubitet,loco eius detur reubarbari electi per noctem temperati in aqua endiuiæ.ʒ.i.ſpicæ nardi.ʒ.s. uel ℈.i.Item ſi purgare intenditis melancholicum humorem, Recipe florum uiolæ, boraginis,uel bugloſſæ,antos puri.ana. ʒ.s.polypodii quercini fortiter conquaſſati, ariſtolochiæ ro.ana.ʒ.iii.aniſi.ʒ.i.foliorũ ſenæ munde à ſtipitibus & ſe.ʒ.i. thymi epithymi ana.ʒ.i.s. fiat decoctio in aqua in qua diſſoluatur medulla caßiæ fiſtulæ.ʒ.i.tamarindorum pinguium, mannæ granatæ ana.ʒ.iii. fiat potus quòd ſi uis fortius laxare adde lapidis hæmatitis quinquies prius abluti.℈.i. Item nota quòd in iſtis colaturis parum utor mirobalanis, quia pauci inueniuntur boni.unde omnis eorum uirtus uetuſtate eſt conſumpta.Item ex cauſa quam aßignat Auic.capitulo de cura fe.pu.in uniuerſali circa finem capituli, in parte illa mirobalanorum uero, quia poſt laxationem habent conſtringere, unde in caſu quo uolemus euacuare choleram exiſtente in ſtomacho poſſumus cum citrinis & hoc ſi inteſtina & ſtomachus eſſent debilia,ratione raræ complexionis uel compoſitionis.Et nota in melancholia & phlegmate & melancholia ſimul chebulis belliricis communiter utimur.Quod ſi eis uti uolueris debes extrahere uirtutem ab eis & abiicere ſubſtantiam,quod fit tripliciter , primo cum balneo quod ſic fit. Recipe corticum mirobalanorum quibus uis uti in quantitate quæ tibi uidebitur, quòd ſi miroba-

lani ſint antiqui accipias maiorem quantitatem, & conteras fortiter & poſt infundas in aqua tepida per horam.i.uel per duas, quouſque uideas ſupernatare gumoſitatem & uiſcoſitatem, quod cum uideris impone in iſto uaſe fruſtum filtri, quo manabit aqua ſubtilis & groſſum remanebit, ſicut fit in lacte uirginali. Secundo potes *uirtutem eorum ſic habere.* Recipe *unctuoſitatem ſupernatantem in aqua & gumoſitatem & in colatura ponas ſiccum in aqua tepida.* Tertio *contere cortices, & pone in aqua ad lentum ignem, poſtea quando inceperit feruere, depone, & cola, & colaturam miniſtra.* Vel Recipe *cortices & infunde in decoctione, & ſtent per noctem, & in craſtinum colentur fortiter & fricentur & colatura miniſtretur.* Et *quòd dico de mirobalanis dico de turbit.* Item *de agarico, & colocynthide, & aliis laxatiuis quorum uirtutem tantum modo uis habere.*

Item *ſcias quòd in iſtis medicinis non pono ſcamoneam, eſulam, nec alias medicinas fortiter eradicatiuas, cum multum naturam moleſtent, quia ſolum* Auicenna *uult ꝙ materia minoretur in principio, ideo eis non iubeo uti, ſed in curis particularibus docebo modum.* Item *uenter poteſt laxari cum ſirupis digeſtiuis quibus utor in morbis cronicis, ſeu quando uolo temptare naturam, ſeu quando patiens abominatur loqui de medicina laxatiua, uel quando patiens eſt debilis, & oportet quòd paulatim laxetur.* Et *modus faciendi eſt talis.* Capiantur *herbæ, flores, ſe, & alia appropriata illi paſſioni de quibus omnibus fiat una decoctio.* Et *ſi cum ſyrupo uis facere digeſtiuum, fac digeſtiuum de medietate huius decoctionis,*

addito zucchoro, uel melle, ſecundum quod uis, & in alia medietate decoctionis temperentur laxatiua appropriata humori euacuando tota nocte, & in craſtino iſta laxatiua fricentur & exprimantur taliter, quòd tota uirtus laxatiuorum remaneat, poſt adde zuccharum uel mel & clarifica: & ille eſt unus modus pro delicatis. Item *alius modus reperitur, una pars decoctionis clarificetur & dulcoretur, & poſt ponantur laxatiua pulchra in ſacco lineo delicato non multum compreſſo & inde coletur, & ſacculus reſideat in fundo late ligato.* Item *eſt alius modus. ſ. quòd infundantur pulueres in ſacculo, & ponatur in amphora, agitetur quando debet miniſtrari, & aqua cum qua miſcetur debet eſſe in æquali quantitate, & debet dari in aurora.* Item *aqua quæ miſcetur cum ſirupis, debet eſſe bullita cum aliquibus appropriatis, ut cum ciceribus ru. uel hordeo uel lentibus, uel ſcolopendria, uel betonica, ſiue cum capillis uene. uel cum alijs diureticis.* Item *intelligas quòd aqua quæ miniſtratur in digeſtiuis, debet dari in maiori quantitate.* Et *exemplar ſit ſic in materia phlegmatica.* Recipe *radicum quinque herbarum communiũ, & ſi materia non ſit multum uiſcoſa ſint teneræ, quòd ſi indigeat forti calliditate in digerendo, cape non teneras, ſed magis antiquas, & craßiores radices, apij, pentafilon, cum toto boraginis, bugloſſæ, cum toto fumiterræ, corigiolæ, ſcabioſæ, betonicæ, lapacij, acuti, adiantos, capillorum, ueneris, & alias eis ſimiles ana.* M. *i. aniſi. carui. ana.* ʒ. *ii. florum utriuſque ſticados, boraginis, & bugloſſæ.* ℥ *s. & fiat decoctio, in qua in fine decoctionis ponantur aromatica, ut ſpica nardi, uel ſpodij, uel ſanguinis uel alia in*

quantitate in qua uidebitur expedire, in cuius medietate decoctionis ponatur zucchari lib.i.s. secundum q, uis facere syrupum, & fiat sirupus cum diligētia clarificatus, & iste est digestiuus. Et *in alia parte decoctionis infundatur quod sequitur.* Recipe *foliculorum senæ mundatæ a stipitibus & se.ʒ.ii. agarici electi.ʒ.iii. turbit gummosi electi.ʒ.i. zingi. albi.ʒ.ii. esulæ.ʒ.i. thymi, epithymi. ana.ʒ.ii. temperentur per noctem in dicta decoctione, & fricentur, & fiat, ut dictum est, syrupus, addendo zucchari lib.s.* Item *potest uenter laxari cum pomo laxatiuo.* Recipe *pomum & incide per medium & remoue cor & loco cordis pone diagridij masticis ana.ʒ.i. postea coniunge partes pomi & inuolue pomum in stupis madefactis in aqua, & ad coquendum pone sub cineribus calidis, lento igne, & quando erit coctum abiice quod inter remansit, si est aliquid, post ministra, & da parum aquæ tepidæ ad bibendum ieiuno stomacho, uel uini bene lymphati tepidi & loco pomi, fiat in cotano, uel piro uel ficu.* Item *idem potest fieri de.ʒ.ii. reubarbari uel.ʒ.iii. uel de.ʒ ii. turbit zingi. albi.ʒ.i. uel de.ʒ.i. esulæ. uel de.ʒ.s. quia nimis esset.ʒ.i.* Item *potest fieri fructus laxatiuus ut docet* Palladius *de agricultura, sicut sunt ficus, pira, poma, & cæteri, & fructus naturam linientes, unde perfora stipitem arborum cum grosso terebello, & postea impleas id foramen de diagridio, uel de alijs medicinis fortibus, & postea obtura foramen ab extra taliter ut uirtus medicinæ exterius non respiret, & hoc in uere est faciendum, et fructus qui inde nascentur erunt laxatiui.* Item *uinum decoctionis radicum ebuli, uel florum, uel granorum eius,*

est laxatiuum, & quanto maior est quantitas, tanto magis laxat. Item uinum decoctionis alchechengi, aliter dicitur solatrum, & uentrem soluit, & urinam prouocat, in casu quo patiens non possit urinare, quod fit sic, duo, uel tria uel quatuor poma, uel plura alchechengi terantur, & cũ uino distemperentur, & tepidum ministretur. Item uinum decoctionis yringorum uidelicet contra lapidem, & soluit urinam. Item glis puluerizatus amotis alis & capite, dissolutus cum uino albo uidelicet. Item potes uentrem laxare cum unguẽtis inungendo uolas manuum, uel plantas pedum, in exitu balnei cum oleo colochynthidæ quod prouocat uomitum & laxat uentrem, tamen hoc non fiat nisi materia digesta. Item ad uomendum & egerendum, menstrua prouocandum, unguentum sequens uidelicet, si orificio stomachi, umbilico, & regioni matricis apponatur. Recipe aloes. ℥. i. fellis taurini quòd sufficit, dissoluatur in modum unguenti super ignem. Ad idem ualet oleum catapuciarum, quod fit de semine catapuciæ, sicut oleum amigdalarum dulcium. Item ad idem ualet oleum sambucinũ quod fit de medulla sambuci, & non de floribus, sed antequam utaris sit materia digesta. Item soluitur uenter cũ electuario de succo rosa. cuius. ℥. s. ducit quinquies. Item diaprunis. ℥. s. ducit quater, diaturbit boni benedictã. ʒ. v. ducunt quater uel quinquies. Ducunt melancholiam. Hiera Rufini Hieralogodion, Hierodoricon, empericon, anacardinum, quorum. ℥. s. in mediocri laxitate ducunt quater. Et receptæ istæ sunt positæ in Antidotario Nicolai, & aliæ ab istis & licet dicatur quòd euacuant phlegma, possunt tamen rectè euacuare choleram, & fit sic.

Recipe pulueris diadraganti frigidi, carnium citoniorũ, cum zuccharo conditorum.ʒ.iii. uel. ʒ.iii. zingi. al.ʒ.s. medullæ carthami.ʒ.s. turbit gumosi & purgati.ʒ.i. diagridij.ʒ.s. mannæ granatæ, uiolæ, rosa.ana.quar.i. panis zucchari lib.i.s. fiat electuarium in bolis ponderantibus. ʒ.s. & laxabit sexies. Item potest fieri aliud quod communiter uocatur tabula laxatiua. Recipe *corticum citri cum zuccharo conditi fortiter conquassati, conseruæ rosa. conseruæ boraginis & buglossæ ana.ʒ.i. turbit electi diagridij esulæ ana.ʒ.s. zingi. albi.ʒ.iii. gumi ara. liquiritiæ mundæ ana.ʒ.ii. pulueris diadraganti fri. ʒ.iii. zucchari q. sufficit fiat electuarium in tabula.* Item potest uenter laxari cum pillulis factis uel quæ possunt fieri de electuariis hic positis cum additione alicuius uel plurium conseruarum ut conseruæ uiola. boraginis, buglossæ, nenupharis & aliarum. Item sunt aliæ pilulæ positæ in antidotario Nicolai, sicut aureæ coctiæ, et aliæ de quibus hic non facio mentionem. Item potest uenter laxari cum medicis pulnerizatis ex simplicibus appropriatis humori euacuãdo, ut si uolumus euacuare phlegma facimus puluerem de turbit cum medietate sui de zingi. ut. Recipe *turbit.ʒ.i. zingi.ʒ.s. uel esulæ pulnerizatæ.℈.i. in materia cholerica.* Recipe *reubarbari subtiliter pulnerizati.ʒ.i. diagridij uel masticis grosso mõ triti grana tria.* Item in melancholica. Recipe *florum senæ subtiliter pulnerizatæ.ʒ.i. uel.ʒ.ii. possunt isti pulueres administrari cum brodiis simplicibus in introitu mensæ, uel cum cibis.* Nota tamen quòd si potes ministrare laxatiuum aliter, quàm in pulueribus, nolo quòd facias nisi necessitate

cogente

cogente, ut quia aliquando oportet quòd medicus decipi-at patientem, quia attrahunt per modum eradicationis, sed solum minoratiue in principio ministro electuaria in solida subiecta, & dissoluo in aqua cicerum ru. & fortiter attrahunt, & ita hæc sufficiant in generali de laxatiuis.

De cibatione febricitantium.

Scias quod tenuißima dieta hodiernis temporibus non ministratur nisi raro propter debilitatem uirtutis, unde Hippo. *in primo apho. in tenuibus diætis peccant ægrotantes, & quicquid acciderit de morte infirmi imputaretur medico, si bene non ministramus.* Ista *sunt cibaria febricitantium zucharum rosin habentibus uentrem laxum, uel zucharum uio. in habentibus uentrem constipatum, & loco istius possunt dari ros. conditæ uel uiolæ cum zucharo, & fit sic.* Recipe *conseruæ ros. cõseruæ uiolarũ ana.℥.i. panis zuchari.℥.ii. primo ponitur ℥.i. cõseruæ in fractorio ligneo et bene misce, & post ponitur alia.℥. grosso modo trita, & cum modica aqua ros. desuper aromatizetur & in pixide lata seruetur usui, & detur coclear.i. cum tribus coclearibus aquæ bullitæ infrigidatæ. Secundo potest dari malum granatum, quòd si acetosum fuerit, lauetur cum aqua dulci.* Et *si acetosum fuerit ualde, lauetur cum aqua tepida, ne noceat partibus pectoris, & ut non causet tußim, & post desuper spargatur panis zuchari, aqua abiecta prius.* Et *si fuerit dulce suffict lauare cum aqua frigida semel. & post spar*

gi parum de zucharo. Et *si fuerit muzum, lauetur cum aqua tepida, & spargatur zucharum desuper.* Tertio po*test ministrari medulla panis furfurei, si uenter fuerit constipatus, uel albi, si uenter fuerit laxus, quæ debet tribus uel quatuor uicibus in aqua tepida refrigerata ablui & potest ministrari in quantitate sufficienti.* Quarto po*test ministrari cibus de hordeo qui est duplex, quidã uocatur ptissana quidam hordeatum.* Nota *quòd ptissana quædam est pauci nutrimenti & fit sic.* Recipe *hordei partem.i.aquæ partes xx.buliant & coquantur ad consumationem tertiæ partis sic quòd remaneat maior pars.* Alia *est multi nutrimenti ut.* Recipe *hordei partem.i.aquæ partes x.buliant usque ad consumationẽ medictatis.* Alia *est medioeris ut.* Recipe *hordei partem.i.aquæ partes xv.buliãt ut aliæ, & debet ministrari frigida nisi sint impedimenta, ut est strictura partium pectoralium in qua debet tepida ministrari.* Vbi *sciendum quod si nolueris fortiter abstergere & mundificare debet esse hordeum cum cortice, si autem parum, debet esse depilatum.* Item *nota quòd istæ ptissanæ possunt tripliciter fieri, primo in amphora & quanto est magis tenuis, tanto citius bulliet, et cum minori periculo, cauendo tamen quòd ignis continue teneatur facta ebullitione, & in principio fiat paulatim & os obturetur bene.* Secundo *bulliendo in lari ubi coquitur panis.* Alio *modo potest fieri in uase duplici, ut quòd amphora ubi est posita cum hordeo, ponatur in cacabo pleno aqua & fiat ignis sub cacabo. secundum quòd superius dixi, docendo facere aquam carnis.* Nota *quòd ptissana est duplex.s. simplex & composita. sed com*

posita est ista in qua additur aliquid appropriatum ægritudini ultra hordeum, & si sit strictura pectoris additur liquiri. rasa uel capil. uene. una passa, uel ficus siccæ. si sit oppilatio in splene, radices capparis, scolopendria, & cicorea. Si uolumus quod sit prouocatiuum urinæ, quando est quasi cocta admisce cicera ru. uel semina frigida maiora cõtusa, & specialiter semina melonum & sic de alijs ut sunt pruna iuiubæ sebesten. Hordeatum *fit tripliciter primo.* Recipe *hordei mundi quar. 5. lauetur fortiter manuducendo, & si aliquid supernatat, abiciiatur, & ponatur ad temperandum in aqua tepida tota nocte, & in crastino coletur ab ista aqua, & ponatur ad abluendum in alia aqua, & bulliat usque quò incipiat crepare, & iterum coletur & ponatur in mortario, & fortiter teratur, & cum pauco lacte amygdalarum dissoluatur, & coletur comprimendo per stamineam, & addito lacte amygdalarum superponatur igni, & bulliat fortiter, ac si esset bos continue agitando, ne aduratur, & ponatur in paropside & ponatur zucharum, nisi morbus fuerit cum opilatione.* Et *istud proprie appellatur christhordei.* Aliter. Recipe *hordei mundi a corticibus, prius stet in aqua clara tota nocte, demane coletur, & buliatur in aqua usque quo crepetur, post colletur, & buliatur cum lacte amygdalarum usque ad perfectam consumptionem. Istud uocatur hordeum cum toto, uel integrum.* Aliter. Recipe *farinam hordei bene cribratam, & ponatur sine alio in pastillo, postea decoquatur in furno quandiu panis alius stabit, & cum lacte amygdalarum talis pastillus coquatur, & ut dictum est*

ſuperius cum zucharo miniſtretur. Auenatum *ſit dupliciter primo ſic.* Recipe *auenam mundam a corticibus quantumuis, & temperetur cum aqua cali. poſt fac eam bullire quouſque incipiat crepare, & cola eam, & pone in mortario, & diſſolue cum lacte amygdalarum, & cola per colatorium, & adde lactis amygdalarum quòd ſufficit, coquatur continue agitando uſque ad conſumptionem medictatis, & miniſtra cum zucharo, ut prius. Secundo modo fit ſicut hordeatum in ſecundo modo dictum.* Et *ſit alius cibus de partibus ſubſtantialibus furfuris cum lacte amydalarum qui coquitur uſque ad ſpiſsitudinem, et miniſtratur, ut alia ſuperius dicta.* Et *ſi patiens abhorreat iſta cibaria propter dulcedinem poſſunt poni ſuper grana malorum granatorum prius abluta. Secundo fit cibus de oleribus ut.* Recipe *ſpinachia boraginem atriplicem & alias herbas ſimiliter appropriatas, ut dictum eſt ſuperius in capitulo de cura febrium putridarum in uniuerſali, & electæ & mundæ prius bulliantur, & poſt colentur, & colatæ ſcindantur, & coquantur cum lacte amygdalarum quòd ſufficit.* Et *ſi patiens non diligit quia dulce, infundatur deſuper uinum malorum granatorum uel aceti.* Tertio *poteſt fieri alius cibus de cucurbita.* Recipe *cucur. uiridis antequàm ſemen amiſerit, & fruſtatim incide groſſo modo, & poſtea bullias cum pauca aqua undis duabus, & coletur, & colata fortiter exprimatur inter duo inciſoria, & poſita ſubtiliter contundatur, & cum lacte amygdalarum coquatur, & continue agitetur, & non tanto lacte indiget ſicut alia cibaria prius dicta, quòd ſi ratione dul. abhorreat detur cum ſuc*

co malorum granatorum, uel cum succo uuæ acerbæ noui ter expressæ uel in acresta gratelarum. Quarto fit cibus de frumento qui dicitur amylo quē cibum non laudo in se. pu. maxime uenter constipato. Sed ubi dubitaretur fluxus uentris, bene laudo, uel ubi indigemus multo nutriente, fit sic. Recipe amylum quantumuis, dissoluatur inter manus in aqua tepida & permittatur residere, & postea aqua super natans abiiciatur, & quod in fundo residet, coquatur cum lacte amygdalarum, & detur cum zucharo ut hordeatum, uel cum granis granatorum, ut prius dictum est. Vel sic coquatur farina frumenti cum lacte amygdalarum, & detur cum zucharo, ut hordeatum, uel cum granis granatorum, ut prius dictū est. Vel sic, coquatur farina frumēti cum lacte amygdalarum ubi caremus amylo & ualet ut amydum, uerum amydum magis constipat & nutrit, & datur ut amydum. Item fit cibus de simula. fit enim de granis frumenti semimolitis & fit sic. Recipe frumenti quantum uis & ponatur in molendino nouiter picato, taliter quòd non perfecte moletur sed granum per medium diuidatur, uel quasi, & farina per zancaturum abiiciatur et post cribelletur, & partes mediocres non nimis grossæ, nec nimis minutæ, dicuntur simula. Et præparatur, sic, lauetur cum. vi. uel. viij. aquis ita quod partes terreæ uel arenosæ abiiciantur, uel lapidosæ quæ ibi remanserunt de molendino. post coquatur cum lacte amygdalarum ut amylum continue, & ministretur ut ipsum. Quinto modo fiunt purettæ ex pura aqua leguminum, & specialiter cicerum ru. in partibus frigidis, uel pisorum al. uel in partibus cal. lentium.

Et ista puretta est duplex, quædam simplex, quædam composita. Simplex. Recipe aquæ puræ decoctionis leguminum quantum uis, postquam bulierit una unda, & addito butyro recenti, uel oleo ubi fe. non est, ubi autem est febris, acresta addatur, & detur. Composita est talis. Recipe aquæ puræ decoctionis leguminũ quantum uis, & adde appropriata ut petroselinũ, sampsucum, saluiã, hysopum minutim incisa. zingi. & croci & alia & bulian tur unda una, & quando uis ab igne deponere condiatur cum oleo uel butyro uel acresta & detur. Sexto fit cibus de amygdalis, qui est quadruplex. quidam fit cum aqua frigida ut. Recipe amygdalarum excorticatarum quantum uis, terantur fortiter, & dissoluantur in aqua frigida, & colentur exprimendo per pannum album, & id non approbo ratione aquæ frigidæ que oppilat. Aliter fit cum aqua primo bulita eodem modo, & id magis approbo, dum tamen non diu steterit factum, quia in parua mora specialiter in æstate corrumperetur, & in fe. debet dimitti per pausam antequam detur, & unctuositas que supernatat debet cum pluma subduci, uel alio modo amoueri, & post ministrari, quia omnem oleaginosum est unctuosum, & omnem unctuosum sicut conseruat ignem, ita calorem febris. Aliter fit sic. Recipe amygdalarum excorticatarum lib i. ponantur in mortario & dissoluantur cum parua aqua prius buliat & refrigerata, et postea terantur fortissime & post per stamineam coletur fortissime, taliter quòd id quod inde remanebit, sit spissum sicut butyrum, uel caseus recens: & iste cibus colandus ponitur super iuncos rotundos, ut quòd subtile

est isthinc exeat. Et *id non est cibus pauperum, et appellatur butyrum de amygdalis.* Alius *cibus potest fieri de amygdalis qui uocatur condea, sic, primo buliatur aqua, et cum ista dissoluantur amygdalæ, et post coletur et addito petro. parum grosso modo inciso, uel aliud parum de appropriatis, superius dictis, in puretta uel similibus, et buliatur quousque incipiat inspissari, et aliqui postquam bulitum est ponunt intus oua mollia prius bulita in aqua, et despumata.* Fit *etiam aliter cibus de pasta qui dicitur macaron, et ueniunt de sardinia, et quandoque de cathalonea, et fiunt de farina subtili frumenti, et emplastratur talis farina, et addito parum fermenti, non fermentata equaliter, ita quòd pasta non sit azyma, neque perfecte fermentata, et post extenditur in modum paruarum uirgularum super mensam aliam, et ista exiccatur per seipsam et coquitur. ut sic.* Recipe *istius conditæ quantum uis, et totum integrum ponatur infra lac amygdalarum et cum lacte buliatur. Septimum fit cibus de pullis quem non doceo facere sed præuideatur, quòd antequam coquatur steterint aliquo tempore mortui, et in se. non ponas carneas salsas sed loco earum pone aggrestam cum toto uel succum aggrestæ, uel acetum uel oculum lactucæ. ponas in uentre pulli, uel semina frigida si magis uis infrigidare.* Et *nota quod aggresta non debet decoqui cum pullis, nisi quando ab igne deponitur aliter enim totum brodium denigraretur. Octauo sit cibus de paruis auibus de ureni.* Et *nota quòd illæ aues quanto habent rostrum magis gracile, tanto sunt meliores, quia tales magis pascuntur nutrimentum subtile: et ideo sunt*

paucarum superfluitatum. Nota quòd debent sic parari, ponantur in aqua tepida, quando plumata fuerint, et stent per pausam, post assentur, et lardentur, cum carne salsa, et decoctæ ponantur in acresta, quæ si non habeatur, in aceto et aqua ro. ana. Nono fit cibus de extremitatibus porci iuuenis auricula, rostro, pedibus, et cauda, debent tamen multum decoqui, et ministrantur pro tanto, quia sunt paucarum superfluitatum. Et nota quod istæ carnes primo debent bulliri post extrahi ab ista aqua, et in alia aqua decoqui, addendo petroselinum et alia appropriata. Et si dantur cerebella hœdi, caueatur quòd uēter sit mundus. Decimo fit cibus de perdicibus iuuenibus, et aliis auibus mediocribus, et iuuenibus gallinis, campestribus quæ omnia possunt decoqui in aqua et aliquando assantur. Nota tamen quòd stante fe. non debent assari, quia humidæ dietæ omnibus fe. conferunt, nisi in magna uirtutis debilitate, uel appetitu prostrato. Nam tunc conceduntur cum aceto, uel acresta, uel aqua ro. ana. uel cum succo citranguli et aqua ros. ana. uel cum succo limonum et aqua ros. et ponatur parum de sale uel nihil. Et dantur pisces parui de locis petrosis, non arenosis, uel lacunosis: sed de aquis currentibus cum paruis squamis, quia tales sunt paucarum superfluitatum, ut sunt regeti, pagoli parui, et ij in aqua cum herbis appropriatis coquantur, uel si appetitus prostratus est, decoquantur in craticula et cum acresta, uel succis supradictis ministrētur. Si fe. fuerit phlegmatica ponātur herbæ ut samp sucus petro. hyssopus et similia, et uinum album, et in craticula conceduntur assati, et impleti herbis appropriatis.

Vndecimo fit cibus de ouis gallinarum recentibus,et in æstate non darem solum uitellum qui est cali.sed totum quia est temperatum: uitellus enim calidus est,et album est fri. et cõcedimus cum acresta, uel cum aceto, et ubi non habemus illa, damus cum uino granatorum multum cum aqua repressorum. Et damus lactucam,et quandoque cucumeres,sed raro ratione uiscositatis.Caue tamen quòd non sit acetum fortis acetositatis,quia partibus pectora libus nocet,et debet dari cum aqua ros.uel cum aqua co cta, siue frigida.Duodecimo medicus tenetur dare uinum propter duo,primo quia patiens habet appetitum inordinatum et tunc oportet quòd nitatur decipere patientem. Sed stante,fe.loco uini debet dari uinum malorum granatorum,ita quòd sint viij.partes aquæ et.i.uini malorum granatorum, uel detur acetum in paruissima quantitate,aqua multa commistum,uel detur uinum de torculari grossum multæ aquæ mixtum, uel uinum de cerasis, uel de moris. Secundo cogitur medicus dare uinum cum uirtus deficit,& spiritus resoluuntur,& fe.stat & tunc da uinum album uel rubeum,si patiens id magis diligit, & infundatur in ipso medulla panis recentis,dum exit de furno & permittatur quod uinum imbibatur in pane,& post tale uinum coletur,& cum multa aqua ministretur, & si panem non habeas,fac ut sequitur. Recipe aquæ dulcis electæ bullientis partes.iij.uini palmeij al.partem. i.misce in amphora quæ ponatur in aqua frigida ad refrigerandum, & id uinum sic detur, uel si uis secundum casus exigentiam misceatur magis de ista aqua. Et nota quod tale uinum debet stare diu mistum cum aqua,&

conferunt etiam ista in cura fe. hecticæ: &c.

De cura febrium acutarum

Circa capitulum de cura febrium acutarum in speciali, quod dictum est de cura fe. putridarum & cibatione oportet rememorari, & maxime indigemus hic alterantibus que dicta sunt in principio huius capituli ex parte ciborum epithematum, & medicinarum, & specialiter in hoc casu indigemus aßiduatione in ore & gutture cum rebus prohibentibus ex frigiditate, quod fit sic. Recipe *quatuor seminum frigidorum minorum, seminis acetosæ, seminis psilij se. citoniorum fortiter conquassatorum ana. ʒ.ij. seminis bombacis indicæ. ʒ.i. succi liquiritiæ. ℈ i. fiāt parui sacculi in latitudine delicati ad modum amygdalarum qui sacculi balneentur in mucilagine quæ sequitur.* Recipe *seminum immediate dictorum ana. ʒ iij. conquassentur fortißime, & infundantur in aquis. f. rof. nenupharis & capil. uene. cucurbitæ, cucu. & alijs similibus, uel illis quas habere poteris quæ aquæ & semina postquam steterint per horam, uidebis supernatare mucilaginem, quam collige, & balnea ibidem sacculos cum illa tenta antedictos, & pone in ore patientis, & postquam parum steterit abiice, & remitte ut temperentur, & pone id in ore, & ita continua usque ad oris sufficientem humiditatem. Aliter sic.* Recipe *panem siliginis licet Auic. ponat simulam quia siligo magis est frigida, tamen non omnes diligunt comedere siliginem, & in isto casu.* Recipe *panem siliginis uel frumen*

ti satis furfurei, si uenter fuerit constipatus, uel albus si uenter fuerit laxus, & laua ipsum in tribus aquis, post infunde in lacte acetoso cum multa aqua prius bulita, & refrigerata, & pone in ore patientis, & sugat succum paulatine, uel infunde panem, ut dictum est, in succo uuæ acerbæ cum aqua quæ sufficit, quem succum Aui. appellat aquam agrestæ. Item ad idem. Recipe citrangulum & abiice corticem, & post per quadros diuide, & pone in aqua prius bulita, & ibi stet per pausam, post patiens sugat succum si non habes citrangulum, limonum partem adhibe loco eius modo dicto. Vel in fe. phlegmatica pomum dulce, in cholerica acetosum capiatur & scindatur frustatim & refrigeretur in aqua frigida bulita & ministretur, & subiecta, & cortex abiiciatur, & solus succus transglutiatur. Ad idem ualet malum granatum. Ad idem mora semimatura, & refrigerata in aqua bullita frigida, & succus transglutiatur, & subiecta abiiciatur. Item in pauperibus consueui ministrare stipitem lactucæ uel portulacam, uel frustum cucumeris refrigeratum in aqua, quæ teneatur in ore, et quandoque secundum casus exigentiam facio cum aqua misceri acetum. Sed patiens lauet prius os quam istis utatur cum aceto & aqua, uel cum aqua & uino malorum granatorum sic. Recipe aquæ fontis partes x. aceti partem. i. & si dubites acetum lædere partes pectoris, utaris loco supradictorum iu leb. uio. uel rosſ. Item potest sic fieri. Recipe poma, pira, & alios fructus frigidos boni odoris, & per medium incidantur, & frustatim ponantur in aliquo uase, & aqua ro. super aspergatur cum camphora uel cum sanda-

lis, & addito aceto quod sufficit, uel uino nisi dubitaretur de sincopi odoretur. Item *lauentur & epitimentur extrema, & specialiter supra uenas pulsatiles cum aquis frigidis.s.cucurbitæ cucu.end. lactucæ, nenufaris, melonis, & similibus, uel cum succis frigidis eorundem uel similibus.* Item *irrorentur extrema ab alto irrorationibus infrigidatiuis, & fiat continuatio per pausam.* Pomum *ad odorandum in fe.acutissima.* Recipe.*sanda ru.& muscatelini ana.ʒ.ii.ros.ru.ʒ.s.antos puri.ʒ.s.croci.℈.i.conquassentur omnia & misceantur, & fiat pomum cum panno blisito.* Vel *aliter.* Recipe *ros.ru.florum uiolarum nenu.san.muscatelini.ana.ʒ.s.camphoræ.g.*V.*cere al.modicum fiat pomum perforatum in medio.* Vel *aliter.* Recipe *de omnibus conquassatis superius & ponantur in sindone mundo in modum pilæ, uel in panno lineo usitato, & infundantur in aqua ro.tepida & in manu teneatur & odoretur.* Epithema *cor.in fe.accuta.* Recipe *muci laginis seminis psillij.ʒ.ij.citoniorũ.ʒ.ij.aquæ nenu.quar.s.aquæ acetosæ aquæ buglossæ succi pomorum acetosorum facta residentia ana.quar.i. aceti albi.ʒ.*V. *omnium sandalorum se.citri.ana.ʒ.*V. *camphoræ .g.*V.*fiat epithema.*

Cura contra typum.

Remedium *typi applicatur ab intus & ab extra: ab extra primo quod patiens coperiatur bene cum pãnis cali.secundo quod fricentur extrema cum pannis lineis, fricatione tamen non adducente dolorem in membro fricato. tertio quod ligentur extrema ligatione*

forti non inducente dolorem nimium in membro ligato. Et calefiant tegulæ & bono uino aspergantur, & panno inuoluantur & applicentur plantis pedum taliter quod patiens comburi non possit. Vel sedatur oleis, unguentis, quibus ungitur spina dorsi, et talia sunt duplicia, quædam sunt domestica, alia naturam uiolantia. Domestica sunt oleum laurinum & oleum camomillæ, uel oleum amygdalarum amararũ. & componi poßunt cum costo, ruta, dauco, sisileos, silero montano, & similibus. Violentantia naturam sunt quæ fiunt ex medicinis rubificantibus, ut sunt sinapis, euphorbium. piper. pyretrum. assa fetida & similia, ex quibus simplicibus & compositis, pluribus uel paucis potest fieri unguentum, uel oleum tripliciter. Primo sic buliant dicta, ebulitione una, ut sua siccitate non adurantur, & post deponantur ab ista aqua, & bulliant in oleo usquequo uirtus remaneat in ipso. Secundo sic buliant antedicta in aqua donec aqua acquisiuerit eorum uirtutem, & post exprimendo colentur, & abiiciantur & illi aquæ sic expressæ admisceatur oleum, uel simul cum aqua oleum buliatur. Tertio sic & melius, ista ponantur in amphora cũ oleo & buliant in duplici uase ut superius dictum est & iste modus est melior. Quod si unguentum facere uolueris. Recipe dictorum pulmentorũ. ℥. ij. olei. ℥. i. ceræ quod sufficit fiat unguentũ lẽto igne uel. Recipe pulueris dictorum. ℥. s. olei quar. s. fiat unguentum. Per applicata ab extera est dictum. Sed applicata ab intus quadrupliciter rememorentur. Nam quædam sunt quæ materiam typi consumunt. Alia sunt que ipsam explendo uentrem laxant. Alia sunt que materiam incar

cerāt. Alia quæ utroquæ modo. Prima sunt ut costum et olibanum potata, & similia, cum uino puro, uel succus eorundem potetur cum uino uel per se. Secunda sunt ut agaricum potatum quod paratur sic. Recipe agarici electi. ℥. iii. bulliat in aqua quod sufficit fricetur & comprimatur fortiter, ut uirtus remaneat in uino uel aqua & ministretur. Ad idem ualent alia euacuantia humorem proprium facientem quartanam. Tertia sunt ut opium, semen hyoscyami, que oppilant uias, & materiam incarcerant, si dentur ante typum per duas horas in dosi. ℥. s. Quarta utroque modo ualent, sunt pillulæ positæ ab Aui. sed non dantur nisi digesta materia, ut. Recipe theriacæ magnæ. ℥. iij. uel. ij. fiant pillulæ nouem, quarum tres dentur ante typum per duas horas. Et nota quod illæ pillulæ non debēt dari, nisi materia digesta, & pro magna parte euacuata. Item sunt aliæ pillulæ. Recipe storacis calamitæ opij myrrhæ oppopanacis puluerizentur subtiliter & addito butyro quantum sufficit, fiant pillulæ quarum tres per duas horas ante typum dentur. Item aliæ. Recipe oppo. castorei dauci. assæ fetidæ. piretri ana. ℥. ij. oppij thebaci quod sufficit, fiant pill. & dentur tres ante typum per duas horas & in tribus. ℥. sunt nouem pill. & quanto maiores, tanto fortius operantur. Decoquitur serpillum & de decoctione bibat unum plenum copellum calidum, & patiens teneat faciem copertam super decoctione. Vel sic. Recipe succi matricariæ. ℥. i. olei delilio quar. i. capiantur simul, et spina dorsi ungatur ante insultum rigoris

De sudore superfluo.

Sudor restringitur cũ ingrossantibus materiã ab extra, et infrigidantibus aerem. infrigidantiã aerem dicta sunt in principio huius operis. Ingrossantia materiam sequuntur, applicentur panni sine fricatione actu frigidi. Secundo quod ungatur cutis cum oleis infrigidantibus, ut cum oleo ros. confortato cum oleo mirti. et oleo de salice, et oleo de balaustiis. Tertio ungatur cutis cum oleo de oliuis immaturis quibus admisceantur isti succi, citoniorum macinatorum, et pomorum immaturorum, prunellorum, sorbarum, nespulorum et aliorum similium fructuum et rosæ et balaustiæ et charabæ, quod quanto magis transparens est tanto est melius, et gallæ perforatæ et nuc. cipreßi, et acatiæ et hypocisthidos et similia cum quibus olea simplicia uel composita posita sunt. Quarto lauetur cutis cum aceto et agresta, uel cum decoctione stipticorum dictorum, uel cum succo salicis, semperuiuæ plantaginis uel nenupharis. Quinto emplastretur cutis cum mucilaginibus frigidis, quibus addatur gummi arabici quod sufficit. Sexto applicando niuem super extrema, si habeatur, et ubi non habeatur, applicentur res maioris frigiditatis sicut nix, cum quibus emplastrentur extrema super uenas pulsatiles, ut est succus mandragoræ hyoscyami opium semperuiua et similia. Et loco huius, quia talia multum debilitant uirtutem et uirtus iam est debilitata per sudorem superfluum, facio semper spargere aquam frigidam ab alto super uenas pulsatiles brachiorum et id continuetur quousque sufficiat. Vel madefiant

panni linei in aqua rof.uel nenupharis. et pannus madefactus ponatur ſuper patientem.

De cura fluxus ſanguinis narium

O*Portet ut prohibeatur uenire ſpecialiter in cauſone quia per ipſum euacuantur multi ſpiritus, et prohibetur cum miniſtratis ab extra, aut ab intus. Ab intra ſicut ſunt cibus et potus frigidi ingroſſantes ſanguinem. potus, ut acetum miſtum cum aquis frigidis, ut eſt aqua roſ. aqua end. aqua plantaginis, et de capilliſue. aqua portulacæ aqua cucur. Cibi ut lactucæ, portulacæ et ſimilia. Aut cum miniſtratis ab extra. quod fit . vi. modis. primo applicando remedia ſuper locum unde fluit ſanguis, ut ſi fluat ab hepate ponãtur epithemata in frigidata ſuper hepar. ſi a ſplene cognoſcitur per narem ſiniſtram emittentem ſanguinem et dolor ſentitur in ſiniſtro latere, et ponuntur epithemata ſuper ſplenem, et iſta epithemata ſuperius poſita ſunt. Secundo applicando remedia ſuper locum per quem tranſit, ut ponatur uentoſa ſuper latus per quod trãſit, ut ſi fluat ab hepate ponatur ſuper hypocondrium dextrum uel fiat apertio uenæ groſſæ quæ eſt intra duas ſpatulas, uel applicetur ſuper ſpatulas pannus madefactus in aquis et ſuccis frigidis, et aceto, et circunuoluatur collo. Et in hoc caſu ualet inter omnia ſuccus burſæ paſtoris uel ſanguinariæ. Tertio applicando remedia ſuper locum immedietate. ſ. ſuper temporibus et fronte. et in hoc caſu ualet emplaſtrum quod ſequitur.* R*ecipe terræ ſigillatæ. ſanguinis dra.*

nis dra. mumiæ ana.℥.s. gallarum perforatarum acaciæ hypocistihidos nuc.cipreßi ana.ʒ.ii.puluerizētur omnia subtiliter & dissoluantur cum albumine oui bene agitato & succo bursæ pastoris ana.quod sufficit & adde camphoræ.ʒ.s. & fiat emplastrum quod applicetur fronti & temporibus, uel ponuntur intra nares coagulum leporis,siue hœdi in modum tentæ.Item aliqui accipiunt fabam torrefactam et super locum apponunt. Item aliqui accipiunt stercus asini, alii porci sed melius est stercus capræ et ponunt intra nares sic. Recipe stercus asini & ponatur inter pannum lineum album,& fiat tenta ligando fortiter extremitates.Item ualet fricatio fortis in extremitatibus uel phlebotomia de saphenis uel de uena brachii,uel applicetur in uiris acetum mistum cum aqua frigida in testiculis, & in mulieribus in mamillis. Caue tamen circa operationes istorum membrorum specialiter testium.Alia restringunt a tota specie, ut hematites,iaspis & corallus.Quarto restringunt aliqui cum caracteribus de sanguine proprio factis & hoc est hypocrisis, quare non do fidem, neque in formam pono.Item Rasis dicit quod gypsum distemperatum cum albumine oui appositum cum tenta est tantæ adderentiæ quod cum aqua tepida uix potest amoueri,uel habeatur succus arnaglossæ, uel uirgæ pastoris uel succus stercoris asini uel porci, & destilletur in nare unde manat, restringit fortiter. Vel si fiat emplastrum cum succis prædictis, & tela aranea, super frontem, uel puluis boli armeni, cum canula insufflatus in naribus. sed tunc patiens teneat os plenum aqua & non recipiat anhelitum Empla-

strum factum de argilla pistata cum aceto super frontem, & testiculos applicatum, restringit fluxum sanguinis narium.

De cura uomitus superflui.

C*Reticus uomitus non abscinditur. Scias tamen quod medicina uomitiua est duplex, quædam est debilis ut.* Recipe *aquæ tepidæ quantum uis, & adde partes duas aceti, madefiat digitus in istis, & ponatur in ore, & id sufficit in consuetis. In non consuetis.* Recipe *aquæ tepidæ ciathos. ij. olei communis. ℥. i. aceti. ℥. s. bibat quantum bibere poterit, & post stet per pausam. & superueniēte nausea immittat digitum in antedictis, uel plumam, & uomat. Item aliud fortius.* Recipe *semis attriplicis uel raphani, uel utriusq; conquassati. ℥. i. uel. ℥. i. s. secundum quod uis facere forciua, & bulliant in uno quartirolo aquæ, in qua post ebullitionem, aqua existente tepida, infundatur olei communis. ℥. i. s. aceti. ℥. i. & bibat patiens quantum poterit in uno haustu, & postquam per horam steterit, imponat digitum, uel plumam in ore id fit difficulter uomentibus post cibum, qui sit unctuosus. Et pro uomitu debili, recurratur superius in capitulo de feb. causata ex nauseatiua sacietate. Sed fortis prouocatio fit.* Recipe *ellebori al. quia niger magis educit per secessum. ʒ. ij. conquassentur fortiter, & bulliatur in una libra aquæ & semis, & in colatura infundatur olei communis. ℥. i. aceti. ℥. s. & detur. Alius & est uomitus mediocris & fit sic.* Recipe *rafanum unum, & incide per me-*

dium,& intus immitte ellebori al.quantum uolueris, & stet sub terra. x.diebus.& post abiiciatur elleborum,& raphanus fortiter conquassetur & bulliatur in lib. i.s. aquæ,& post coletur, & in colatura addatur olei & aceti,ut dictum est, & detur. Nota quod uomitus in dispositis debet prouocari post cibum,& licet aliæ euacuationes debeant fieri ante cibum, uomitus tamen debet fieri post,quia tunc stomachus magis grauatur,& sic uomitus facilius procuratur. Semper post uomitum conforta stomachum,& ablue os cum aqua tepida,& faciem cum frigida. Ad uomitum restringendum. Recipe succi malorum granatorum muzorum quar. iii. succi mentæ. quar.i.sumach pulucrizati.℥ s.conquantur,& colentur, & ministrentur cum.℥.i. zucchari. Ad idem. Recipe balaustiarum,boli armeni, sumach, masticis ana. ℥.i.fiat puluis subtilis, postea ponatur super frustum panis ad modum scuti, & demergatur in aceto, & succus prædictus ponatur desuper uel misceatur faciendo emplastrum. Emplastrum ad idem. Recipe panis torrefacti & infusi in aceto lib.s.sumach, balaustiarũ corticum granatorum,boli armeni ana.ʒ.ij. aceti.℥.s. aquæ ros.quod sufficit ad incorporandum, & fiat emplastrum. Ad idem. Recipe gar.℥.s.coquantur in.℥.ij.aquæ cisternæ & admisceatur.℥. i. masticis calefiat, & detur in potu. Ad idem. Recipe gallie xyloaloes gar.ana.partes æquales sumatur eorum puluis cum aqua granatorum, ut uoluit Auic.tertio cano. fen. tertia,tractatu quinto capitulo de cura uomitus absolute.

Cura fluxus uentris.

Curam fluxus uentris require superius in cap. de cura fe. pu. s. ubi posui clystere restrictiuum, & recurratur etiam supra capitulo de febre ephemera causata ex euacuatione superflua, ubi sicut dixi ad hoc ualent lentes excorticatæ. Item ad hoc ualent pisa al. & coriandrum &, alia legumina parata cum duplici aqua, & torrefacta, cum axungia recenti renum muntonis. Ad restringendum fluxum uentris ualet sirupus de ribes, citoniorum, mirtillorum, aqua plantaginis, sumach, & hoc ante cibum. Ad idem decoquatur hepar hœduli in aqua ros. uel acresta, & cum oleo mirtino torrefiat, & modico acrestæ.

Cura sitis superflue.

Sitis superflua oportet quod curetur cum applicatis ab extera & ab intus. Ab extra super caput specialiter, si proueniat a caliditate cerebri, nisi fuerit quod prohibeat, ut uirtutis debilitas, sicut olea frigida cum quibus caput inungatur, siue sint simplicia siue sint composita. Recepta in ore sunt almorosuch. i. tamarindi quod non laudo, quia sui acetositate causant stuporem in dentibus. Sed loco eius dantur pruna, iuiubæ, uel sebesten, uel succos scriptos superius, uel istas pillulas ponerem in ore, quæ labendo transglutiantur. Recipe conseruæ uiolarum, conseruæ nenu. conseruæ buglossæ. conseruæ capil. uen. ana. ʒ. ii. succi liquiritiæ. ℈. i. zucharum candi.

ſubtiliter pulueriza.ʒ.i. penidiorum. ʒ.iii.commiſce omnia,& fiant pillulæ quæ teneantur ſub lingua, & ſuper aſpergatur puluis zuchari uel liquiritiæ,& ſi materias uolumus ingroſſare,quando nimis eſt ſubtilis,deſcendens per uiam rheumatiſmi,poteſt addi ſe.papaueris albi fortiter conquaſſati.ʒ.i.s.

Cura profunditatis ſomni.

IN profundatione ſomni oportet uigilias prouocare ſicut cum odoribus prouocantibus uirtutem animalem,facientibus ſternutare,ſicut etiam ſunt pulueres immittendo plumam, uel paleam in naribus, uel cum forti ſtrepitu,uel euulſione pilorum:& portando noua diſplicentia,uel cum inſtrumentis muſicis diſſonantibus, uel cum ſtrepitu & tumultu. Secundo cum ligatione extremitatum doloroſa niſi ſit cauſa prohibens,ut apoſtemata in membro quod ligari debet.Tertio diuertendo materiam à capite cum clyſteribus,uel cũ ſuppoſitorijs ſuperius poſitis.Quarto cum uentoſa uel phlebotomia facta in uena groſſa quæ eſt inter ſpatulas.Quinto cum odorati one aceti fortis.Sexto cum ſternutatorijs factis de puluere piperis uel euphorbij quibus poteſt addi aliquid ſtaphiſagrie,& iſta debent applicari cum interuallis, & non nimis continue.

De grauitate & dolore capitis.

OPortet quod diuertatur materia cum fricationinus incipiendo a debili tendendo ad fortem,tra-

bendo semper inferius,uel cum suppositorijs,uel clysteri-ribus attractiuis superius positis.Secundo applicatur frõti sacculus qui sequitur. Recipe *ros.electarum partem.i.florum camomillæ.ʒ.i. melliloti,betonicæ,nenupharis ana.ʒ.iij.antos puri.ʒ.ii.se.papaueris al. fortiter conquassati.ʒ.i.s.conquassentur omnia & fiat sacculus pro fronte qui cum aqua ros.aspergaur & fronti tepidus applicetur.*Iste *sacculus ualet in grauitate capitis causata ab humore uaporoso.* Quod *si dolor capitis fuerit ab humore peccante,uel sui mala qualitate,uel sui subtilitate,uel caliditate,ungatur caput rasum cum oleis infrigidantibus positis supra.s.nenupha.cucur.*Tertio *odoret folia salicis uitis al.florum nenuph.& alia temperate frigida,ut poma.*Item,*in materia calida etiam potest fieri talis sacculus.* Recipe *florum camomillæ quar.s.melliloti.℥.i.uiolarum terrestrium.℥.s.conquassentur & fiat sacculus ad lõgitudinem palme.* In *materia calida fit sic , sed in materia frigida fit de sticados & camomilla.*

De quietudine habentium fe.

C*Irca inquietudinẽ habẽtium feb.ualet ad hoc odorare frigida olea domestica,ut nenuph.uel loco eius melius est ut intingatur tenta bombacis in illis oleis, & ponatur in naribus.* Secundo *applicare temporibus infrigidantia nota,simplicia uel composita, superius posita in capitulo de ephe.causata ex uigilijs.*Tertio *odorare solatrum, uel alias res intensæ frigiditatis, ut mandragoram,& similia,super aspersa ab alto cum aqua ros.*Quar

to si non fuerit quod prohibeat, ut opilatio fortis, uel apostema quia ubi est apostema in interioribus, semper est inquietudo, uidelicet sirupus papa. uel meus que lambendo sumitur de papa. Cuius Recepta sumitur sic. Recipe carnium uuarum passularum bene pinguium, iuiube, sebesten, ana. quar. s. conquassentur in tribus quartis aquæ dulcis usque ad quar. i. & colentur, & colaturæ addantur semina papa. albi conquassata. ℥. s. mucilaginis, seminis psillij mucilaginis seminis citoniorum ana. ℥. ii. & fiat loch. & ualent trufe recitate & alia uirtutem fatigantia in tantum quod æger petat quietem, & ideo quando patiens est inquietus primo induatur, & uadat per domum si poterit ut uirtus fatigetur, & fatigatus quiescat. Vltimo ualet lauare manus, faciem, & extrema cum aquis frigidis, & esse in lecto bene strato ad uoluntatem patientis, paroxysmo maxime stante in declinatione: &c.

De cura doloris uentris & stomachi.

SI fiat ex cholera ascendente orificium stomachi, ministrentur stomachum cofortantia & choleram reprimentia, ut mala granata, ut dictum est superius. uel sirupus acetosus, uel succus uuæ acerbæ, uel succus citri, uel citranguli, uel succus limonum. Si dolor stomachi uel uentris fiat ex uentositate, intingatur pannus lineus in aqua feruenti, & fortiter compressus ponatur desuper. Et ponatur filum crudum, & bene compressum postquam bullierit super appositum ualet.

De cura tussis in febri.

CVratur cum istis pillulis. Recipe iiij. seminum frigidorum mi.ana.ʒ.i. camphoræ.g.v. draganti gumi arabici ana.ʒ.s.succi liquiritiæ.℈.i.coriandri præparati.ʒ.v.penidiorum.ʒ.ij.mucilaginis seminis psillij citoniorum,sirupi uio.ana.quod sufficit,fiant pillulæ in modum fabæ aliquantulum compressæ,quæ ponantur sub lingua. Item ad idem ualet fustaneum ceratum. Recipe mucilaginis seminis psillii & citoniorum ana.ʒ.ii.gummi ará.ʒ.i.succi portulacæ.ʒ.i.s.olei sisamini olei amygdalarum dulcium.olei uio.ana.quod sufficit fiat pannus inceratus ad quantitatem pectoris & ponatur super partem pectoris & adde assungiam gallinæ & cuniculi recentis,& butyri re. quater abluti & alia resumptiua, quæ dicentur in capitulo de hectica:&c.

De asperitate lingue.

QVia lingua aspera potest esse propter humorem superfluum, ideo debet os prius lauari cum aqua aceto,uel cum aqua et uino uel cum aqua et iuleb uio. uel ro. secundum casus exigentiam, et post debet mundari cum cocleari argenteo,uel canula,uel baculo de salice uel brusco,uel tergi cum panno lineo,et alii qui consueuerunt facere cum scarlato ru.intincto prius in humiditatibus prius dictis. Scias tamen quod Auice. præcipit sal applicari linguæ, quod nõ laudo nisi per sal intelligatur zucharum candi.quia super aspersum in pul

uere remouet ſiccitatem linguæ. Quod ſi lingua fuerit propter calorem adurentem nigra, ualet ad hoc ſacculus mucilaginum et alia ſuperius poſita in cap. de cura febris hecticæ in ſpeciali. Volens remouere ſternutationes comprimat bene uenas pulſatiles brachiocrum.

De deſtructione appetitus.

DEſtructio appetitus quandoque eſt cauſa humididitas exiſtens in ſtomacho, ad quam ualet uomitus & ſolutio uentris quæ dicta ſunt ſuperius, & quandoque eſt cauſa humor rheumaticus de capite deſcendens ad ſtomachum, ad quem ualet loch de papa, ſuperius poſitum, & quandoquæ fit ex debilitate uirtutis quæ confortanda eſt cum pul. cordiali & alijs ſuperius poſitis Et ſpecialiter ad hoc ualet odorare odores bonos frigidos, temperatos, ſuperius poſitos, ut odor pomorum. Et ſecundo ualet ad hoc diacitonite cum ſpeciebus, uel poma condita. uel perſica, uel ceraſa. uel pruna uel pira. Cortex citri conditi cum zuch. ualet. uel cotana condita cum melle. Item cibaria & alia a patiente prius deſiderata, in parua tamen quantitate. Item ualet ad hoc cibus lombardorum uel gelata facta cum piſcibus electis, uel cum hedo, uel cum ariete, uel cum pedibus & roſtriporci, uel ſuo tempore uituli, uel cum pullis & perdicibus, & ſimilibus. Item ualet ad hoc almoroglaſia uel amoroſatus. i. cibaria acetoſa. Item nebulæ obletæ in cuius appoſitione intrat zucharum. Item ualet ad hoc emplaſtrum quod ſequitur. Recipe carnium

citoniorum infusorum per noctem in aqua rof.& parum aceti lib.s.aloes sucotrini.ʒ.ij.san.ru.corali ru. ana.ʒ.i.s.succi absinthij facta residentia.℥.s. aquæ rof.quod sufficit fiat emplastrum,& supra stomachum ponatur. Sacculus ad idem. Recipe *rof ru.℥,i.absinthij mentæ siccarum.ana.ʒ.iii.corali ru.san.ru. coriandri præparati ana.ʒ.i.corticum citranguli fortiter conquassati.℥.s. fiant duo parui sacculi,& ponantur super stomachum.*

De Bolismo.

IN *bolismo ualet odorare terram sigillatam.bolum armenum aspersa aqua rof.& aceto,& ponere pannum cali.super orificium stomachi. quod si etiam accidat ut non habeat,nec quod odoret, capiat bolum de scabiosa, quia ad hoc ualet.*

De appetitu canino.

IN *canino appetitu ualet comedere unctuosa & pinguia ut.* Recipe *pinguedinem renum hedi coctam, conteratur fortissime, & ponatur super tostam panis, & præsentetur igni, & super aspergatur zucharum,& detur.* Item *potest fieri de pinguedine montonis, caponis, gallinæ.*In *pauperibus de pinguedine porci,& si cares pinguedine,des brodium cum oleo.*

De destructione anhelitus.

DEstructio anhelitus si fiat ex oppilatione, utatur conserua radicum enulæ campanæ, uel conserua radicum yreos, uel unguentis resolutiuis quæ dicentur in tractatu de hectica. Ad hoc ualet fustaneum in ceratum, superius positum, capitulo de tussi: quæ destructio anhelitus, si fiat ex opilatione phlegmatis grossi sine febre, potest curari per usum gentianæ quæ continuetur omnibus diebus ad quantitatē duarum.ʒ.omni die & non bibat postea, si poterit. In asperitate uocis, ualet succus caulinum, per se potatus, omni mane continuatus. Viiii. diebus.

De frigiditate extremitatum.

IN frigiditate extremitatum, lateres antiquos ignitos applica plantis pedum & uolis manuum, ut dictum est capitulo typi. Idem potes facere cum incisorijs calidis, inuolutis in pannis lineis. Item fac calefieri uinum, cum quo calefiant extrema. Item fiant fricationes trahentes, uel applica plantis pedum, & manibus uas æneum plenum aqua calida. Item in diuitibus in quibus frigiditas extremitatum durauit, fiat pomum de aurichalco uacuum quod teneatur in manibus, in cuius medio teneatur artificialiter ferrum ardens, uel lapillus ignitus, uel fiat uesica de auri chalco, quæ aqua calida impleatur, uel decoctione herbarum calidarum. Et nota quod aurichalcum est æs, igne multo & medicinis ad colorem auri deductum, quod fiat ut sequitur. Recipe laminas cupri, quod si uis, audacter capias laminas de antiquo caldario,

tamen melius est si fuerit cuprum uerum, igniantur triplíciter, totiens extinguantur in urina, in qua sal & tartarum fuerint resoluta, & totiens ut squamuis suis mundetur, deinde frustatim incidatur ad quantitatem paruorum turnensium de quibus sumatur .viii. usuales quæ sunt. ℥.iji. quibus præparatis. Recipe *lapidis calaminaris boni & electi citrini. ℥. tartari, uini albi. ℥. viij furfuris carbonis psillij uel salicum uel populi, corticum ouorum ana. ℥. ij. fiant pulueres quæ incorporentur cum melle despumato ad modum pastæ, cui frusta de prædictis laminibus incisa immergantur quantum est poßibile, & totum simul ponatur in crucibulum, & optime uas obturetur cum bona argilla & undique circundetur, & in uase dimittatur unum foramen & c.* Argilla *artificialiter sic fit, habeatur terra cribellata & pistetur percutiendo cum baculis, & addatur stercus porci.* Item Recipe *prunorum damascenorum fiat decoctio & remoliantur per noctem, & tamarindorum, & postea exprimantur de mane, & addatur caßiæ fistulæ mundæ. ℥. i. digridii. g. iij. masticis grana. ij. fiat potus. i. quar. & c.*

De fe. cholerica.

C*Vra eius uersatur circa tres intentiones non negligendo mineram, nam in digestiuis præcipitur poni appropriata.* Primo *uersatur circa opilationem tollendam.* Secundo *circa malam qualitatem materiæ tollendam, quæ est grosßities uel uiscositas, uel subtilitas.* Tertio *circa discrasiam febris. unde tria sunt huius febris ter*

tianæ membra periodica, continua, & causon. Vnde circa periodicam ordinatur talis siruppus. Recipe *endiuiæ nouellæ non lotæ, lactis portulacæ, scariolæ lentiginis aquæ currentis capil. uene. rostri porcini hepaticæ scolopendriæ an.* M. *i. quatuor se. frigidorum maiorum & minorum conquassatorum ana.* ℥. *s. florum uiolarum boraginis nenupharis ana.* ℥. *s. papa. albi conquassati.* ʒ. *iii. uini uel aceti quod sufficit zucchari quar. i. fiat sirupus cum diligentia in æstate ad lib. i. in hyeme ad quar.* V. *semina maiora sunt cucurbitæ. cucumerum: melonum: citruli.* Minora *sunt endiuiæ: scariolæ: portulacæ: lactucæ, & quandoque supponit pro generibus singulorum, & non pro singulis generum.* Et *si fuerit in hepate, sicut fit, ut plurimum, & ponuntur in sirupis san. al. & ru. ana.* ʒ. *i.* Et *si in splene, scolopẽdriæ, & cicoreæ. ana. quar. s.* Et *si in uiis urinalibus corizolæ quar. s. uel se. melonis non mundatorum.* ℥. *s. & sic de similibus.* In *hyeme non habemus herbas, & delicati etiam nolunt sumere sirupum, & ideo loco eorum damus iuleb & fit sic.* Recipe *end. aquæ de capillis ueneris, aquæ cucur. aquæ cucu. ana. quar. s. aquæ. rosaquæ buglossæ an.* ℥. *i. zuchari lib. s. fiat iuleb.* Et *si melius uis operari sumas succos & additis aliis fiat iuleb uel sirupum faciant. tamen ana succi residentiam potest addi san. al. & ru. ana.* ʒ. *s. laxatiuũ.* Recipe *sirupi uiolati.* ℥. *i. diagridii.* ℈. *s. masticis: grana.* V. *misce & ministretur: &c.*

De digestiuis tertianæ continuæ.

D*Igeſtiuum tertianæ continuæ conuenit cum digeſtiuo cauſonis,& debet lymphari cum decoctione quæ ſequitur.* Recipe *hordei quar.i.quatuor ſeminum frigidorum maiorum & minorum conquaſſatorum ana. ℥.s.& bulliant duabus undis & coletur,& uſui reſeruetur, & detur frigidum in æſtate,in hyeme calidum.* Digeſtiuum cauſonis. Recipe *lactis ungulæ caballinæ,lentiginis,aquæ currentis ana.* M.*i.ſucci cucur.cucu.ſucci melonis facta reſidentia, aquæ end.ana.quar.i.ſan.al. & ru.ana.ʒ.ij.quatuor ſeminum frigidorum maiorum & minorum mundatorum,ſeminis papa.al. ana.℥.s.bulliant modo dicto,& miniſtretur epithema.* Recipe *ligni,aloes, oſſis de corde cerui.ʒ.ij.termentillæ.ſe.baſiliconis.foliorum nucis maiorū deſiccatorum ana.ʒ.i.s.camphoræ.℥.s.puluerizentur & cum aquis temperatis & frigidis fiat epithema.*

De digeſtiuis tertianæ notæ.

D*Igeſtiuum terrtianæ notæ.* Recipe.V.*radicum communium ana.*M.*i. endiuiæ lactucæ & aliarum ſuperius poſitarum.ana.℥ s.ſeminis melonis.℥.s.quatuor ſeminum frigidorum maiorum & minorum ana.℥.s.& pone alia ſicut ponuntur in tertiana pura.* Digeſtiuum *tertianæ periodicæ.* Recipe.V.*radicum communium apij pentafillon lapatij acuti boraginis & bugloſſæ omnium cum toto fumiterræ ſcabioſæ roſtri porcini ſcolopendriæ cicoreæ hyſopi capil. uen.utriuſque ſaluiæ origani calamenti ana.*M.*i.corigiolæ tribuli marini*

cete marinæ, radicum aristolochiæ ro. radicum ireos radicum acori, conquassentur ana. quar. s. anisi carui maratri ameos se. brusi. se. asparagi. se. urticæ ana. ʒ. ij. se. ozimi latorum foliorum. ʒ. i. florum anthos utriusque sticados: florum buglossæ ana. ℥. s. galangæ. ʒ. ii. spic. nardi. ʒ. i. mell. scillitici mell. ros. ana. quar. s. zuchari quar. iii. temperentur radices in forti aceto, per quatuor horas, & fiat sirupus. Laxatiuum fe. phlegmaticæ. Recipe hierepicre. g. ʒ. ii. agarici albi electi. ʒ. i. uel loco eius turbit bene gūmosi purgati. ʒ. s. gingi. albi. ℈. i. esulæ. g. iji. mastiçis. g. i. pul. misce cū succo absinthii, quod si non potest haberi fiat cum oximelle quod sufficit, & fiant pillulæ & sint. vi. in. ʒ. duabus. Et quia hæc febris ut plurimum est adherens stomacho, ideo melius curatur cum pillulis quam cum aliis.

De digestiuis tertianæ cholericæ.

Digestiuum tertianæ cholericæ. Recipe lactis dulcis quar. i. endiuiæ. scariolæ portulacæ ungulæ cab. fumitatum papa. albi. ana. quar. i. quatuor seminum frigidorum maiorum & minorum. ana. ℥. s. florum uiol. & neuph. ana. ʒ. V. uini malorum granatorum. ℥. ii. zuchari lib. i. fiat sirupus ad lib. i. s. uel iuleb. Recipe aquæ endiuiæ aquæ portulacæ aquæ nenupha. ana. lib. s. uini malorum granatorum quar. s. sand. ru. subtiliter puluerizatorum. ℥. s. panis zuchari. ℥. v. fiat iuleb qui sumatur per aliquot dies. Vel. Recipe sirupi acetosi simplicis quar. i. sirupi de nenuphare, sirupi de papa. ana.

quar.i.s.misce.Clystere sic fit. Recipe *maluæ.bismaluæ. uiol. brancæ ursinæ mercurialis. ana.* M.*i.anisi.ʒ.s. fiat decoctio in qua dissoluatur succus sicl.e.ʒ.ii.mell.ros. olei uiol.anaquar.s.salis gemmæ.ʒ.i. caßiæ fistulæ.ʒ.i.s. hieræpicræ.ga.ʒ.*V. *fiat.clystere ad quar.*V.*Euacuatiuũ tertianæ notæ.* Recipe *succi ros.simplicium.ʒ.i.turbit bene gummosi & mundi.ʒ.*V.*diagridii macis ana. grana iij.mel. ros.ʒ.*V. *omnibus pul. & mistis cum. ʒ.ii.aquæ fluentis, & totum ducatur, & in aurora tepidum ministretur* Aliud *euacuatiuum tertianæ notæ.* Recipe *turbit.ʒ.i.diagridii grana.iii.masticis.g. ii. puluerizentur & incorporentur cum melle ros.uel cum.ʒ.ii.aquæ ferueentis.* Vel. Recipe *agarici albi bene frangibilis.ʒ i. zingi.ʒ.*V.*diagridii, masticis ana.g.iii.puluerizentur & incorporentur cum melle ros.*

Digestiuum quartanæ causatæ a fe.sanguinis.

D*Igestiuum quartanæ causatæ a feb.sanguinis,quæ est ex melancholia naturali.* Recipe *boraginis cum toto,buglossæ cum toto,antos acetosæ summitatũ lupuli end.hortulanæ fumiterræ scabiosæ scolopendriæ cicoreæ capil.uene. ana.*M.*i. corticum radicum capparis brusci asparagi, mediani corticis fraßini, genestræ ana.ʒ.i.thymi epythimi florum antos.tamarisci.ana.ʒ.*V.*seminum melonum mundatorum.ʒ.*V.*mel.ros.ʒ.i.s.aceti passularum.ʒ. ii.zuchari.lib.*V.*fiat sirupus ad lib.i.*Et *nota quod in quartana causata ex adustione potest fieri sirupus antedictus addendo tamẽ nasturtii aquatici lentiginis*

tiginis aquæ currentis ana.℥.i.aquæ boraginis aquæ bugloſſæ uel ſucci eorundem facta reſidentia, quar.v.Iſti ſirupi limphentur cum aqua decoctionis florum boraginis & bugloſſæ.

Digeſtiuū quartanæ cauſatæ ex adu ſtione melancholiæ.

DIgeſtiuum quartanæ cauſatæ ex aduſtione. Re cipe.v.radicum communium ana.M.i.fumiterræ cicoreæ,corigiolæ mediani corticum tamariſci fraxini & geneſtæ,radicum capparis ſcabioſæ lappacij acuri eu patorij calamenti hyſſopi ana.quar.i.florum tamariſci. ℥.s.caſſiæ ligneæ, ameos aſſari,carui, ſeminis apii, hyoſcyami ana. ʒ.iii.quatuor ſeminum frigidorum mundatorum.℥.i.utriuſque ſticados ana.℥.s.ſpicæ nar.℥.i.mellis. ſcyllitici. ana. quar.s. aceti al.quar.s.zuchari.quar.iii. fiat ſirupus ad lib.i.bene clarificatus.Iſte ſirupus limphe tur cum aqua decoctionis cicerum ru.& aniſi.

De digeſtiuis quartanæ cauſatæ ex adu ſtione cholerę.

DIgeſtiuum quartanæ cauſatæ ex aduſtione choleræ. Recipe end.nouellæ non lotæ,adianthos ſum mitatum lupuli capillorum uene.ſcolopendriæ cicoreæ. utriuſque hepaticæ ana.M.i.polypodii quercini fortiter conquaſſati,corticum radicum capparis, mediani corticū fraxini tamariſci & geneſtæ ana .℥.i.ſe.quatuor fri gidorum ana.℥.s.ſe,urticæ ſe.acetoſæ.portulacæ ana.ʒ.ii.

prunorum damascenorum, iuiubæ sebestẽ ana. xx. liquiritasæ. ʒ. iii. florum uiol. boraginis & buglossæ. florum antos florum tamarisci ana. ℥. s. mel. ros. mel. uio. mellis antos ana. ℥. s. aceti albi quar. V. zuchari albi lib. s. fiat sirupus ad lib. i. iste sirupus lymphetur cum aqua decoctionis adiantos. uiol. florum boraginis, cui cõmisce serum caprinum tantum quantum de decoctione, & caueatur quod serum non sit corruptum sua mora. sed de nocte stet sub diuo & mane sumatur ut dictum est. Laxatiuum *non pono hic quia super proposui in capitulo de fe. putrida.* Quod *si uis diuersificare capiantur appropriata debilia uel fortia secundum quod expedit posita ab Auice. in fine capituli de feb. quartana, ut agaricum turbit, uel quicquid placet.* Inquit *Galenus sanaui gentem plurimam a quartana dedi eis in potu post digestionẽ aliqualem materiæ primo medicinã minoratiuam, secundo post digessi materiam, quæ si radicari poßit eradicetur, si nõ, minoretur, & minorando, semper euacuetur.* Et *pro maiori parte euacuata præcipiatur phlobotomari, si materia sit in splene de basilica sinistræ manus. si in hepate dextræ manus, & postea ante paroxysmum per tres uel quatuor horas.* Recipe *teriacæ. ʒ. i. & cum. ℥. i. succi mentæ mista detur in potu, & hoc continuetur per tres paroxysmos, & ante quenlibet paroxysmum. s. die antecedẽte paroxysmum fiat phlobotomia prima. s. ut dictum est. secundo fiat de safena respiciente mineram. tertio fiat de saluatela manus respiciente mineram.* Ista *sæpe expertus sum, & inueni effectnm in corpore fortis uirtutis, in quo etiam potest eradicari cum forti medicina.*

De cura tertianæ per empirica.

MVlti experimentatores uel trufatores se dicunt curare tertianam cum pomo, quem diuidunt in tres partes, in uno frusto scribunt, Christus uincit, in secundo Christus regnat. in tertio Christus imperat. Aliter pater est pax. filius est uirtus. spiritussanctus est remedium sanitatis. Ista uerba sunt maximæ auctoritatis, et debent sumi infra tres dies paroxysmales, tribus horis ante accessionem, primo sumendo id in quo est scriptum pater est pax. Idem faciunt cum folijs saluie, unde tales usurpant honorem naturæ, quia hoc facit natura.

De febre hectica.

IAm sciuisti quod membra possunt carere humiditatibus, quatuor, primo propter defectum nutrimenti, ut patet in arboribus quæ in æstate deficiunt ratione siccitatis. secundo ex alteratione nutrimenti, ut in arboribus transplantatis in alia terra quæ non nutriuntur, ut solent, & si nutriuntur quandoque non fructificant. tertio ex defectu uirtutis non potentis trahere nutrimentum, ut patet in arboribus in hieme, quarum uirtus debilitatur, & sopitur, quia tunc non nutriunt neque nutriuntur. quarto ex nocumento in radice, ut in arboribus. in corde uero, in hominibus. unde ex nocumento in corde, potest causari hectica ut est ira, & amor heroicus, quare oportet ut obseruetur, quod fit cum applicatis ab extra, quæ sunt superius posita, in principio huius opusculi, in cap.

*fe.ephi.causatæ ex sincopi.*Potest *etiam fieri ex cibis qui licet generaliter sint tacti superius in cap. de cibatione febris in generali;hic est tamen principaliter sciendum, primo circa aerem, quod licet aer frigidus sit eis magni iuuamenti, tamen in hieme quia frigiditas hiemis est mortificans,ideo aer cum igne tunc est ad tempera mentum reducendus,non* ꝙ *ipsi approximentur igni.* Item *indigent aere uaporoso,non succo,& hæc fiunt ordinãdo in domibus quod abeant in stufis quæ sint remissæ calidi- tatis.cibaria hecticona debent esse facilis digestionis,& generantia bonum chimum, frigida & humida,summe cocta,inter quæ sunt pisces testuosi,ut cancri fluuiales, qui aliter uocantur scoranicæ, cancri marini camarate marinæ ru.limaciæ,& specialiter uergentes ad ru.quæ in uere inueniuntur in uineis uel hortis, & testudines ne morales specialiter,quæ nutriuntur in uiridariis, & nun quam utuntur aquis.*Nutrientia *in magna quantitate eis debent dari summe cocta,quia facilius a natura alteran- tur.* Cancri *marini parui facilius digeruntur quam ma- gni degentes in aliis aquis,sunt parui nutrimenti & mul tarum superfluitatum, specialiter tartucæ,in aquis degen tes sunt uenenosæ.* Pulli *perdices phasiani capones & si- milia quæ granis nutriuntur debent pro cibo eorum sic nutriri.* Recipe *furmenti boni ponderis electi mensu- ram unam,ponatur ad coquendum,bulliat una unda.*Et *ad dantur ranæ aquaticæ a tibiis & a capite mundatis. 100.uel. 50.secundum quod uidebitur tibi iuxta quanti tatem frumenti.*Et *bulliant cum frumento usque ad dimi nutionem carnium, & post cola & ex isto frumento nu-*

triantur pulli,& alia.viij.uel.ix. diebus & post dentur præparata ut debet hecticis.Loco ranarum potest uti limacijs,& aliis superius positis.quæ cum coquuntur purgentur a suis superfluitatibus, & lauentur in aqua frigida & cum sale & cineribus,& post iterum lauentur cum una uel duabus aquis frigidis,& post fortiter exprimantur,& ponantur ad coquendum cum frumento, ut dictum est.Mensura frumenti sit talis quod sæpe poßit renouari ista decoctio saltim de.v.in.v.diebus,ne frumentum putrefiat.Pulli etiam competunt,qui relinquunt matrem;hœdi parui,agnus medii anni,uituli lactantes,cuniculi,quando iam extra nidum ire incipiunt.Potus eorum quando comedunt sit uinum electum.uinum competit propter appetitum & uirtutis debilitatem,et debet esse bene maturum,ut eius calliditas abscindatur: quando non comedunt bibant iuleb rosꝫ. uel uio.uel ro.cum multa aqua, datum secundum casus exigentiam.Et aqua cocta præparata cum cancris fluuialibus ut docet Auic.Electuarium in hectica. Recipe consolidæ.ma. unc.iii. conseruæ ro. conseruæ buglossæ.conseruæ nenu.ana.unc.s.corticum citri conditi cum zucharo candi.ana. unc.i. penidiarum unc.ii.succi liquiritiæ,margaritarum orientalium ablutarum hyacintorum smaragdorum saphirorum ana. unc.s. uuarum passarum mundatarum unc.s. balaustiarum seminis papa.albi conquassati fortiter boli ar.coriandri præparati rosꝫ.ru. electarum quatuor seminum frigidorum maiorum & minorum ana. ʒ.iii. seminis acetosæ ʒ.ii. pistacearum re.ʒ.i.gummi ara. & draganti infusorum per tres horas in aqua nenu.& aceto ana.ʒ.ii. oßis de

corde cerui intus & exterius purgati numero. iii. san. al. & ru. & muscatellini ana. ʒ.i. carabe spodii ana. ʒ.ii. camphoræ. ℈.i. auri de florentia limati subtiliter, prius in igne purgati, florenum unum, carnium testudinum coctarum & præparatarum per uiam expreßionis exiccatarum. unc. ii. quod si non habes testudines, sumas limacias, uel testiculos gallorum. unc. ii. panis zuchari quod sufficit. fiat electuarium per bolos cum aqua ro. buglo. & aqua facta de corticibus citri ana. quod sufficit quod deauretur cum pannis auri puri, & aqua facta de sangui ne humano per uiam destilationis. V*nguentum resumptiuum hecticorum.* Recipe *oleorum uio. nenuph. sisamini amygdalarum dulcium cucur. & papa. albi. ana. unc. s. medullæ cruris bouis, axungiæ porci recentis, axungiæ gallinæ ana. ʒ. s. butyri recentis quinquies abluti. ʒ. iii. ceræ nouæ quod sufficit fiat unguentum fluxibile lento igne cui poteſt addi san. al. ru. ana. ʒ. s. & specialiter in hectica cum febre.* I*sto unguento ungantur omnia membra & iuncturæ cum aliquali fricatione & specialiter ut stet uirtus cum isto unguento ne transeat.* Et *post balneum exigens si sudet eius cutis exiccetur cum pannis lineis, de lino delicato & molli, quia magis est frigidus quam de canabo.* Et *mulgeatur lac specialiter in pectoralibus & dorso, & post pausam ungatur cum oleis fratris, ut nenuph. uiol. de cucurbita camphora, & post pausam ungatur unguento antedicto.* Balneum *hecticorum.* Recipe. V. *uel.* VI. *capita muntonum, uel plura bene pinguia bulliant in una aqua, et despumentur, & post ponantur in alia cuius quantitas sit pro balneo, & ista bulliant*

usque ad ossium separationẽ postea ista abiiciantur, & in ea aqua infundãtur summitates uitis albæ cãnæ salicis populi mirti cotani ana. M. iii. radicum maluæ, bis maluæ conquassate ana. M. ii. ros. florum uiol. nenuph. ana. partes. ii. & unica unda bulliant, postea dimittantur tepefieri & ibidem hecticus balneetur ut debet. s. post cibi digestionem in prima cibi digestione & sæpe parum tamen moretur in balneatione quousque plantæ pedum incipiant rugari. Clystere alteratiuum consolida mundificando, quod ualet contra fluxum uentris in hecticis & in excorticatione intestinorum. Recipe succi portulacæ: succi plantaginis facta residentia ana. quar. V. aquæ pluuialis ferratæ quar. s. adipis renum capræ. unc. i. uitella ouorum mollia parum super laterem torrefacta. ii. fiat clystere. Nota signa quæ ponit Auic. de facie. Hippo. curuitas unguium, & elongatio: casus pilorum sunt supra mortem significatiua, & si sputum supra prunas steterit positum feteat, uel si sputum est in aliquo uase in aqua munda excreatum, fundum petat cum baculo agitando, & sicut sanies maneat mortem propinquam significat. quod si inflentur tibiæ & fluxus uentris superuenerit, non diu uiuere potest: ideo loquendo & comedendo moriuntur, & in talibus cauendum est, quod eorum capita uel collum nullatenus moueantur, ne eorum uitæ terminus anticipet. Modica enim aeris interceptio eos suffocat: & in hoc multi errant, qui culcitras de subtus remouent, quod non possunt mori, quandiu iacebunt supra culcitram & per eius remotionem citius moriuntur.

De fe. pestilentiali.

IN fe. pestilentiali quandoque accidit aeris corruptio in sua qualitate tantum, aut in sui substantia tantum, aut in sui substantia & qualitate simul. Corruptio quæ accidit in aere a qualitate sui tantum, est ut plurimum causa ægritudinis, ut tenasmonis dysenteriæ squinantiæ apoplexiæ phrenesis, morbili, uariole & aliarum paßionum teste Hippo. tertio aphorismorum ponente aeris combinationes esse causas multarum ægritudinum, & istæ corruptiones poßunt esse causa fe. Corruptio quæ accidit in substantia aeris potißime est causa fe. pesti. potest autem substantia aeris corrumpi a causa superiori principaliter, quia corpora superiora regunt inferiora. uel a causa inferiori tantum, quia corruptio si fiat concurrentibus istis & simul maxime est causa febris pesti. que fe. communicat multum hominibus & non omni homini. sed in corporibus dispositis. aut ratione plectoriæ in corpore existentis. aut ratione debilitatis uirtutis, quæ est quandoque debilis ratione ætatis, ut infantibus, qui quanto appropinquant principiis generationis, tanto debiliores sunt. & in senibus qui quanto tendunt ad senium plus debiliores existunt. aut debilis etiam aliter ut in corporibus debilis staturæ, aut compositionis raræ. aut est debilis per ægritudinem quæ præceßit, uel aliquid aliud, talium enim corpora singulariter pestilentiam patiuntur. Signa autem ponit quando animalia moriuntur domestica, ut gatti, canes prognosticant mortem pestiferam prope esse. Et nota quod ipsas fe. pestilentiales nos cito inter

ficiẽtes cõmunicãtur bubones ut pl rimũ & alia aposte matũ genera, quæ diuersis partibus corporis contingunt, secundum quod humores ad diuersas corporis partes mit tuntur. unde licet cor in istis fe. principaliter patiatur, tamen poßibile est quod humores superflui fuerint in he pate, qui mittuntur ad inguina. uel in cerebro quæ retro mittuntur ad aures, si in corde ad subassellas, uel ad alia membra magis remota, uel ad tibias uel brachia ex quibus humoribus sic dispersis fiunt bubones, carbunculi, & alia genera apostematum, secundum quod humores sunt diuersi quæ quanto a corde remotiora sunt, tanto salubriora, & per communes de aliis membris principalibus. Et sciendum quod in corporibus humidis magis abun dant. sed corpora calida & sicca, nisi præseruentur citius cadunt in pæstilentiam, quia uenæ in eis sunt latiores & magis apertæ. In tempore pestilentiæ adiuuabat mori desperatio, multoties dicendo quod hoc erat ultio diuina. secundo confidentia, quam multi habent de absolu tione peccatorum ad pœnam & culpam, & propter hoc multi eligebant plus mori quam uiuere. tertio propter malos seruitores quia morbi contagiosi sunt, & unus alri non uult seruire nec necesse applicare. quarto propter malam imaginationem quia credunt toxicatos haustu aquæ toxicatæ, quam dicebant a gentibus toxicare quam pluribus. quinto malum regimen quia gentes satis bona de mortuis habẽtes, odiebãt se, & propter hoc augumẽta batur in corporibus eorum humor, similiter sumptio cibi horis non consuetis, ut de nocte, uel nimis mane. s. statim quando surgebant in quo natura multum grauabatur. sex

to propter coitum excessiuum quia uirtutem debilitat, erat eis uenenum. Septimo propter assumptionem medicinarum, nam uirtutes debilitabantur & uiæ aperiebantur, & sic moliebantur hospite lutato & optime.

De cura fe. dictarum.

IN cura harum fe. intentio generalis est exiccare tam in fe. quam in non fe. In fe. autem oportet exiccare, quæ exiccatio fit phlebotomia, & solutione uentris, uel applicatis ab extra, exiccatio per phlebotomiam, uel fit in sanis, uel infectis, quæ facienda non est nisi materia fuerit uincens & sanguinea, quæ ex propriis signis cognoscitur. Et antequam nos faciamus, exeat malum aerem, & uadat ad bonum, nam animalia cauernosa hoc faciunt similiter aerea; dimittunt enim sui naturali industria nidos & cauernas, & fugiunt ad aerem temperatum. Phlebotomia quæ competit talibus esse debet in parua quantitate & sæpe nisi magna necessitate cogente, ne uirtus debilitetur, & ut uirtus earum pestilentiæ magis possit resistere nocumento: & specialiter quod fiat de uena per quam san. nociuus melius euacuari possit; quod cognoscitur per industriam medici, ex signis sumptis ex dispositione præsenti ipsius phlebotomandi. unde præsciatur si sentit grauitatem uel nocumentum in aliquo membro & sciatur de qua uena consueuit phlebotomari & præuideatur urina, et similia, quia si aperiatur uena, quæ non debet euacuabitur bonus sanguis & malus remanebit & uirtus debilitabitur, quod dictum est de phleboto

mia, in summa idem intelligatur. de solutione uentris, circa quam laudat Auic. teriacam uel mithridatum cum bono regimine ministratum. Cum regimine bono potest dupliciter intelligi, primo cum regimine bono. i. cum debita ministratione. vi. reum non naturalium, uel cum regimine bono. i. cum bono directiuo. s. cum aqua acetosæ uel cũ aqua buglossæ quæ aquæ dirigunt uirtutẽ melãcholiæ ad cor & laudat Aui. aloe quod sic fit. Recipe aloes succotrini quater abluti. ℥. s. croci or. ʒ. i. myrrhæ ʒ. ii. fiant de. ʒ. ii. septem pillulæ in æstate sumantur cum succo caulium ru. & in hieme cum uino odorifero. Et sciendum quod istæ pillulæ sunt sumẽdæ ieiuno stomacho cum mel. ro. ℥. s. alia die theriacæ. ʒ. s. uel mithridati. ʒ. i. cum aqua buglossæ uel acetosæ quod sufficit ad dissoluendum ut possit penetrare, & alia die de pillulis iam dictis. Omni autem die post assumptionem istarum sumatur circiter. ʒ. i. pillularum quæ sequuntur. Recipe boli ar. ℥. s. camphoræ. ℈. i. aceti uel aquæ ro. ana. quod sufficit fiant pillulæ sicut dictum est, de. ʒ. ii. septem & sumantur cum die tres. Potes etiam facere pillulas alias quæ sequuntur. Recipe. boli ar. ℥. i. ros. spodii fini ana. ʒ. ii. carabe. ʒ. i. camphoræ. ʒ. s. fiant pillulæ cum aceto & aqua ros. quod sufficit. Item pillulæ non debent dari nisi corpore mundo quia istæ opilant uias, ne materia pestilentialis possit ingredi. Vnde sciendum quod pillulæ de bolo duo operantur primo exiccant quia bolus frigidus est & siccus & stipticus. Secundo uias cordis claudunt propter quod non tam malus aer faciliter attingit cor. Cum applicatis ab extra potest aer rectificari, ut sequitur. Primo habeas

domum cuius foramina & fenestræ sint clausæ omnino demptis illis per quas intrat lux, quæ turbido uitro interposito claudantur. Item non egrediatur foras post occasum solis, nec surgat ante ortum solis. Item antequam surgat, faciat fieri ignem de lignis siccis, cum fumantibus in camera, s. de uitibus iunipero, cipresso, lauro, rosmarino, pino & lignis amygdalarum uel auellanæ, & similium, & specialiter de lignis aromaticis si habere potes. Et flāma consumpta & aere exiccato. Recipe 3. uel. 4. trochiscos & combure supra carbones ignitos dictorum lignorum quibus aer aromatizetur sic. Recipe ligni aloes, ambræ grisea musci fini ana. ʒ. i. thuris masticis costi dul. gar. interiorum cinamomi, amygdalarum amararū schinanthi ana. ℥. s. florum lauri, origani, calamēti, pulegii, hisopi. utriusque saluiæ, sansuci. utriusq; sticados ana. ʒ. iii. nucis cipreßi: sauinæ, radicum acori ireos: galiæ: assari ana. ʒ. i. croci. ʒ. ii. laudani. ℥. s. terebentinæ mell. ana. quod sufficit, fiant trochisci. ʒ. ii. seruentur, & aer in die ter rectificetur. Aere sic mundificato, sternatur domus cum summitatibus arborum populi, salicis, mirti: parietes domus irrorentur cum aqua ros. & aceto, & portet quantum poterit pilam de stupis, uel spongiam infusam in aceto, & aqua ros. & camphora quam odoret. Vitet enim motum per quem oportet anhelitum magnificari. Exercitium enim licet calorem naturalem excitet, & superfluitates consumat, cum necesse sit cordi euentatio, multum nocet. Sirupus contra pestilentiam. Recipe succi buglossæ succi melissæ uel earundem aquarum succci acetosæ facta residentia. ana.

quar. i. aquæ ros. aquæ endiuiæ ana. lib. s. aceti albi. ℥. ii. camphoræ. ʒ. i. sanda. alb. & ru. ana. ʒ. ii. panis zuchari. quar. tres, fiat iuleb clarificatum perfecte.

De regimine pestilentiæ quod debetur ægris tantum.

R*Egimen pestilentiæ quod debetur ægris tantum: pars huius regiminis, aut debetur febricitantibus tantum. aut debetur febricitantibus & apostemosis simul. Febricitantibus tantum subueniatur, quia citius commoriuntur aliis, quibus subuenitur ut sequitur. Sirupus.* Recipe *succi boraginis, & buglo. & acetosæ succi pomorum facta residentia: aquæ nenuph. aquæ ros. aquæ end. ana. quar. i. succi melissæ. ℥. i. sandalorum alborum & ru. ana. ʒ. i. coriandri præparati. ʒ. i. ros. ru. ℥. camphoræ. ʒ. s. aceti electi ℥. ii. panis zuchari. quar. iii. s. & debet mitti unum coclear de rob uel sirupo qui sequitur utatur illo sirupo mane & sero cum aqua bullita prius.* Item *odoret spongias supradictas in aquis prædictis infusas, & domus ueletur fructibus odoriferis frigidis, & extremitatibus arborum, rorationes non nimis fortes fiant.* Item *fiant fricationes in extremitatibus debiles.* Item *dentur trochisci de camphora quos ponit* Aui. *in quinto, dentur mane & sero in introitu lecti cum aqua acetosæ.* Item *bibat iuleb alexandrinum cum multa aqua mistum quandocunque sitiunt.* Quod *si iuleb non habuerit, detur eis multus potus aquæ frigidæ prius bullitæ post refrigeratæ.* Electuarium *ad idem.* Recipe *conseruæ boraginis. conseruæ nenuph. conseruæ bug. conseruæ ros. ana. ʒ. ii.*

*corticum citri conditi cum zucharo.ʒ.s.coriandri præparati seminis acetosæ sand.al.& ru.ana.ʒ.V.rasuræ eboris,carabe boli ar.spodii ana.ʒ.V.camphoræ.℈.i.pannorum auri puri.7.numero panis zuchari quod sufficit fiat conditum ad modum zuchari ros.cum aqua rō.electa aromatizata.*Item *ualet rob de sumach,uel de succo agrestæ, uel limonum uel granatorum & similia,quæ debet dari post assumptionem trochiscorum de camphora dictorum.* Febrientibus *& apostemosis subueniatur ut dictum est. Sed laudo quod adueniente apostemate,quacunq; hora,fuerit fiat phlebotomia de uena eiusdem partis,ut si est in emunctoriis capitis de cephalica, si cordis,de mediana.si hepatis uel splenis,de saphenis quia mederi in ualde acutis,si necesse fuerit &c.*Et *si apostema uenerit ad augumentum laudo primo non excepta digestione materiæ quod fiat scarificatio sup apostemate in duabus uel in tribus partibus contiguis.s.ubi apparet eminentia.*Et *postponatur super sacrificationem culus galli uiui depilatus, ut atrahat fumos uenenosos, & materiam uenenosam, quo facto apostema maturetur,& curetur ut dictum est superius in capitulo de ephe.causata ab apostemate.*Ali*qui applicant allia cepas & similia caustica,& non laudo cum naturæ inferant terrorem & membro nocumentum.*Ali*qui applicant uentosam,sed quia per eam fit fortis attractio,ideo magis laudarem culum galli,si non esset apostemta nimis periculosum.unde tali tempore non est fienda ægro afflictio nisi urgente necessitate.*

De regimine fe. prædictarum quod debetur sanis & ægris.

REgimen pestilentiæ quod debetur sanis & ægris simul, est quoniam pars regiminis quæ istis debetur post haberi ex supradictis regiminibus. Excepto quod trochisci quibus aer aromatizatur non sunt tales, sicut superiores, sed tales ut sequitur. Recipe san.al. & ru.ana.ʒ.s.mirtillorum, nucis cipreßi, uel foliorum eorundem.psidie uel balaustie, hypocisthidos ana.ʒ.i.fiant trochisci cum sirupo de ribes & succo citoniorum ana. quod sufficit qui ponantur super carbones ignitos de tamarisco uel rebus siccis. Cibaria eorum sint acetosa, siue sint de carnibus, siue de piscibus sine speciebus, nisi saluo cum croco uel cinamomo electo, & comedat parum & multoteins quia talia cibaria in quantitate sunt nociua, & in qualitate ualent.

De cura uariolarum.

QVando accidit ebullitio in sanguine secundum semitam putredinis propter quam fiunt putredines uariolarum & morbilli, & aliæ infectiones cutis, ac si folia rubea parua essent sparsa super cutem, uel alia quæ uulgariter dicimus coßi, & est infectio ac si pulices momordissent cutem. Et illæ infectiones cutis sunt diuersorum modorum, & habent diuersum modum prouentus, sicut uariolæ, & eorum cura est eadem cum cura uariolarum. Oportet autem quod cura illarum diuersificetur secundum diuersitatem temporum: principium autem est cum incipiunt apparere, augumentum ex quo incipiunt apparere usquequo sint maturæ, declinatio

ex quo sunt maturæ usquequo crusta desuper tenderit & apparent uestigia, & perfecte dolent. De statu non facio *mentionem, quia status est in principio saltim quantum ad accidentia.* Sciendum *quod in processu curæ specialiter standum est in præseruatione quorundam membrorum. specialiter, gutturis, narium, oris, & specialiter membrorum interiorum et ideo potest fieri phlebotomia de mediana. si ætas non patiatur phlebotomiam uenæ, & natura expellat sanguinem de naribus, utile est.* Quod *si natura non fecerit, per artem potest fieri.* Laudo *tamen quod hoc uirtus tolerare possit, ut etas 9. uel. 15. annorum. secundo dantur cibaria, cum quibus uirtus confortetur, quæ sint frigida, repercussiua sua stipticitate a membris interioribus, materiam sanguineam ingrossantia, & non bibant uinum.* Potus *eorum sit iuleb uel rob.* Tertio *teneatur uenter laxus in augumento, si uariola non cito oriatur patiens cal. teneatur, & inuoluatur in panno de scarlatto ru. & ab intus teneatur rectus cum lactucis, portulacis & similibus, & aceto debili.* Item *si ista non sufficiant dentur ab extra epithemata aliqualiter calida, uel fiat hæc potio.* Recipe *aquæ. fen. aquæ brußi, aquæ asparagi. ana. ℥. ii. aquæ apii. ℥. i. anisi carui. seminis mellonum ana. ʒ. ii. zuch. quar. i. quo utatur mane & sero. uel una de decoctionibus quas ponit* Auic. *in forma.* Quod *si sufficienter appareant regnantur cum cibis superius narratis ab* Auic *& sirupo de altori. i. de palma siluestri, & similibus quæ ponit* Auic. *& cum succis, et rob, notis quæ ponit* Auic. In *declinatione cum sunt maturæ grossæ, debent cum acu rumpi aurea, sic quod cum dicta acu a duabus late-*

bus late-

bus lateribus uel tribus, secundum quod uariolæ est quantitas magna uel parua perforetur, & dimittatur quod saniès sine aliqua expreßione exeat, postquam manauerit suauiter cum cotano exiccetur sine quacunque uiolentia uel mala expreßione: paruæ autem uariolæ postquam sunt maturæ, soluantur cum eo quod sequitur. Recipe *corticum assari, mediani corticum tamarisc, lentium excorticatarum prius bullitarum in duabus aquis ana.ʒ.s. croci.ʒ.i.san.al.& rubeorum ana.ʒ.i.camphoræ.ʒ.s.salis communis.ʒ.i.s.bulliant omnia fortiter in aqua ros.quantū sufficit, cū ista decoctione fiat salitio paruarū uariolarum.* Duabus *conditionibus obseruatis primo quod non saliantur ante complemētum maturationis. Secundo quod non elongetur salitio ab eis quæ ruptæ sunt, ita quod in uia media ponatur bombax uel pannus lineus, qui non permittat salitum attingere eas.* Quod *si uariolæ ulcerantur, ut quia pannus fricauit uel quia locum scalpsit tunc confert applicatio unguēti al.camphorati & aliorum positum ab* Auic. *in.s.*Alchool. *uel sief ad præseruandum oculum a nocumento uariolarum, morbilli, & aliorum similium.* Recipe *pulpæ granorum granatorum expressorum prius, ita quod parum remaneat de humiditate sumach, mirtillorum, coriandri præparati ana.ʒ.iii.cerussæ.ʒ.s.croci camphoræ ana.℈.s.aquæ ros. aquæ coriandri, aquæ sumach ana.quod suficit, conquassatis prius conquassatis, & dissoluantur in mortario cum aquis prædictis, post colentur & cum colatura iterum dissoluatur cerusa, crocus, & camphora, & iterum coletur & de colatura ponantur in oculis duæ uel tres guttæ sæpe.* Et *si*

non habeas aquam mirtilli nec coriandri, loco eorum Recipe *succi memitæ facta residentia, & aquæ plantaginis ana. cum aqua ros. uel imponatur oculis oleum ro. ut dicit* Auic. *Epithema ad praeseruandum nares.* Recipe *ros. ru. ℥. ii. san. al. ru. ana. ℨ. s. fiat epithema & supponatur. & ualet id cerotum.* Recipe *fectis auri & argenti ana. ℨ. s. cerussæ. ℨ. i. olei de festucis olei ros. ceræ albæ nouæ quod sufficit. fiat cerotum de quo in modum tentæ imponatur naribus.* Vel *immitatur sæpe naribus oleum de festucis, uel odoret semper acetum uel rob agrestæ.* Gargarisma *pro conseruatione oris et gutturis.* Recipe *diamoron sirupi de ribes ana. ℥. s. aceti. ru. grossi. ℥. i. aquæ decoctionis lentium excorticatarum. ℥. ii. misce & fiat gargarisma, quod semper actu frigidum gargarizetur.* Quod *si de dolore oris & gutturis conqueratur, sugatur rob de ribes, uel de limonibus, uel rob factum de moris, & similia.* Et *si sentit gargarismata soluere continuum, uel causare excoriationem, non gargarizet sed paulisper sugat.* Pro *praeseruatione pulmonis ualet, licet sit statim dictum id quod sequitur.* Recipe *lentium excorticatarum, cicerum ru. in duabus aquis prius bullitorum. ana. ℥. ii. sumach, ℥. s. seminis papaueris albi, fortiter conquassati. ℥. iii. bulliant fortiter cum aqua ros. quod sufficit cum pauco aceto usque ad spissitudinem, & coletur, & de isto sic praeparatum fiat potio.* De *conseruatione intestinorum & aliorum membrorum interiorum.* Intestina *conseruantur cum usu almusi. i. ciborum acetosorum, qui semper in parua quantitate sunt ministrandi, & cum stipticis, & cum sirupo de ribes, &*

cum trochiſis de ſpodio quorum duæ receptæ ſunt poſitæ in quinto, & ultima eſt melior, & ipſe ponit modũ miniſtrandi. Ad curã ueſtigiorũ uariolarũ fit aqua quæ ſequitur. Recipe *pedis uituli radicum ſerpentariæ ana.lib.s.florum fabarum lib.i.s. conquaſſentur & ponantur in alembicho addita aqua roſ. & aqua limonum ana.quar.i. & fiat aqua deſtillata cũ qua lauetur facies.* Vnguentũ *ad idem.* Recipe *amyli, ſarcocollæ, draganti ceruſſæ, litargyri, maſticis ana.ʒ.s.unguenti albi camphorati, unguẽti citrini ana quar.i.unguenti fuſci.℥.i.aquæ ro.quar.s.incorporentur omnia in modum unguenti, cum quo facies de nocte inungatur.* Aliud *unguentum ad idem.* Recipe *axungiæ gallinæ, axungiæ porci recentis ana.℥.i. Mucilaginis draganti. gummi arabici ana.ʒ.iii.aquæ florum fabarum.aquæ limonum ana.℥.s.miſce in modum unguenti.* Aliud *unguentum.* Recipe *radicum ſerpentariæ, cicerum excorticatorum, riſi amyli ceruſſæ, ſaponi gallici uel gualici decoctorũ in furno in olla noua, coopertα, temperatorum per noctem in aqua limonum boraginis ana.℥.s. axungiæ aſini, axungiæ porci recẽtis ana.ʒ.iii. pul.pulu erizentur, et miſce cum aqua florũ fabarum quãtum ſufficit ad modum unguenti, cum quo de nocte ungatur facies & de mane lauetur cũ aqua in qua decoctæ ſint uiolæ.uel cum aqua in aqua diſſolutum et bullitum ſit furfur.* Secretum *contra morfeam, colocynthis diſtemperata cum aqua florum fabarum ſumme ualet.* Item *ad idem aqua albuminis per ſe, uel cum colocynthide diſtemperata.* Et *hic eſt huius operis finis laudabilis.* Amen.

Cura tertianæ Puræ interpolatæ & continuæ.

PRO *cura tertianæ puræ interpolatæ & continuæ, cum ista non differant, nisi secundum magis & minus septem sunt habendæ intentiones. Quarum prima est debita administratio regiminis in sex rebus non naturalibus. Secunda uentris lenitio. Tertia materiæ digestio. Quarta ipsius materiæ digestæ euacuatio. Quinta prouocatio urinæ, aut sudoris. Sexta alteratio caloris febrilis remanentis post euacuationem materiæ, similiter confortatio membrorum. Septima & ultima correctio accidentium, ut plurimum cum tali febre euenientium. Quantum ad primam intentionem, incipiendo primo ab aere, debet uitari aer calidus & siccus, & præcipue in tempore æstatis, unde pro tunc non competit accendere ignem in camera, imò multotiens expedit aerem ipsum artificialiter alterare ad frigiditatem & humiditatem, unde conuenit aspergere in camera de aqua rosarũ cum sandalis & aceto, aut cum aqua communi, & aceto, si patiens esset pauper: Item in camera sternantur folia uitium, salicum, & similium rerum, infrigidantium & humectantium, ante cubile & circa cubile. Nam prædicta competunt ratione alterationis aeris ad frigiditatem & humiditatem, etiam ratione odoris, & confortant cor, hepar, & cerebrum. Color etiam mul*

tum delectat ratione uiriditatis,& propter humiditatem suam. Et hæc de aere sufficiant dicta. Circa cibum & potum. cibi qui conceduntur sunt ptisana hordei, panis tritus cum brodio pulli, aut butyro recenti, prout magis infirmis libet, ut Hippocrates testatur prima aphorismorum aphorismo illo: Parum deterior cibus & potus &c. Item panatella similiter cum brodio pulli, aut butyro ut supra, sed prius conuenit lauare panem cum aqua calida, bis, aut ter, & hoc ut remoueatur uirtus fermenti, quæ calida est, unde panis inde remanet frigidus, & iste est modus positus ab Auicenna secundo canonum, capitulo proprio de pane: Item conceditur far hordei colatum, aut non colatum. Conceditur etiam amylum nisi timeatur oppilatio, quia ipsum est oppilatiuum, testante Auicenna prima tertii capitulo de cura maniæ caninæ. Olera etiam conueniunt quæ sunt frigida & humida, ut cucurbita, dummodo non timeatur de cholica, quia maxime à proprietate generat cholicam, ut idem Auicenna testatur 16. tertii tract. quarto, capitulo de cholica, similiter lactuca, portulaca, endiuia, malua, blites, spinachia, et similia quæ sunt frigida & humida. Carnes quæ conceduntur sunt sicut carnes auium minutarum degentium in pratis, & in arboribus, non in aquis, nec sint habentes colla & rostra longa. Conceduntur etiam carnes pullorum, præcipue extremitates, & pullæ magis laudantur apud Arabes, ut habetur ab Auicenna prima quarti capitulo de cibatione febricitantium in generali. Competunt etiam carnes uituli, & præcipue hœdi cum sit frigidior & humidior. Competunt etiam extremitates animalium

quadrupedum, & præcipue in declinatione, quoniam uer sus statũ diæta debet procedere subtiliando. Pisces *etiam qui conceduntur, sunt pisces petrosi & parui.* Conceduntur *etiam lucii, & persici, & similiter pisces qui sunt de bonis àquis & currentibus.* Conuenies *etiam est dare dictos pisces potius elixatos quàm assatos, quia humidæ dietæ omnibus febrientibus conferunt, ut* Hippocrates *prima aphorismorum.* Conceduntur *etiam oua recentia, præcipue uitelli, cum sint maxime digestibiles.* Si *uolunt insalatucium, detur lactuca cum aceto, uel agresta, sine oleo, cum pauco sale, similiter etiam portulaca. Si uolunt gelatinam, quia aliquando appetitus est prostratus, possumus facere cum carnibus pullorum, uel hœdi, pedibus uitulorum, cum uino non uinoso, & sine speciebus, cum modico aceti, & sacchari fini.* Fructus *sint sicut pruna, & hoc propter causam iam dictam, similiter melones indi, citruli, granata dulcia, acetosa, & muza, illa tamen dulcia ubi esset febris ualde acuta, credo esse uitanda, licet* Auicenna *concedat in capitulo de cura tertianæ puræ.* Causa *est quia multoties nocet acuitas habentibus febres, ut* Auicenna *secundo canone capitulo proprio.* Galenus *etiam in terapeutica ad* Glauconem *, &* Nicolus *sermone secundo, cura præsenti uidetur concedere poma, maxime acetosa, aut muza, sed dicit* Nicolus *quod melius esset differre usque ad apparationem digestionis, &* Gentilis *super capitulo de cura putridæ in generali super illo canone:* Et *omnis uirtus &c.* Dicit *quod conceditur ad lasciuiam febricitantium, & administrantur decocta elixando, aut assando secundum uarias medici intentiones.*

Si enim uis plus humectare elixa, si plus à putrefactione prohibere assa. Conceduntur etiam arancij, limones non salsi, uitentur fructus qui sunt facile corruptiles, sicut cerasa, etiam qui sunt stiptici sicut pira, & citonia. Circa potum detur aqua hordei, iulep uiolarum, uinum granatorum permixtum cum aqua hordei, prohibetur etiam uinum, nisi in declinatione, & ideo digesta materia potest exhiberi, & tale debet esse album, & pauci coloris, & limphatum secundum proportionem quæ tibi uidetur. Circa motum & quietem, debent uti tranquillitate corporis & quiete, quia motus de se inflammat, & est causa caloris, ideo ab ipso caueatur. Somnus & uigilia potius declinent ad somnum quam ad uigiliam, quia somnus attestatur quieti & uigilia motui, & sit somnus de nocte potius quàm de die, nisi adueniret de nocte paroxysmus in cuius principio caueat à somno quantum poßibile est, nisi propter aliquam neceßitatis causam, ut puta si abstinendo uiolenter à dorminatione, multum inflammaretur & esset dubium de hetica, aut de arefactione, in quo casu in omni tempore & in principio sinas dormire, ut Auicenna in capitulo de cura putridæ in generali, in declinatione tamen talis somnus multum iuuat. Inanitio & repletio. Dieta debet esse subtilis respectu eius quod cõceditur tẽpore sanitatis, & debet procedere gradatim subtiliãdo usque ad statum, prout supra dictum est. Et quamuis Auicenna dicat, quod in tempore status sufficiat cibus, ut aqua hordei, & succus granatorum dulcium, & muzorum, uel sirupus acetosus, ueruntamen nunc non competit ita subtilis dieta, cum isto tempore corpora non sint ita robusta

sicut tempore antiquo, etiam propter consuetudinem comedendi magis nunc quàm tunc, etiam propter uitare infamiam uulgi & medicorum, ne si perirent dicerent, quod sunt ex fame consumpti. Quantitas & tempus cibationis non determinate possunt mensurari, sed stant in æstimatiua medici, ut habetur à Nicolo sermone secundo, summa secunda, capitulo 12. & 13. Accidentia animæ procurent tranquillitatem, uitent quantum possunt iram & furorem, quia inflammant. Et hæc quantum ad primam sufficiant intentionem. Secunda intentio quæ est lenitio uentris, quæ multum necessaria est in qualibet febre putri sic completur, aut per clysteria lenitiua, quæ sunt magis dilecta & secura, aut per ea quæ per os sumuntur. clystere communiter fit sic. Recipe caßiæ electæ nouiter extractæ, unc. 1. pulueris sacchari unc. s. olei uiolarum ℥. iii. salis communis triti drach. i. cum decoctione maluarum, matrum uiolarum, & blitis lib. i. in dicta decoctione disoluantur prædicta, & fiat clystere. Sed si quis non posset facere expensas de caßia electa, capiat de illa quæ est in uase. Lenitiuum per os. Recipe caßiæ electæ nouiter extractæ ℥. i. tabelletur, & cum saccharo fiat bolus, uel dissoluatur cum aqua endiuiæ decoctione communi, addendo sirupi uiolati ℥. s. uel ℥. i. & fiat potio, & multis infirmis magis placet ut detur actu frigida quam calida, sed si quis abhorret caßiam, detur de diaprunis non solutiui in eadem dosi si patiens esset diues, detur diamannæ ℥. 2. uel unc. i. s.

Tertia intentio quæ est digestio, perficitur dando sirupum acetosum simplicem, licet Nicolus uideatur ipsum

prohibere in materia multum subtili, & hoc dicit capitulo isto ex opinione aliorum,& in capitulo de causone ex propria opinione, nisi sit permixtus cum sirupo uiolarum. Ego *autem non habeo hunc respectum in dando istum sirupum materia existente subtili, quia sirupi exhibentur maxime cum aquis appropriatis,ut endiuiæ, cicorij, buglossæ,& credo quod tempore* Nicoli *exhiberentur sine aquis,quæ duplici intentione exhibentur.* Prima *ut sirupus sit gratior,pulchrior,ac penetrabilior, quia ut plurimum sunt uiscosi,cum fiant ex melle & sacharo,unde* Mesue *distinctione.6.ubi loquitur de oxymelle simplici, quod dicitur ab eo purum secheniabin,dicit, quod ponitur aqua propterea quia iuuat ad penetrationem, conferet etiam sirupus uiolarum,& de endiuia,fiat ergo sic.* Recipe *sirupum uiolarum ℥.i. sirupi acetosi ℥.s.aquarum endiuiæ.℥.2.cicoreæ. uel buglossæ.℥.i.misce* Quarta *intentio est euacuatio; si materia fuerit mixta cum sanguine statim fiat phlebotomia & non differatur, sed si materia in principio non sit permixta,sed in processu postea permisceatur, quod cognosces ex urina &c.dimittatur in principio & fiat in processu, præmissa uentris lenitione saltem cum clysteri.* Quantitas *sanguinis extrahendi stat in æstimatiua medici considerantis ætatem, uirtutem &c.uena quæ phlebotomatur sit communis,aut basilica,sed communis potius.* Laudatur *euacuatio cum medicina solutiua,quãdo materia est separata à sanguine,aut non sit multum permixta, aut ubi non sit mixta & non potuisset tota per phlebotomiam educi,complectur cum rhabarbaro,uel alijs solutiuis faciendo sic.* Re

cipe rhabarbari electi & mundi.ʒ.ii.aut.ʒ.iii. spicæ pa- rum, incidantur minutim, & infundantur in aquis endi- uiæ, cicoreæ, & buglossæ ana. quantum sufficit, ponendo uini albi odoriferi & subtilis parum, uidelicet. ʒ.ii. uel ʒ.iii. sinantur in infusione per horas decem, deinde fortis fiat expreßio cui addatur diaprunis non solutiui ℥.s. dia prunis simplicis, aut electuarium rosarum Mesue: ʒ.ii. aut iii. secundum corporum diuersitatem, sirupus uiola- rum. ℥.s. & fiat potio, postea hora debita fiat lauatiuum, & hæc euacuatio cum medicina solutiua, licet conueniat digesta materia, uerum etiam materia non existente dige sta, ubi timeremus de furiositate materiæ, aut multitudi- ne, minoratiuæ conueniret, & si non eradicatiuæ, & ubi æger sit pauper loco rhabarbari augeatur dosis alio- rum solutiuorum, secundum doctrinam Mesue in antido- tario dando. ʒ.iii. uel. iii. s. uel 4. uel. 4. s. Quinta in- tentio est prouocatio urinæ, aut sudoris, & ista intentio completur exhibendo in potu, sirupum acetosum simpli- cem cum emulsione seminum communium frigidarum ana. ℥.i.s. aquæ endiuiæ. ℥.iii. uel 4. & detur in potu in au rora, aut loco eius potest exhiberi sirupus acetosus de ra dicibus, & iste est in communi usu. Potest etiam exhibe ri aqua hordei subtilis cum modico sacchari, & si uolu- mus sudorem prouocare, talis aqua exhibeatur calida, & infirmus stet pannis coopertus, postea dormiat si poßibi- le est, in declinatione tamen paroxismi & sic melius pro uocabitur sudor. Sexta intentio quæ est alteratio cali d tatis febrilis, & confortatio membrorum laxorum, uim propter debilitatem acquisitam ex resolutione spiri-

tuum ex calore febrili, tum propter euacuationes praece dentes naturaliter, aut artificialiter factas. In hoc enim casu Nicolus in capitulo istius curæ uidetur concedere aquam frigidam quæ tamen exhibenda est in multa quan titate, stantibus conditionibus requisitis, de quibus di- ctum est in capitulo de cura putridæ in generali. Ad hanc etiam intentionem laudantur trochis. de camphora, uerũ quia dictum fuit in capitulo proxime allegato Auicennæ dũ erat sermo de trochiscis, hodierno tẽpore cecidit eorũ usus, & hoc propter abominationem, & ideo, ut tunc di- ctum fuit, administrantur in forma pillulari. Posset ergo fieri sic. Recipe pulueris trochiscorum de camphora ʒ.i. cum sirupo rosato, uel endiuia quantum sufficit, fiant pillulæ tres, deinde post dictas pillulas dentur aquarum endiuiæ, & cicoreæ ana. unc. ii. s. Item ad hanc intentio- nem ualet sirupus ros. qui ut solet administratur in die se quenti post medicinam solutiuam, & cum aquis appro- priatis de quibus dictum est, & iste sirupus debet esse fa- ctus ex rosis siccis, non recentibus sicut communiter so- let teneri ab aromatarijs quia est magis confortatiuus, uel loco sirupi rosarum detur saccharum rosarum anti- quum ad quantitatem unc. s. uel de diacitoniten cum sac- charo sine speciebus, uel de confectione triasandalorum, & iste est in communi usu & exhibent practici. ʒ. ii. uel circiter in mane donec ægritudo sit remota, aliquando etiã loco eius datur confectio diarhodon Abbatis, uel de coctio communis, de qua habetur decoctio in antidotario, sed ista est magis in usu, & ista confectio diarhodon ex- hibetur communiter magis à practicis quando timemus

de oppilatione. Ab extra possunt alterari membra, & confortari sicut hepar, & cor sic faciendo. Primo ad ad cor epithema: Recipe *aquarum rosarum unc. 6. uel 7. buglossæ unc. 2. sandalorum omnium, dico notanter omnium, propter diuersitatem medicorum; corallorum alborum & rubeorum, ossis de corde cerui ana. scrup. i. croci scrup. i. camphoræ grana 5. uel 6. dummodo non sit uigilia, aceti al. ʒ. i. s. uel 2. fiat epithema cum panno de scarlato, uel sindone, uel lino, & cordi applicetur.* Pro *hepate fiat sic.* Recipe *aquarum endiuiæ. ℥. 6. uel 8. rosarum ℥. 2. sandalorum omnium ʒ. i. pulueris spicenardi scrup. s. ut conseruetur uirtus hepatis, camphoræ grana 6. nisi timeatur uigilia, aceti albi. ʒ. ii. misce pro hepate.* Et *nota quod ista epithemata debent administrari stomacho ieiuno, & non existente repletione in stomacho, ut habetur à* Rasi *10. continentis, capite de cura hecticæ, postea tempore cibi remoueantur, & possunt administrari bis in die, uidelicet ante prandium, & ante cœnam.* Et *modus administrandi est hic.* Capiantur *illi liquores & in eis infundatur pannus lineus, uel aliter ut dixi, postea exprimatur & teneatur intra palmas manuum, deinde fricetur manibus, ut actualis frigiditas remoueatur, & sic fiat de corde & reiteretur tribus uel quatuor uicibus, & hæc de hac intentione.* *Septima & ultima intentio, quæ est cura accidentium, paucis expediam, quia accidentia quæ maxime coniunguntur in hac febre sunt, asperitas linguæ, sitis instantia, uigiliarum, dolor capitis.* Iccirco *incipiendo primo à siccitate linguæ, & si multa possint adduci remedia inter cætera, & præcipue quæ sunt in usu,*

sunt sicut pruna sicca madefacta in aqua & in ore retenta, similiter cerasa acetosa sicca: Item *sæpe lauare os cum aqua hordei, aut aqua cocta simplici, aut aqua recenti simplici, uel non cocta quando scis quod non deglutiret:* Item *confert tenere de mucilagine psillij in ore in sacculo paruo reiterando, scilicet ut sæpe madefacias in aqua hordei, aut cocta, ista multum conferunt, ut dicit* Auicennna, *in principio curæ putredinis in generali.* Sitis *autem remouetur etiam per prædicta medicamina, etiam capiendo de granatis, & de succo arancii.* Et *quando ista non sufficiunt exhibenda est aqua, sicut est aqua hordei secundum uarias intentiones, ut habetur capitulo de cura putridæ in generali, & debet dari in multa quantitate pro uice, aliqui etiam concedunt amarenatam.* Dolor *capitis remouetur cum fricatione extremitatum, & earum ligatura, etiam cum earum infusione in aqua calida, & hoc est in usu apud practicantes.* Et *quando ista non conferunt, administrentur uentosæ siccæ in spatulis.* Instantia *uigiliarum remouetur faciendo inunctionem ad tempora & ad plantas pedum cum unguento populeone, & est usuale, & facimus ad somnum prouocandum, & sit actu frigidum:* Item *apud me solet fieri inunctio ad intra nares cum oleo uiolato, & nenupharino ana partes æquales, puta ana.* ℥.s. *& oleum lactucæ magis laudatur ab auctoribus, & præcipue ab* Auicenna. Item *ualet lotio tibiarum & brachiorum cum aqua decoctionis infrascriptæ ualet.* Recipe *maluarum, lactucarum, foliorum uiolarum, uitium, & salicum ana.* M.i. *decoquantur in una situla aquæ uel circa, duodecim bullitionibus uel circa, & cum*

ista decoctione simul cum corpulentia dictorum fiat lotio, accipiendo fumum per nares, & hoc fiat quando intendimus prouocare somnum. Et quando ista non sufficerent, & uellemus facere magis somniferum, addatur in dicta decoctione de corticibus capitum papaueris.m.1. uel circa, anethi.m.s. quia facit ad prouocandum somnum, ut secundo canone, capite proprio, et cum hoc etiam corrigit nocumentum narcoticatis corticum prædictorum. Et si ista non sufficiunt, detur sirupus de papauere cum aqua frigida, secundum modum Gentilis, capite de cura febrium acutarum, cuius dosis est.℥.i.s. Sed ista narcotica cum administrantur, debent administrari cum cautela. Et quando alia non sufficiunt secundum doctrinam Mesue in suo tractatu de consolatione medicinarum, intentione tertia, capite.3. & canone 6. & debent administrari corpore existente mundificato, & non impuro, & non immediate post cibum, sed duas horas uel circa, sed conditiones quæ habent obseruari considerentur in dicto capitulo, ad quod me offero. Caueatur etiam ne corpus cui adhibetur, sit cerebri nimis debilis & frigidi, ne per tale somniferum dormiret dormitatione perpetua: Item quod non patiatur catharrum, cuius materia sit contenta in pectore, quia tunc prohibetur secundum sententiam Auicennæ, capite de catharro. Et hæc de cura ista. quare &c.

De cura tertianæ non puræ.

PRo *cura tertianæ non puræ, hæc enim cura diuersificatur à cura tertianæ puræ in differentiis nouem*

positis ab Auicenna,ad quas quidem recurrendum est,diuersificatur etiam talis cura secundum maiorem aut minorem elongationem à tertiana pura, prout dictum fuit circa declarationem textus Auicennæ, ueruntamen ut modus specialiter habeatur,& clarior magis,ordinatur cura hoc modo,uidelicet discurrendo per septem intentiones habendas, quarum prima,erit administratio regiminis in sex rebus non naturalibus.Secunda,uentris lenitio. Tertia,digestio.Quarta,euacuatio. Quinta,prouocatio urinæ,aut sudoris.Sexta,membrorum confortatio. Septima,correctio quorundam accidentium, & ultimo narrabuntur multa quæ cum proprietate occulta uidentur magis iuuare quàm cum manifesta. Quantum ad primam intentionem, incipiendo primo ab aere breuiter expediendo,aer debet esse minus frigidus,& minus humidus quàm in cura prædicta,& in tempore hyemali sit de cliuis ad aliquam caliditatem secundum Nicolaum, & ideo tunc temporis non esset inconueniens aliquando accendere ignem in camera pro aliquo temporis spacio in aliqua parte diei. Cibi sint sicut ptisana hordeacea cum saccharo,panatella cum butyro recenti, aut cum brodio pulli, aut aliarum carnium laudabilium: Item far hordei,non autem frumenti, quia tale far est oppilatiuum, ut Gentilis super prima tertii,capitulo de mania canina:. Item potest concedi amygdalatum, dummodo non esset profunditas somni,quia amygdalæ sunt multũ uaporosæ & somnum inducunt:Item possent fieri fercula ex bliti, boragine,petroselio,& similibus, quod quidem petroselium multum confert in his ferculis,cum sit multum ape-

ritiuum, et ſubtiliatiuũ materierum groſſarum, ſed prius tamen materia digeſta & aliqualiter euacuata. Piſces *ſint petroſi, boni, ſicut dictum fuit in cura tertianæ puræ:* Item *conceduntur oua ſorbilia & recentia, præcipue in declinatione, etiam in alijs temporibus intentione habita conſeruationi uirtutis, ut* Galenus *in terapeutica ad* Glauconem, *& ut recitat* Conciliator *in differentia 110. in adiuncto ſecundo, ita etiam quod in cauſone conceduntur, & iſta oua debent eſſe recentia. unde* Meſue *capitulo de cura tuſsis, dicit quod oua debent eſſe illius diei.* Conceduntur *carnes perdicum, pullorum phaſianorum, & aliarum carnium de quibus ſupra facta eſt mẽtio in cura tertianæ puræ:* Item *poſſent concedi carnes leporis iuuenis.* Laudantur *etiam cappares, & aſparagi conditi cum aceto, ſed prius digeſta & euacuata materia: paſſulæ etiam ſine granis ſunt laudatæ.* Potus *ſit aqua hordei cum ſaccharo, uel ſine, prout magis libet infirmis, in qua ſint decoctæ radices fœniculi, & petroſelini qui ſint lauati in aqua, aut uino albo.* In *declinatione uero conceditur uinum album ſubtile, medium inter antiquum & nouum, & ſit leue & bene limphatum, plus & minus ſecundum potentiam uini, & ſecundum naturam infirmi & eius conſuetudinem.* In *declinatione etiam conuenit brodium cicerum rubeorum.* In *temporibus autem ante declinationem etiam concedi poſſet tale uinum, habendo conſiderationem ad conſuetudinem ipſius infirmi, aut ad naturam ſtomachi, uidelicet ſi eſſet debilis propter complexionem frigidam.* Motus *& quies, aliquis motus lenis eſt conueniens in die quietis, non autem tempore paroxyſmi &*

xysmi & corpore potente tolerare eum. Et ubi non posset tolerare, loco talis exercitii fiant fricationes, & præcipue extremitatum, uidelicet tibiarum & brachiorum, postea leniter pectinetur caput. Et hæ fiant ante cibum, stomacho ieiuno, & prius habito uentris beneficio naturaliter aut artificialiter. inanitio & repletio. Cibatio uniuersalis in quantitate continua sit maior quàm in tertiana pura. Cibatio tamen particularis & secundum quantitatem discretam sit minor. Exemplum primi damus cibum grossiorem, & in maiori quantitate, & in toto tempore morbi in tertiana non pura, puta carnes pullorum quas exhibemus à principio usque ad statum exclusiue, ubi in tertiāna pura loco eius daremus ptisanam hordei. Exemplum secundi, in tertiana pura cibamus omni die, in non pura una die sic, alia die non, secundum sententiam Galeni in terapeuticis ad Glauconem, & Auicenna in capitulo proprio. Dico etiam quod consideranda est uirtus, consuetudo, ætas, regio, forma, & reliqua. Accidentia animæ, uitet iram, tristitiam, suspicionem, cogitationes malas, & horribiles: sed, in summa temperate gaudeat et bene speret de salute sua. Et hæc de prima intētione.

Secunda intentio quæ est uentris lenitio. Ista quidem perficitur cum clysteribus, aut cum medicinis quæ sumuntur per os, clystere fit ut infra. Recipe caßiæ electæ nouiter extractæ. ℥.s. hieræ simplicis Galeni. ℥.s. olei uiolati & chamemellini. ana. ℥.i.s. mellis rosati colati. ℥.i. uel. i.s salis triti. ℥.i. cum decoctione maluarum mercurialis, foliorum blitis, fiat clystere, hoc enim clystere dicitur esse acutum respectu clysteris quod competit in tertiana

pura, & quæ quidem clysteria acuta sunt conuenientia in tertiana non pura, ut patet ex sententia Auicennæ. Si uolumus lenire per os fiat sic. Recipe *caßiæ electæ nouiter extractæ.*ʒ.vi. *diaphœniconis.*ʒ.ii. *uel* iii. *misce & cũ saccharo fiat bolus. Si in forma potabili, dissoluatur cum decoctione communi, hæc enim medicina ultra hoc q̃ sit lenitiua, est etiam euacuatiua materiæ proprie, quæ quidem euacuatio minoratiua, confert in tali febre considerata multitudine materiæ, sicut dictum fuit in declaratione textus.*

Tertia intentio quæ est digestio. Ista quidem perficicitur exhibendo talem sirupum uidelicet. Recipe *sirupi acetosi simplicis.*℥.i. *mellis rosſ. colati.*℥.s. *aquarum endiuiæ.*℥.i. *buglossæ.*℥.i. *misce.* In *processu post digestionem materiæ, & aliqualẽ euacuationẽ cõpetit sirupus fortior prædicto, uidelicet sirup. de bisantiis cũ aceto, si materia sit uiscosa, aut multũ mixta cũ cholera, aut sirupus acetosus compositus, cuius quantitatis sit.*℥.i. *mellis rosati colati.*℥.s. Et *ubi materia non esset multum uiscosa, posset exhiberi sirupus de bisantiis sine aceto, permiscendo secum mel rosatum, quod quidem conceditur ut puto quia abstergit phlegma, cuius minera est in stomacho.* V*bi tamen febris esset ualde intensa, ut puta non esset multum elongata à tertiana pura, posset dimittere mel rosatum, & exhibere sirupos prædictos, maxime sirupum acetosum simplicem, cum habeat omnes intentiones quas quærimus, ut uirtutem incisiuam, subtiliatiuam, & digestiuam, prout supra in capite uniuersali de cura febrium putridarum.* Q*uarta intentio est euacuatio quæ comple-*

tur sic, uidelicet faciendo phlebotomiā si expedit, ut puta si urinæ essent grossæ, & subrubeæ sicut dictum fuit circa declarationem textus Auicennæ; prius tamen fiat lenitio uentris saltem cum clysteri, quod pro tunc non sit acutum, sed tantummodo lenitiuum, postea uero fiat euacuatio cum medicina solutiua, prius existente materia perfecte digesta, quæ euacuatio sit eradicatiua ubi per phlebotomiam tota materia non esset euacuata, aut ubi esset materia separata à sanguine, quia per phlebotomiam non esset educenda, cum ista eßet inepta euacuationi. Medicina autem conueniens in dicto casu, ualet ad eradicandum materiam antecedentem tertianæ non puræ. Et si plures possent describi medicinæ ad hoc propositum, inter cæteras uidetur esse conueniens ista, & est. Recipe rheubarbari electi & mundi. ʒ.ii. spicæ parum, incidantur minutim, & infundantur in aquis endiuiæ, buglossæ, & absinthij ana. quantum sufficit, addendo uini albi odoriferi parum. puta. ℥.ii. uel iii. dimittantur in infusione per horas duas, deinde infundantur agarici electi. ʒ.ii. zinziberis. ℈.ii. dimittantur in infusione per horas octo, deinde fortis fiat expreßio, cui addatur diacatholiconis uel caßiæ nouiter extractæ. ℥.s. diapheniconis. ʒ.ii. uel. ii. s. plus tamen & minus, habendo considerationem ad ætatem & alia, & fiat potio, addendo sirupum uiolarum. ℥.i. ut si esset tempus æstiuum. Nota licet communiter fiat infusio rheubarbari & agarici diuisim, ego tamen simul facio propter maiorem commixtionem, & quia agaricus est mollior præpono rheubarbarum, post addo agaricum, ut in exemplo dicto. Aliquando ad euitandū expensas

infirmorum, aut ad complacentiam eorum, dimittimus rheubarbarum, & agaricum, & solum damus electuarium diaphenicon, sed tunc damus maiorem dosim de eo, gratia exempli à ℥.iiii.usque ad. 5. Aliqui sunt qui pertranseunt usque ad. 7. unde Mesue dicit, dosis eius est à. 3. s. usque ad 7. ego autem non pertranseo. ℥.s. postea uero detur lauatiuum completa operatione medicinæ quod fit ex aqua hordei. Et ubi febris non sit multum intensa & non fuerit elongata multum à tertiana pura, cum hordeo in dicta facio addere parum anisorum confectorum, ut ponit Nicolaus sermone secundo, capitulo de canonibus generalibus. Die uerò sequenti potest exhiberi sirupus rosarum, uel saccharum rosarum, cum aqua absinthii, aut ubi febris fuerit elongata à puritate, præcipue tempore hyemali potest exhiberi. ℥.i. mithridati cum ℥.ii. sacchari rosarũ. Quinta intentio quæ est prouocatio urinæ, aut sudoris, ad hanc intentionem paucis expediendo, confert aqua hordei, in qua sint decoctæ radices apii, aut petroselini, & ista aqua cũ fuerit actu calida, detur ad quantitatẽ ℥.Vi. uel circa. Et ubi natura magis inclinaret ad sudorem quàm ad euacuationem per uias urinæ, conueniens esset post decentem coperturam pannorum ut inclinaretur ad dormitionem, quia tunc melius operaretur & debet exhiberi temporibus debitis, non existente stomacho repleto ex cibo sed uacuo. Sexta intentio quæ est confortatio membrorum quæ laxa sunt, præcipue post euacuationes naturales, aut artificiales, omittendo multas medicinas quæ possent describi, narrabuntur succincte & breuiter aliqua quæ sunt magis usualia, & præ

cipue apud me, quorum quædam ſunt quæ exhibentur per interius,& quædam per exterius,per interius conue niunt trochiſci de roſis,& eupatorio,præcipue quando ti memus caſum in hydropiſim propter oppilationem quæ plurimum coniungitur in huiuſmodi febre, & doſis eius ſit.ʒ.i.in aurora ſtomacho ieiuno præcedentibus euacua tionibus.Et quia trochiſci ſunt abominabiles,reducantur forma pillulari cum aliquo conuenienti ſirupo,ut cum ſi- rupo de biſantiis,aut de eupatorio,ſumendo poſt aſſum- ptionem earum de aquis endiuiæ, & abſinthii ana.ʒ.ii.s. uel detur ſirupus conſuetus loco prædictarum aquarum, ſecundum quod magis placet infirmis: Item ad hanc inten tionem confert adminiſtratio aromatici roſar.decoctio- ne communi & Gabrielis, ad quantitatem.ʒ.ii.in hora ſcilicet ſupraſcripta, & ſimiliter ſumendo, aut ſirupum ſuum conſuetum, aut aquas prædictas.Et ſi timeremus de caliditate hepatis,poſſemus ordinare medicinam ut infra. Recipe ſpecierum aromatici roſarum decoctione commu ni,aut Gabrielis,ſpecierum diarhodon Abbatis ana.ʒ.s. pellicularum ſtomachorum gallinarum præparatarum. ʒ.i.pulueris hepatis adip.id eſt, lupi.℈.ii. ſacchari albi quod ſufficit diſſoluti in aquis endiuiæ,& abſinthii ana. quantum ſufficit,fiat confectio in morſellis, & de iſta confectione ſumat tempore debito iam dicto ad quantita- tem.ʒ.ii. Ab extra uero fiat unctio cum oleo de maſtice, aut de ſpica, aut utriſque ſimul ungendo ſtomachum, & alias partes uentris uſque ad hypocondrium dextrum, & ſit oleum actu calidum. Poſſunt etiam fieri fomenta- tiones ex aqua decoctionis florũ chamomillæ,ſummitatũ

absinthii cum modico spicanardi, & cinnamomi electi grosso modico contusi, addendo etiam modicum uini albi subtilis & odoriferi, quæ decoctio bulliat donec consumpta sit quinta pars uel circa, in ista decoctione madefiant spongiæ fortiter expressæ inter duo incisoria, postea inuoluta petia linea superponatur stomacho, reiterando ter uel quater stomacho ieiuno, & aliis conditionibus, postea exiccetur leuiter cum panno lineo calido, deinde fiant unctiones cum dictis oleis, & ubi coniungeretur uentositas dolorem causans, in prædicta decoctione, adantur semina anisi, feniculi, & similium uentositatem resoluentium. Septima intentio est correctio accidentium quorundam, quorum quædam sunt quæ communiter solent magis accidere, utputa prostratio appetitus & profunditas somni. Ad hanc enim intentionem, et primo quantum ad incitandum apetitum, ualent cappares conditæ cum aceto, de quibus dictum est intentione prima: Item oliuæ conditæ sed bene masticatæ propter earum uiscositatem & difficultatem in digerendo: Item aliquando posset administrari de diacitoniten cum saccharo sine speciebus, dando. ℥.ii. uel circa singulis uicibus & ante assumptionem cibi saltem per horam: Item potest fieri inunctio cum oleis suprascriptis, addendo de oleo mentæ, & citoniorum æquales partes. Quantum uero ad profunditatem somni omißis multis remediis ab aliјs auctoribus, præcipue ab Auicenna capite de cura subeth posītis, confert odorare acetum calidum, fiat ergo sic: accipiatur spongia & infundatur in aceto calido, & teneatur ad nares ad odorandum: Item si lauetur facies ex di-

cto aceto multum confert, aut accipiendo pennam gallinæ & intingendo in aceto,& tangendo angulos lacrymales domesticos. Vltimo restat ut narrentur aliqua ab auctoribus medicinæ posita quæ magis uidentur à proprietate iuuare, quam à qualitate manifesta, quorum aliqua sunt quæ ab intra, aliqua quæ ab extra approximantur. De his enim quæ per interius sumuntur, sunt sicut radices plantaginis, si sumantur, tres numero,& exhibeantur stomacho ieiuno ante horam accessionis, hoc enim narrat Nicolus sermone secundo, distinctione tertia, summæ secundæ, capitulo octauo, auctoritate fidelis experimentatoris: Item laudatur singulariter succus plantaginis qui sit depuratus & colatus ad quantitatem. ℥.iii.& tribus uicibus ante accessionem,& dicit Franciscus de Pedimonio auctoritate Alexandri, quod statim liberat, & quod est expertus. Ego autem nunquam expertus sum: Item laudatur chamomila à Galeno in tertio de simplici medicina, & à Serapione in suo de simplicibus, capitulo proprio de chamomila,& dicit Nicolus in prædictis locis, capitulo tamen nono circa finem capituli, quod debet exhiberi succus florum chamomilæ à.ʒ.i.usque ad 2.& sit depuratus, clarificatus,& permixtus cum sacharo,& puluere liquiritiæ,& ubi flores essent sicci,& non posset haberi succus, infundantur in brodio, aut in aqua lactis, uel endiuiæ. Et ego dedi multos flores intinctos in aqua simplici,& faciendo decoctionem de eis, præcipue quando febris erat coniuncta cum dolore, quia Serapio loco allegato dicit, quod est de fortibus sedatiuis dolorum,& præcipue etiam debet conuenire quando febris non fue-

rit multum intensa. Per exterius narrat etiam Nicolus loco allegato, scilicet capitulo octauo, auctoritate aliorum, quod si capiatur urtica maior trita cum multo sale, & ligetur super tempora & pulsus brachiorum, statim curat tertianam. Est aliud remedium ab extra, ut narrat auctor pandectarum, etiam ponitur ab Auicenna secundo canone, & auctor pandectarum dicit auctoritate Dioscoridis, quod si capiatur tela aranea cum aliquo unguento, aut dicit Auicenna cum aliquibus emplastris & super tempora, & pulsus brachiorum ponatur quod curat. Et hæc de hac cura, quare &c.

Cura causonidis.

IN cura causonidis pauca dicenda sunt, cum eius cura sit proxima curæ tertianæ de qua supra dictum est. Differt tamen curatio quantum ad aliqua, uidelicet quantum ad alterantia, quæ debent esse fortiora in hac febre: Item quantum ad lenitionem uentris: quæ debet esse maior propter maiorem siccitatem uentris, & cum rebus magis infrigidantibus: Item quantum ad subtiliationem regiminis, quæ debet esse maior propter maiorē febrem: Item quantum ad euacuationem materiei, scilicet minoratiuam proprie, à qua frequentius inchoandum est, propter causam dictam in declaratione curæ, secundum Auicennam, ualet propter furiositatem materiæ. Veruntamen ut clarius habeatur modus curandi condescendo ad specialia, & primo quantum ad sex res non naturales, aer debet esse decliuis ad maiorem frigiditatem, alteran-

do ipsum modo dicto in cura tertianæ puræ, & frequen tius renouentur ista alterantia, & quæ sint ex rebus ma gis frigidis. Cibi sint sicut capitulo præhabito dictũ fuit, & specialiter conuenit ptisana hordei, & panis lotus in aqua pluries, & cum multa quantitate aquæ exhibitus, ut facilius deglutiri poßit, quam ea quæ sunt masticabi- lia, ut faciliter ab infirmis accipiantur: Item confert pa- nis lotus, ut dictum est deinde componendo cum eo de ui- no granatorum, talis enim cibus est multum conueniens, quia est multum mitigatiuus, & extinctiuus caloris febri lis. Olera uero sunt ea quæ supra, capite de tertiana di- cta sunt, & inter ea multum confert portulaca, siue fue- rit præparata cum aceto, siue non secundum infirmorum complacentiam. Carnes etiam conceduntur propter timo rem casus uirtutis, ut carnes pullorum, alteratæ cum re- bus frigidis, ut succo arantii, limonum, agresta, succo gra natorum muzorum, aut acetosorum, non autem dulcium, propter causam capite præhabito dictam. Et nota quod cibi debent exhiberi actualiter frigidi: Item possent al- terari secundum modum meum consuetum, ponendo in uentre dictarum pullarum lactucam, portulacam &c. Fructus conceßi sunt qui dicti sunt capite præhabito, ut poma arantia, granata muza, aut acetosa: Item dicit Ni colus quod possunt exhiberi uuæ, quæ non sint dulces, & sunt illæ quæ maturantur in fine autummi & hieme. Po- tus sit sicut aqua hordei, uinum granatorum acetosorum, uel muzorum, singulariter uel commixtim cum aqua hor dei: Item iulep cum dicta aqua, siue uiolarum siue rosa rum, uinum tamen aliquando conceditur, scilicet in decli

natione, aut in aliis temporibus habendo respectum ad uirtutem,& sit album debile,& bene limphatum: Motus &c. abstineat se ab omni motu & fricatione, præcipue fortibus, sed utatur quiete. Somnus etc. procuret dormitionem satis longam,& uitet uigilias, nisi in casu in quo accidit profunditas somni, sicut dictum est in expositione capituli. Inanitio &c. dieta debet esse subtilis, & subtilior quàm in tertiana, siue interpolata, siue continua. Accidentia animæ, bene speret de salute sua, gaudeat quantum possibile est. Quantum ad medicinalia summatim expediendo, primum quod habet medicus facere cum occurrit infirmo,& ordinato debito regimine, debet lenire uentrem cum clysteri, quod debet esse magis frigidũ quàm in cura tertianæ prædictæ, unde decoctione clysteris de qua supra, addantur sicut pruna uiolæ, tamarindi,& similia infrigidantia magis. Si fiat lenitio uentris per medicinas, quæ sumũtur per os, cõmuniter datur decoctio ex tamarindis, uiolis, prunis,& similibus rebus, in quibus dissoluatur caßia, aut fiat sic secundum modum meum consuetum, etiam in aliis febribus inflammatiuis. Si fiat lenitio per os, ordinatur isto modo: Recipe caßiæ electæ nouiter extractæ. ℥.i. dissoluatur in aqua endiuiæ, & fiat potio, addendo sirupi uiolarum. ℥.i. & si expedit ut fiat phlebotomia, fiat ex communi uena, aut basilica, prius tamen uentris lenitio. Sed ubi materia sit separata à sanguine post lenitionem prædictam, euacuetur materia illa à principio differendo saltem per diem post lenitionem. Et hæc minoratio materiæ proprie debet fieri non expectata digestione, propter causam dictã in declaratio-

ne texti. Ista autem euacuatio fit cum medicinis, de quibus facta fuit mentio supra, scilicet cum electuario rosato Mesue, cum electuario succi rosarum, & cũ rheubarbaro, & hoc in causone noto, scilicet à phlegmate salso, & addatur cum rheubarbaro infusio agarici, postea minorata materia, debemus digerere residuum, ut illa posit eradicatiue euacuari, quamuis raro euacuetur, quia plurimum per crisim euacuatur. Digestiua uero sint paucis expediendo, sirupus acetosus cum sirupo uiolarum, uel oxisacchara quæ in paucis differt à sirupo acetoso, & est res grata infirmis, propter granata acetosa, quæ ingrediuntur in eo. Si expedit digesta materia euacuare, artificialiter euacuetur, cum medicinis sæpe narratis, & natura inclinante ad uomitum adiuuetur beneficio medici. Postea sit intentio nostra ad confortandum membra, & hoc cum confectionibus triasandali, & cum aqua frigida, in multa quantitate exhibita, prius obseruatis suprascriptis conditionibus: item etiam alterando cum epithematibus frigidis, secundum modum datum in capite de cura tertianæ. Deinde succurramus accidentibus, uidelicet instantiæ uigiliarum, asperitati linguæ, siti uehementi, dolori capitis, & huiusmodi, quibus prouidendum est secundum modũ in aliis capitibus declaratum. Et quia quandoque solet aduenire fluxus uentris, cui Auicenna docet succurrere cum trochiscis de spodio, cui addatur sirupus rosatus de rosis siccis, prout alias dictum est, aut loco eius detur sirupus de citonijs, uel de succo acetosæ, uel de granatis, aut de ribes, & in hoc casu tunc dimittatur iulep, & saccharum quantum posibile est, quia faciliter conuer-

titur in choleram, & cum hoc est solutiuum, ut Auicenna secundo canone de saccharo, & hæc de cura causonidis dicta sufficiant, & quare &c.

Cura febris sanguinis.

IN cura febris sanguinis, in qua medicum oportet esse sollicitum cum sit ægritudo acuta, & in qua magna est sollicitudo habenda, secundum sententiam Hippoc. 2. regiminis acutorum, uolens medicum esse sollicitum circa ægritudines acutas, unde Rasis 10. continentis dicit febricitantes, & præcipue acute, non solum oportet eos uisitare, sed continue eis aßistere. Specialiter ergo ad ipsam condescēdendo, primo ordinabitur debita regiminis administratio, quæ debet esset tendens ad frigidum, & aliqualiter ad siccitatem, secundo uidebitur qualis debet esse cura, quantum ad medicinalia. Quantum ad primum, incipendo primo ab aere, debet esse ad frigidum & siccum declinans, unde Galenus 9. terape. docet alterare cameram terrestrem in qua forte fenestræ sunt septentrioni expositæ, & debet locus alterari cum rebus frigidis odoriferis, ut cum rosis, folijs salicum & uitium, & in summa fiat secundum modum dictum in capite de cura tertianæ puræ. Cibi sint sicut ptisana hordei, & panatella condita ut supra, conceditur etiam amygdalum, sed prius debet expumari eius unctuosum, & dummodo non fuerit profunditas somni, & hoc propter causam in aliis cap. dictam, uidelicet in capite de cura tertianæ, potest etiam concedi far hordei colatum, aut non colatum. Olera quæ

conueniunt, sunt ut lactucæ, quæ secundum Gentilem appellantur ab Auicenna, olus benedictum, conuenit acetosa, spinachia, endiuia, & cucurbitæ alteratæ cum aceto, aut agresta, conceduntur etiam lentes cum aceto, sed dicit Nicolus, quod debent esse excorticatæ, aut coctæ in duabus aquis, primam aquam abiiciendo. Carnes etiam possunt concedi, sicut dicit Nicolus auctoritate Serapionis, & maxime in declinatione, etiam in quocunque alio tempore stante debilitate uirtutis, sed debent esse alteratæ secundum modum dictum in cura causonis. Fructus sunt sicut melones Indi, et cucumeres, ut ponit Auicenna: Item conceduntur pruna matura in modica quantitate, natura existente sicca, natura uero existente non sicca, fructus qui conceduntur sunt, sicut granata acetosa, aut muza, conceduntur etiam pira de seni, id est, de illa contrata & ista conceduntur ab Auicenna, apud quem etiam conceduntur pira de seni, similiter granata, aut acetosa, aut odorifera, secundum quod auctores diuersimode exponunt, conceduntur etiam iuiubæ apud Auicennam. Nota de iuiubis, quia oritur dubitatio, quia Auicenna in præsenti cura laudat iuiubas, & secundo canone, capite proprio dicit, quod in nulla conueniunt ægritudine, solue si uis. Potus sit sicut aqua hordei, uel uinum granatorum, uel aqua simplex cocta, permixta cum dicto uino, aut cum iulep rosarum, uel uiolarum, uinum uero conceditur in declinatione à Serapione, etiam in quolibet tempore in quo uideamus, quod oportet subuenire uirtuti, & sit uinum pauciferum & bene limphatum. Motus &c. Abstineant ab omni motu quantum possibile est, ita quod

uitent multam locutionem, & crebram reuolutionem de latere ad latus. Nam dicit Rasis 16. continentis. Motus resuscitat febrem, & incendit eam sicut felijs ignem. Somnus &c. uitent somnum & uigiliam superfluam, nam somnus laxat caput, & totum corpus grauat, uigiliæ uero impediunt digestionem cibi & potus, ut habetur ab Hippoc. 2. regiminis acutorum. Mensura autem somni & uigiliæ stat in æstimatiua medici considerantis ætatem, consuetudinem, uirtutem, & reliqua consideranda, & sit lectus de coto, siue corio inflato more zurcarum, aut secundum quendam solet fieri sic, uidelicet accipiantur pelles, & teneantur sub dorso, uel accipiendo coopertorium pellis, cuius charta sit inter linteamen, & dorsum, & sint linteamina munda, & sæpe remoueantur, ut dicit Nicolus sermone 2. summa 3. titulo 2. siue 3. scilicet de dieta febrium acutarum. Culcitra sit leuis, & stet cum capite eleuato, & facie omnino discooperta, & stet magis super latus dextrum quàm sinistrum. Inanitio & repletio. Dieta debet esse subtilis, & subtilior quàm in aliis temporibus, debet esse in statu, & uersus statum, habendo tamen respectum ad uirtutem & consuetudinem, unde licet antiquitus subtilius dietarent quam nunc, hoc accidit plerunque, quia hodierno die homines sunt dediti magis luxui & gulæ, etiam fortasse, hoc est, quia à parentibus producti sunt debiliores, propter quas causas, etiam propter uitare infamiam, grossius nunc dietamus, ut ponit Nicolus summa 1. sermone 2. titulo 1. capite 9. scilicet de dieta in uniuersali. In declinatione uero, scilicet respectu aliorum temporum uberius est reficiendum, secundum

doctrinam Serapionis,& hoc secundum quantitatem cibi, in dicto tempore debent esse minus frigidi quam in aliis temporibus præcedentibus, tum propter phlebotomiam magnam plurimum necessariam, tum propter regimen præcedens multum frigidum,timetur ne materia conuertatur ad naturam phlegmaticam. Accidentia animæ uitent furorem,iram,tristitiam,sed inclinetur ad gaudium, & lætitiam moderate,& bene speret de salute sua. Cura quantum ad medicinalia consistit in intentionibus infrascriptis, nam si febris sanguinis,fit de sanguine non putrefacto duplex tantum sufficit intentio. Quarum prima est euacuatio per phlebotomiam usque ad sincopim,ut ferè omnes auctores assentiunt, quamuis tamen partitio in ea sit melior,ut statim dicetur. Alia intentio est alteratio quæ fit per potum aquæ frigidæ in multa quantitate ex bibitæ stantibus conditionibus requisitis,de quibus sæpe dictum est, nam hæc duo,scilicet phlebotomia,de qua dictum est supra,& similiter potus aquæ frigidæ excusant quandoque à cura alia,ut uult Auicenna. Si uero fuerit febris sanguinis,de sanguine putrefacto,ultra prædictas intentiones sunt multæ aliæ habendæ, quarum prima est uentris lenitio,secunda digestio ipsius humoris,uidelicet ingrossatio eius si fuerit subtilis,aut eius subtiliatio si fuerit grossus, tertia est euacuatio humoris derelicti post phlebotomiam,aut humoris sanguinem ipsum reddentis immundum, quarta est rectificatio putrefactionis,quinta pororū apertio, & resolutio uaporum,sexta alteratio caloris febrilis,septima & ultima correctio quorundam accidentium. Prima intentio,scilicet lenitio uentris,com

pletur per clysteria, aut per administrationẽ lenitiuorũ, scilicet cassia, tamarindis, & similium, de quibus dictum fuit in curis antecedentibus, & quæ lenitio regulariter operando debet præcedere phlebotomiam, coacte tamen aliquando præponenda est, & incipiendum est statim à phlebotomia, quando propter multam sanguinis repletionem timeretur de subita infirmi suffocatione. Secunda intentio quæ est digestio, completur per medicinas istas, uidelicet per administrationem sirupi acetosi, cum aqua endiuiæ sanguine existente grosso. Sanguine uero existente subtili, detur sicut sirupi de iuiubis cum aqua acetosæ, uel portulacæ, aut detur rob, id est, decoctio de lentibus, quam Auicenna describit, uel dentur lentes decoctæ cum aceto, prout etiam ponit Auicenna. Tertia intentio est euacuatio humoris permixti cum sanguine non euacuati per phlebotomiam. Ista quidem intentio completur per administrationem medicinarum appropriatarum tali humori, licet ut plurimum sit cholericus, & propterea Auicenna concedit mirobolanos citrinos, & in quo casu posset concedi rheubarbarum in infusione, ueruntamen quia etiam potest reddi immundus per præsentiam aliorum humorum, ut puta phlegmatis, aut melancholiæ, ideo possunt euacuari prædicti humores cum medicinis appropriatis, ut in phlegmate cũ mirobolanis chebulis, et in melancholia cum indis, aut cum epithemo ut alii concedunt, per prius tamen habeatur menti, ut fiat euacuatio per phlebotomiam, stantibus conditionibus, consentientibus, maxime de uirtute & ætate, ubi autem non posset fieri phlebotomia, loco eius apponantur uentosæ cum scarificatione,

ficatione,& licet phlebotomia debeat fieri usque ad sin-copim, tam in sanguine non putrido quam putrido, ut fere omnes auctores uolunt, ueruntamen partitio in ea est melior, ut dicit Nicolus in capite proprio de cura febris sanguinis, & in summa 2. tract. primi, capituli 8. dicit quod moderni plus contentantur de tali phlebotomia partita in plures uices, quia corpora fortasse nunc sunt debiliora, non potentia sustinere talem phlebotomiam usque ad sincopim, & ita moderno tempore in practica hoc obseruatur. Quantitas autem sanguinis extrahendi consistit in æstimatiua medici, qui habet mensurare sanguinis quantitatem cum sua bona coniectura, sicut dicit Nicolus in prædicta cura. Quarta intentio quæ est rectificatio putrefactionis sanguinis, & ista, ut uult Auicenna, fit per administrationem succi granatorum, scilicet acetosorum, uel muzorum, aut ut credo loco eius posset administrari succus arantii, uel agrestæ, & similia. Quinta intentio quæ est apertio pororum & resolutio uaporum perficitur per fricationes debitas, & per administrationem sirupi acetosi, cum aqua endiuiæ, uel capillorum ueneris, uel cum aqua radicum fœniculi, uel petrosilii, dicit Gentilis, si expedit, hoc est, si febris fuerit remissa, quia prohibentur ab Auicenna aperitiua, quæ ducunt ad ebullitionem sanguinis. Sexta intentio est alteratio caliditatis febrilis, & ista completur per administrationem medicinarum, de quibus dictum fuit in capitulis præcedentibus, præcipue in capite de cura causonidis. Septima intentio, est correctio accidentium coniunctorum cum ipsa febri sanguinis, quæ sunt ista, uidelicet dolor ca-

pitis, profunditas somni ut plurimum, & quandoque instantia uigiliarum: Item *fluxus sanguinis superfluus ex naribus, pro quorum cura recurratur ad proprias sen, & propria capitula posita ab* Auicenna *in libro 3. de quibus accidentibus aliqualiter* Auicenna *in sen prima quarti mentionem facit, capite de cura febris sanguinis, ad quod habeatur recursus si placet, quare &c.*

Cura febris phlegmaticæ.

CVra febris phlegmaticæ, & primo interpolatæ, secundo continuæ. Cura interpolatæ, primo quantum ad debitum regimen in sex rebus non naturalibus, incipiendo ab aere.* Aer debet esse subtilis & clarus, & propterea fenestræ debent esse apertæ, prouideatur tamen ne aer frigidus, occurrens corpori oppilet porositates. Causa huius est quia ut plurimum in febre phlegmatica, præcipue in principio, siue uniuersali, siue particulari calor præfocatur sub materia, quæ est grossa & frigida, & ideo propter præsentiam aeris lucidi & clari, cum spiritus sint de natura lucis, spiritus & calor naturalis mouentur ad exteriora, & sic surgit calor naturalis à suffocatione materiæ, debet etiam esse decliuis ad caliditatem & siccitatem, cum materia sit frigida & humida, & ideo confert tempore hyemali accendere ignem in camera, & cum lignis odoriferis, ut uidelicet iuniperi, rorismarini &c. Cibi sint sicut panatella cum brodio pulli, aut pultes cum furfure: Item brodium cicerum in declinatione uniuersali, & similiter cicera rubra, conceduntur

etiam caules, & porri materia existente frigida multum, ut puta in phlegmate uitreo, aut acetoso: Item blites & spinachia cum gariopholis, aut cinnamomo, aut pipere condita, in materia multum frigida iam dicta: Item fœniculus, petrosilium, & similia. Qui quidem cibi & similiter totum regimen diuersificandum est secundum diuersitatem specierum phlegmatis, etiam secundum diuersitatem temporum morbi. Secundum diuersitatem specierum phlegmatis, quia calidiores cibi conueniunt phlegmati uitreo, aut acetoso quàm salso, aut dulci, secundum etiam diuersitatem temporum, sicut cibi calidiores in principio quàm in augmento, aut statu. Conceduntur etiam pisces saliti, & oua mollia: Item carnes pullorum, gallinarum, & similium, de quibus satis dictum est in cura tertianæ non puræ, & hoc præcipue habendo considerationem ad uirtutem, consuetudinem, & alia sæpe dicta. Fructus sint sicut passulæ, amygdalæ, cappares conditæ oliuæ, & conditæ rapæ. Potus sit uinum album, subtile, debile, & bene limphatum cum aqua cocta, & ubi timeatur de debilitate capitis, & consequenter de uaporatione uini, loco eius detur aqua sacchari cocta, aut aqua hordei cum radice fœniculi, aut petrosilij. Motus &c. Exercitium conuenit, & ubi non poßit fieri loco eius fiant fricationes, incipiendo ab inferioribus & tendendo ad superiora. Somnus &c. somnus dicit Auicenna, debet esse æqualis uigilijs. Hoc debet intelligi quoad effectum, uidelicet ut tantus sit somnus quoad effectum, quod iuuet ad digestionem materiæ & cibi, & uigilia sit tanta, quod iuuet ad resolutionem. Aliquando tamen uigiliæ debent se-

parare somnum, aliquando e contra, & hoc propter diuersas necessitates, quandoque corpori occurrentes. Inanitio *&c.* Vitetur *omnis, omnis repletio superflua, & nauseatiua satietas, dieta tamen debet esse grossior quam in tertiana pura, & hoc propter longitudinem morbi, minus tamen grossa competit quàm in cura quartanæ, cum quartana de se sit prolixior, & dieta debet procedere subtiliando à principio usque ad statum, & quod in principio sit grossior, & procedendo uersus statum sit subtilior, habendo tamen semper respectum ad uirtutem præcipue, & alia sæpe narrata quæ à medico sunt consideranda.* Accidentia *animæ. gaudeat & lætetur, ac bene speret de salute sua.* Aliquando *tamen conuenit patientem prouocare ad iram, quia suscitatur calor naturalis faciens ad resolutionem materiæ.* Et *hæc sufficiant quantum ad debitum regimen in sex rebus non naturalibus.* Cura *per medicinalia perficitur sex intentionibus, prima est lenitio uentris, secunda digestio, tertia euacuatio, quarta membrorum confortatio, quinta correctio accidentium, sexta medicinarum à proprietate ualentia narratio.* Prima *intentio perficitur clysteri lenitiuo, de quo in aliis capitulis, præcipue capitulo de tertiana non pura dictum est, addendo ut illic dicebatur de hiera simplici, aut benedicta simplici, scilicet. ʒ.iii. uel circa:* Item *per os cum cassia &c. ut in aliis capitulis dictum fuit.* Et *fac si possibile est, ut omni die assellet bis, scilicet mane & sero sponte, aut cum clysteri, uel suppositorio, ut dicit* Nicolus. Secunda *intentio est digestio, hæc enim completur cum sirupis digestiuis, qui debent esse diuersi secundum diuersi*

tatem specierum phlegmatis, nam in phlegmate uitreo, aut acetoso conuenit dare oxymel simplex, tamen dico non esse continuandum omni die solum, quia ducit ad hydropisim, ut uidi & mortui sunt, ut dicit Auerrois, & ideo permisceatur cum melle rosarum. Et ubi timeremus de caliditate febrili, præcipue in homine calidæ complexionis, & tempus esset æstiuum loco oxymellis detur strupus acetosus, aut oxisacchara, & præcipue in phlegmate salso, in quo propter permixtionem choleræ uult Auicenna, quod si euacuetur, permisceatur cum medicina solutiua, strupus uiolarum, mel, uiolæ conditæ, quæ etiam sunt digestiua choleræ, & similiter potest dici quo ad intentionem digestionis. Sed talis strupus non mihi placet, quia ad nauseam præparat propter uiolam quæ est nauseatiua, ut testatur Auicennna 1 3.3. capitulo de cura apostematum calidorũ stomachi, modo in febre phlegmatica plurimum accidit nausea, imò quandoque uomitus superfluus, cui auctores præcipue Serapio docet succurrere, ut patebit in intentione quinta, ideo non est bene tutum eum administrare, sed possumus ad alios strupos frigidos transcendere, de quibus statim dictum fuit nec tradatur obliuioni administratio struporum frigidorum, in casibus statim narratis & omittere administrationem struporum calidorum, quia præparant ad febres, licet respiciant multum causam quæ à prædominio est frigida, cum omne phlegma sit frigidum, siue dulce, siue salsum, & remouere causam & augere multum febrem, forte febris & febricitans peribunt, ut dicit Nicolus auctoritate Galeni capite primo ad Glauc. Debent igitur digestiua diuersi-

ficari secundum multa à modico consideranda, maximè consideratione habita ad materiam, quia alia sunt digestiua phlegmatis uitrei, alia mucilaginosi & acetosi, alia salsi, aut dulcis, utputa existente phlegmate mucilaginoso, exhiberetur oxymel simplex, & semper proceditur à debiliori, aut à dosi minori tendendo in processu ad fortiora, in salso sirupus acetosus: Item diuersificari debent sirupi secundum diuersitatem temporum morbi uniuersalium, exempli gratia, si in principio damus oxymel simplex, in processu detur oxymel de radicibus, siue compositum. In phlegmate uero dulci, aut salso, si in principio damus sirupum acetosum simplicem, in processu dabimus sirupum de bisantiis, cum aceto, aut cum sirupo acetoso simplici, & cum aquis conuenientibus, ut endiuiæ, absinthii, aut fœniculi, & similium. Tertia intentio est euacuatio, & ista completur per euacuantia materiam propriam, quæ materia si fuerit sanguini commixta, uel etiam esset separata, & cum ea coniungeretur sanguinis repletio in corpore, tunc in isto casu conueniens esset phlebotomia, materia uero separata à sanguine, & non existente repletione sanguinis, ipsa existente aliqualiter digesta, aut etiam ipsa existente omnino cruda, sed multũ superflua, ita quod timeretur de suffocatione caloris naturalis, tunc competit euacuatio cum medicinis appropriatis solutiuis, quæ euacuatio debet esse minoratiua. Ipsa uero existente perfecte digesta, conueniens est euacuatio eradicatiua. Medicinæ cum quibus fiunt dictæ euacuationes sunt, sicut agaricus, & turbith, quos multum laudat Auerrois & Guiliermus, dicit quod

habet proprietatem curandi febrem phlegmaticam. Cum ergo minorare intendimus, fiat sic: Recipe caßiæ electæ ℥.i.dissoluatur in decoctione liquiritiæ, passularum, & fœniculi, addendo in dicta decoctione agarici electi & mundi.ʒ.i.zinziberis. ℈.i.aut loco agarici exhibeatur turbith in simili dosi & cum eodem correctiuo: Item dicit Nicolus quod de conuenientibus solutiuis sæpe sumendis, sunt pillulæ stomathicæ cũ turbith, positæ à Mesue in antidotario suo: Item posset dari de diaphenicone.ʒ.iii. uel 4.& hoc maxime ubi esset phlegma salsum, quia respicit tale phlegma & choleram, ut notum est, & loco eius posset exhiberi.℥.i.caßiæ fistulæ, & cum rheubarbaro, & agarico ana.ʒ.s.ita quod materia paulatim euacuetur, & in multis uicibus, & per interualla, et nõ subito procedatur, & à dosi similiter incipiendo minori tẽdẽdo ad maiorem, & hæc fuit sententia Isaac. Conuenit etiam euacuatio per uomitum, præcipue natura inclinante ad eum, nam dicit Auicenna quod est uehementis iuuamenti & ultimi huic ægritudini, & debet esse ante paroxysmum per aliquod temporis spacium, cum in principio paroxysmi rara accidat, quod poßit uomitus prouocari, quia æger grauatur frigore, secundum plurimum & somno à corporis grauitate. Ea uero quæ conueniunt ad uomitum prouocandum, sunt sicut aqua decoctionis raphani, aut sirupus acetosus, in quo raphanus sit infusus, cuius dosis sit.℥.iii.tepidus, aut detur aqua tepida in multa quãtitate cum.℥.i.oxymel.simplicis, & hoc est multum usuale, & in dicta aqua posset poni ad decoquendum de semine anethi, quod quidem iuuaret ad uomitum cum sit uomi

tus prouocatiuum, ut habet Auicenna secundo canone, capite proprio uult tamen quod uomitus non fiat usque ad 7. diem, ita quod materia receperit aliquam digestio nem, aliter posset nocere agitando materiam crudam, & illam educendo, & ubi talis uomitus laboriose fieret, posset esse causa debilitatis stomachi, & attractionis materiæ ad stomachum, & consequenter apostematis in eo. Vbi uero uomitus fieret in principio paroxysmi, natura inclinante ad eum, non retineatur nisi fatiget & debilitet ut dicit Auicenna & ut uult Galenus in terape. ad Glauconem, uomitus enim iuuantior est post administrationem ciborum, & post repletionem eorum, qui cibi sint iuuantes ad uomitum, incisiui & subtiliatiui, nam plures per talem uomitum semel factum sunt liberati. Cum uero est conueniens euacuatio per urinam, aut sudorem, inci piendo à medicinis debilioribus ad fortiores, post tenden do, ita quod quando ægritudo peruenerit ad statum possu mus dare trochis. de eupatorio, ut uoluit Rasis in diuisioni bus, & Auicenna in prouocatione urinæ laudat trochis cos de absinthio. Ad prouocationem uero sudoris compe tit euaporatio facta cum aqua calida, scilicet tam actuali liter quàm uirtualiter, ut facta cum chamomila & simili bus, & de modis prouocationis sudoris, & urinæ satis di ctum est supra. Quarta intentio cõpletur per ea quæ confortant stomachum & alia membra: de quibus quædam sunt quæ per interius administrantur. Per interius sunt, sicut confectio de xyloaloes, aromaticum gariophila tum, aromaticum rosatum, & istud est in communi usu: Item theriaca antiqua, & mithridatum, quod securius ad

ministratur, diatrion, pipereon, sed ista non conueniunt in tempore æstiuo, in complexione calida, & in ætate iuuentutis, ut dicit Nicolus de mente Haly Abbatis: Item laudatur mel rosarum, aut saccharum rosarum, aut dentur trochisci de rosis permixti cum melle rosato, aut sacchato rosato. Ab extra uero fiat inunctio circa regionem stomachi ex oleo nardino, aut masticbino, & sunt in usu.

Quinta intentio quæ est accidentium correctio, & quæ sunt, ut dolor capitis, uomitus superfluus: prostratio appetitus, cacexia, fluxus uentris superfluus, debilitas uirtutis quæ plurimum succedit fluxui, frigus ualde intensum in principio paroxysmi, præcipue in phlegmate uitreo, uel acetoso, completur si fuerit dolor capitis, ponendo extrema in aqua calida quantum sufferri potest, in aqua sit decocta chamomila & similia: Item fiant fricationes extremorum dolorosæ, & ligaturæ eorundem: Item applicentur uentosæ siccæ spatulis. Si uero accidens fuerit uomitus superfluus, exhibeatur sirupus de citoniis, aut de menta, aut de miua citoniorum cum speciebus, & ista multum sunt in usu, & aliquando datur sine speciebus quando timetur de calore febrili. Appetitus uero prostratio, ut dicit Auicenna remouetur per exhibitionem decoctionis uini, absinthij, dactylorum & meliloti, quod quidem medicamen potest exhiberi per interius, & per exterius, sed istud non est in usu, sed istud quod apud me est in usu, est administratio oliuarum conditarum, sed bene masticentur, quia difficilis sunt digestionis: Item credo non esse inutile si exhiberentur una uel duæ

anclud*æ* abiiciendo bene ab eis ſal per ablutionem ea-
rum in aceto uel uino. Fluxus uentris qui prouenit pro-
pter debilitatem hepatis in iſto caſu, Auicenna concedit
ſemen cuſcutæ. Ego uero laudo paſſulas cum arillis, ſed
bene maſticentur. Si uero fluxus fuerit propter debili-
tatem ſtomachi, confert maſtix & aniſum. Si propter de
bilitatem ſplenis, conuenit ſcolopendria. Si uero fuerit de
bilitas uirtutis, quæ ſequatur fluxum uentris, exhibean
tur pulli aſſati pro cibis ſuis, & adminiſtrentur boni odo
res, quia multum uiuificant uirtutem. Si fuerit cacexia,
quæ plurimum accidit propter debilitatem ſtomachi, &
oppilationem hepatis, unde non ſit bona digeſtio, in iſto
caſu conueniunt ſicut trochiſci de lacca, diacurcuma,
etiam multum eſt in uſu. Modus adminiſtrationis eſt ut
madefacias in aliqua aqua conuenienti aliquam nebulam,
& in ea inuolue diacurcuma & ſumat æger in modum pil
lularum. Si uero fuerit frigus intenſum utetur cum ex-
hibitione decoctionis ſeminis apij, aut detur ozimum ga-
riophilatum, aut theriaca antiqua, uel mithridatum. Ab
extra uero fiat inunctio toti corpori, præcipue circa ſpi
nam dorſi cum oleo de coſto, aut ſimilibus oleis calidis.
Sexta intentio completur exhibendo ſicut ozimum gario
philatum, aut pentaphilon, ſiue millefolium, & proprie
folia eius: Item dicitur quod ſanguis aſini acceptus ex au-
ricula eius, dando tres guttas, uel quatuor cum ℥. ii. aquæ
ante paroxyſmum per horam unam, quod deficit febris, ut
dicit Raſis 18. continentis: Item dicit Gordonius quod
gentiana bibita ante paroxyſmum cum uino calido mul-
tum operatur contra hanc febrem. Gentilis autem ſuper

capitulo de cura phlegmaticæ continuæ dicit, quod usus succi apij sirupizati cum saccharo confert, ita quod uidit quendam liberatum à febre phlegmatica interpolata, quæ durauerat per spacium sex mensium, & quod ille adolescens erat phlegmaticus, & dosis eius est. ℥. i. s. Cura uero phlegmaticæ continuæ est, sicut cura interpolatæ quantum ad regimen & res naturales, sed differunt in hoc quia omnia debent esse minoris frigiditatis propter calorem febris esse remißiorem, quare &c.

Cura sincopalis humorosæ.

P*Ro cura sincopalis humorosæ breuiter sunt tres habendæ intentiones, quarum prima est regimen in sex rebus non naturalibus, secunda uentris lenitio tertia euacuatio materiæ communis, & proprie quæ secundum quosdam medicinæ auctores perficitur per solas fricationes, & secundum alios completur per pharmacum solutiuum euacuans materiam propriam, prius tamen præcedente digestione. Quantum ad primam intentionem, & primo quantum ad aerem diuersificatur secundum diuersitatem temporum anni, nam in æstate debet esse decliuis ad frigidum, in hyeme ad calidum, in aliis autem temporibus ad temperamentum, ut* Nicolus *auctoritate* Galeni 12. *terap. & sit luminosior & clarior cuius causa de se nota est. Cibi à principio usque ad septimam diem sint, sicut mellicratum cum hyssopo uirtute consentiente, non consentiente uero uirtute danda est ptissana hordei, et aqua decoctionis pulli, ut dicit* Nicolus *, & ita*

moderno tempore hoc obseruatur, & ideo deuenimus usque ad pullam contusam, uel saltem usq; ad far hordei. Et *ita credo quòd uitelli ouorum possint concedi, ut patebit in capitulo febris sincopalis minutæ, quia prouenit a cholera in corporibus cholericis, in quibus est timor quod dicti uitelli ouorum corrumpantur, qui quidem timor nõ sic est in febri sincopali humorosa.* Et *ipsos ego aliquando exhibui infusos, & conquassatos in uino permixtos cum aqua buglossæ, ex quo cibo consecutus sum magnum honorem & iuuamentum.* Pro *potu licet* Serapio *omnino prohibeat uinum, & loco eius concedat aquam mellis cum hyssopo, uerum secundum sententiam plurimorum auctorem, & præcipue* Auicennæ *in capite proprio conceditur uinum à principio, & præcipue in senibus, non stante timore de agitatione materiæ, & hoc propter sincopim molestam trahens ad se curam, sit tamen uinum debile, aut limphatum cum aqua cocta.* Vbi *tamen febris esset ualde intensa, ut* Auicenna *loco præallegato, &* Rasis 10. *continentis, uinum tunc debet prohiberi, & loco eius concedit* Nicolus *aquam buglossæ cum saccharo, posset etiam administrari aqua hordei, cum radice apij, fœniculi, petrosilij, secundum modum dictum in capitulo de cura tertianæ non puræ.* Circa *motum, uitent omnes motus, ne propter materiæ agitationem fortior fiat sincopis, fricationes tamen conueniunt ut patebit.* Circa *somnum, uitetur somnus superfluus, quia prohibet materiam à resolutione, uitentur quoque uigiliæ superfluæ, quia uirtutem prosternunt.* Nocet *etiam somnus in hora sincopis, præcipitur uigilare, ut uult* Auicenna. 11. *ter-*

tij capitulo de sincopi, & ideo sit somnus minor uigilia. Circa inanitionem &c. uitet patiens omnem repletionem, similiter nauseatiuam satietatem. Circa accidentia animæ, adhæreat gaudio & lætitiæ, uitet tristitiam, timorem, sollicitudinem, & suspicionem. Secunda intentio completur per clysteria, quæ sunt iuuatiua ualde in hac ægritudine, quæ & qualia debeant esse, & quibus, & quo modo perficiantur satis patet ex præhabitis capitulis. Tertia intentio est euacuatio materiæ propriæ, in hac etiam diuersificantur auctores medicinæ, nam Galenus 12. terapeutices, & Auicenna capitulo isto uolunt, quod euacuatio fiat per fricationes, quæ debent esse gradatæ, incipiendo à debilioribus tendendo ad fortiores, & debent fieri cum mantili aspero, abradente cutem, ut dicit Auicenna, & incipiendo à cruribus & coxis tendendo ad superiora, & similiter fricando crura incipiendo ab humeris, tendendo uersus pedes. Et de modo fricationis recurrendum est ad Auicennã, & Auerrois in septimo collegit, & in capite de cura febris phlegmaticæ. Quidam uero aliter uoluere, de quorum numero fuit Alex. & Rasis 16. continentis, uolentes euacuationem fiendã esse cum pharmaco solutiuo, à quo dicit Nicolus honorabilius & tutius est desistere, tamen ut ipse magis asserit supra, consideranda sunt climata in hoc, ita quod in regionibus calidis humore phlegmatico existente, & etiam mucilaginoso, purgatio fieri posset cum pharmaco solutiuo, & maxime ut quidam dicunt in duobus casibus, quorum primus, est, uirtute existente forti, tolerante hanc euacuationẽ. secundus casus ubi materia esset in uijs

ductuum, aut in uijs satis propinquis euacuationi, in quibus casibus debet esse medicina solutiua fortis & debilis: fortis in uirtute, debilis in dosi, & sit partita in plures uices, prius tamen praecedere debet digestiuum, quod ut dicit Nicolus *debet esse oxymel simplex in principio, postea oxymel compositum & huiusmodi.* Cura *uero sincopalis prouenientis à materia cholerica uitellina, conueniens est euacuatio per uomitum, & uentris solutio, & fricationes debent esse leuiores quã in ea quae prouenit à materia phlegmatica.* Et *licet auctores, ut dicunt, relinquant eam tanquam notam, ego tamen credo quod euacuatio cum pharmarco stantibus casibus supra narratis, multo magis posset cõcedi, praecedente tamen digestione cum sirupo appropriato & conuenienti, ut sirupo acetoso simplici, exhibito cum aqua lupulorum, quia tale est digestiuum bonum in hac materia ut dicit* Nicolus. Et *haec de cura ista.*

Cura sincopalis minutæ.

PRo *cura sincopalis minutae cholericae quinque sunt habendae intentiones, quarum prima est debita regiminis administratio, secunda uentris lenitio, tertia causae abscißio, quarta prohibitio fluxus materiae cholericae ad stomachum, ex qua frequenter homo incurrit sincopim, quinta est administratio medicinarum confortantium membra principalia, & resistentium prauitati materiae & febri.* Quantum *ad primam intentionem, & primo quantum ad aerem, aer debet esse frigidus & hu-*

midus,& hoc ut cutis inspissetur,& prohibeatur spiritus à resolutione,& ut resistatur calori febrili,& qualiter hoc fiat patet ex causis præhabitis, præcipue capitulo de tertiana pura. Cibi uero sint sicut panis de simila infusus in succo granatorum, & ptisana hordei, cum succo granatorum. Conceduntur etiam carnes ut pullorum: Item carnes hœdorum, phasianorum, & perdicum, præcipue quia cordiales sunt,& ad frigidum declinantes, ut apparet ab Auicenna 11. tertii cap. de tremore cordis calido. Conceduntur etiam à Galeno 12. terape. uitelli ouorum qui sunt facilis digestionis,& ut credo melius esset infundere in aqua rosarum, aut simplici ante eorum decoctionem,& postea cum fuerint decocti præparentur cum aliquibus alterantibus ad frigidum, ut cum succo arantii, granatorum acetosorum, uel muzorum,& similium, cum quibus carnes dictæ præparantur. Conceduntur etiam pisces, carnes duras habentes. Olera etiam conceduntur sicut lactuca huiusmodi. Fructus qui conceduntur, sunt sicut prædicta al. pruna modicæ tamen quantitatis exhibeantur, ne uirtus grauetur. Potus sit uinum aquosum non uetustum, nec est timendum de exhibitione uini propter calorem febrilem, quia ut uult Auicenna 11. tertii capite de sincopi Quando aggregantur febris & sincopis, tunc sincopis est dignioris curæ. Circa motum &c. utendum est quiete,& euitandus est motus, præcipue fortis, imò etiam uitari debent fricationes, & præcipuè fortes quæ tamen conceduntur in sincopali humorosa. Nam in tali febre nocent, quia attrahunt spiritus ad exteriora,& aperiunt porositates unde spirit

tus exhalant, & ideo Galenus in loco allegato, uult quod patientes fricandi non sint, ueruntamen ut uoluit Nicolus in actu sincopis conceduntur, cuius causam puto esse ut spiritus qui sunt sepulti in corde, in tali tempore ad exteriora trahantur, & non remaneant suffocati. Somnus & uigilia omnino uitentur, si sint superflua, & præcipue uitandus est somnus in actu sincopis, sicut dictum est in febre sincopali humorosa. In aliis autem temporibus concedi debet, & amplior quàm in febre sincopali humorosa propter causam satis dictam. Inanitio & repletio superflua nocet, etiam repletio tam cibi quàm potus. Cibus enim debet esse modicæ quantitatis, & facilis digestionis & partiendus est pluribus uicibus, & in actu sincopis propter accidens molestum remouendum, conceditur cibus. Vnde Galenus loco allegato uoluit quod detur parum panis in quo sit parum uini, quia dicit quod citam facit reditionem, siue releuationem. Accidentia animæ. uitet iram & moderate gaudeat, & hæc de regimine. Secunda intentio quæ est uentris lenitio, siue materierum fecalium eductio, perficitur maxime per clysteria quæ in isto casu sunt ualde iuuatiua, quæ qualiter fieri debeant, satis patuit in aliis curis. Sed ubi clysteria fieri non possunt, præcipue uirtute existente debili, loco clysteriorum fiant suppositoria sed communia, quæ minus debilitant, ut Galenus tertio regiminis acutorum commento ultimo. Tertia intentio completur per medicinas leues, frigidas et stipticas, membra confortantes quæ sunt, ut uoluit Franciscus de Pedemontium in additionibus Mesue, ut succus rosatus, succus granatorum ex

pressorum

pressorum, cum pulpis suis,tamarindi & rheubarbaro, quod numeratur ab eo in numero medicinarum frigidarum,quod puto esse paucæ caliditatis.& apud me mirobolani citrini essent meliores in casu isto, & credo quod melius esset exhibere aliquod digestiuum prius,si ægritudo traheret inducias ad se. Et si auctores non fecerint mentionem de digestiuis,hoc contingit propter uenenositatem & furiositatem materiæ,quæ non expectat digestionem, & ita credo quod minorata materia & consequenter expectante digestionem,quod si in reliquum uolumus digestiuum exhibere illud esset,ut sirupus acetositatis citri, oxisacchara, sirupus acetosus simplex,uel de succo acetosæ,& cum aquis appropriatis, & cicoreæ, & endiuiæ &c. Quarta intentio completur dando panem infusum in uino granatorum acetosorum, aut muzorum,uel in succo arantii,& talis panis debet esse assus in principio paroxysmi,uel ante paroxysmum. Quinta intentio completur per medicinas, quarum quædam per interius, quædam per exterius administrantur.Per interius est,ut confectio triasandali,& saccharum rosatum,& huiusmodi quæ sunt in communi usu apud modernos. Per exterius uero,ut dicit Auicenna, oportet ut hepithimetur pectus,scilicet circa partes cordis exaqua rosarum,& sandalis,& de modo faciendi satis habitum est in capite de cura causonidis,quare &c.

Cura quartanæ puræ.

PRo cura quartanæ puræ,siue ueræ septem erunt intentiones habendæ. Quarum prima,est debita regi

minis administratio. Secunda, uentris lenitio. Tertia, digestio. Quarta, digesti euacuatio. Quinta, membrorum cõfortatio. Sexta, accidentium correctio. Septima, enumerabuntur quædam medicinæ ab auctoribus positæ à proprietate conferentes. Quantum uero ad primam, inciepiendo primo ab aere, aer debet esse calidus & humidus, ideo non debent igni appropinquari, sed sint sufficienter cooperti pannis. Cibi sint sicut ptisana hordei, ius gallinæ, & ius cicerum in declinatione tamen, præcedentibus digestione, & euacuatione in materia: Item carnes pullorum, pullarum, caponum, hœdi, agnorum. Vnde caro mutonis dicitur habere mirabilem proprietatem contra melancholiam, ut dicit Nicolus auctoritate Albucasis libro de cibis. Et dictæ carnes potius debent esse elixatæ quam assatæ. Conceduntur etiam pisces petrosi, & oua mollia. Olera etiam quæ conceduntur, sunt sicut borago, buglossa, spinachia, blites, & huiusmodi. Fructus sunt sicut amygdalæ, passulæ, cappares conditi, & huiusmodi. Potus sit uinum album debile, aut limphatum cum aqua cocta, non acerbum, nec dulce, nouum, nec uetustum; & in fine factis euacuationibus conceditur purum & uetus, ut habetur à Rasi 10. Almansoris. Motus & quies. competit deambulare tempore quietis, præcipue per loca delectabilia & ante cibum, & emissis superfluitatibus primæ & secundæ digeistonis. In die uero paroxysmi abstineant à motu, ut quiescant humores. Somnus & uigilia: adhærеant somno magis quam uigiliæ, sed in principio paroxysmi abstineant à somno. in declinatione uero somnus æstiuuatiuus ualde. Inanitio & repletio: uitent quoque

omnem repletionem superfluam,& nauseatiuam satietatem,sed in die paroxysmi abstineant à cibo, si poßibile est, constante uirtute. Regimen tamen sit grossum respectu aliarum feb.putrid.& hoc propter longitudinem eius,nisi sit in regimine tentatiuo usque ad tres hebdomadas,ut Auicenna dicit.uel per aliquod huiusmodi tempus possumus exhibere huiusmodi regimen subtile,& ubi uideremus, non obstante tali regimine,ægritudinem non remoueri, nec diminui,siue eradicari,tunc utendum est regimine ingrossatiuo propter causam dictam. Accidentia animæ.gaudeat & lætetur, unde Auicenna laudat multum patientem adhærere delitijs.Rasis tamen 18.continentis,uoluit quod timor subito inductus poßit à quartana liberare, puta ægrum subito cum ense inuadendo. Secunda intentio est lenitio uentris,quæ qualiter & cum quibus perficiatur satis patet ex his quæ dicta sunt in aliis curis.inter cætera tamen lenitiua,laudatur à Nicolo caßia fistula dissoluta in aqua decoctionis florum boraginis, buglossæ,sticados,& huiusmodi.Tertia intentio completur dando sirupum acetosum simplicem, quo quidem sunt contenti practicantes à principio ægritudinis,ut dicit Nicolus, in quo sit permixtum mel rosatum, & credo quod conueniat sirupus de epithimo. In proceßu uero competit sirupus de bisantijs , quia cum apertione sua etiam iuuat sua humiditate,quæ humiditas multum necessaria est in febre ista,quia omnes indigent humectatione, & ubi calor febrilis esset intensus ualde, præcipue in tempore paroxysmi, non inconueniens esset administrare secum sirupum uiolarum, quoniam iuuaret

sua frigiditate extinguendo calorem febrilem, & iuuaret sua humitate extinguendo siccitatem humoris, & remouendo eam.

Quarta intentio perficitur per administrationem phlebotomiæ, de basilica sinistra, & dum extrahitur sanguis, consideretur quis sit color eius, & si sit niger, permittatur exire usque ad quantitatem opportunam, habendo tamen respectum ad uirtutem, si autem rubeus, claudatur uena, ut non ulterius exeat sanguis. talis phlebotomia, non solum à principio, sed etiam ab auctoribus conceditur in processu, & Ab Auicenna *conceditur in principio, ut quando propter usum medicinarum calidarum supercalefactus esset sanguis, aut ex calore febrili intenso, aut peccaret propter retentionem hæmorroidarum, aut menstruorum fluere solitorum.* Vnde *in tali casu conueniret phlebotomia parua tamen, & facta in saluatella sinistra, quia talis minus debilitaret uirtutem, quàm phlebotomia brachii, ut apparet ex dictis* Gentilis *undecima tertii super caput de cura uniuersali tremoris cordis, etiam ex dictis ab* Auicenna *tertia quarti capite de cura lepræ.* In *secundo autem casu, scilicet si fuerit retentio hæmorroidarum, aut mestruorum, conueniens est phlebotomia in saphenis ambabus, aut saltem in una, & quæ etiam phlebotomia sit parua, ne nimis debilitetur uirtus considerata prolixitate ægritudinis.* In *euacuatione uero per pharmacum solutiuum, ubi intendamus minorare materiam, conuenit dare ℥.i. diacatholiconis aut ℥.i. aquæ lactis cum saccharo in qua infundantur ʒ.i. folliculorum senæ, & hoc quidem est multum usuale apud modernos*

practicantes. Et ubi timeremus multum de caliditate intensa, præcipuè tempore æstiuo, conueniret dare aquam lactis solam, aut decoctionem mirobalanorum chebulorum, & indorum, & hæc euacuatio debet esse in pluribus uicibus, ut ait Serapio & Rasis decimo Almansoris, ne euacuetur subtile, & remaneat grossum. Cum tamen materia fuerit digesta, possumus euacuare eradicatiue, euacuando in pluribus uicibus, & non in una die solum. Laudatur etiam ab Auicenna euacuatio per uomitum. Inquit enim Auicenna, uomitus quidem in principio paroxysmi, aut alleuiat paroxysmum, aut eradicat eum, et hoc si talis uomitus fiat ad educendum materiam communem existentem in stomacho, potest etiam fieri quocunque tempore. Si uero fiat ad educendum materiam propriam, securius est ipsum facere post digestionem, sicut facto solutiuo per uentrem. Conceditur etiam in processu ægritudinis euacuatio per urinam & sudorem. Quinta intentio: breuiter concludendo recurrendum est ad proprias fen. pro corde ad undecimam, pro stomacho ad decimamtertiam, pro hepate ad decimamquartam, pro splene ad decimamquintam, & sic de aliis. Sexta intentio quæ est accidentium correctio, quorum accidentium magis molestum est frigus, siue rigor ualidus. Ad cuius accidentis remotionem, & si plura medicamina ab auctoribus medicinæ sint posita, inter cætera dicit Nicolus fiat inunctio ad spinam dorsi apud ignem magnum, ex theriaca sex annorum uel circa cum qua sint permixta, parum spicenardi, & gariophili, & calami, apud ignem cum uino uel oleo, inungatur locus dictus. Et ali

qui faciunt dicto loco inunctionem cum oleo rutaceo, aut costino. Per interius uero exhibeatur theriaca antiqua, aut mithridatum, aut confectio diatrion pipereon, aut confectio de assa, sed non est in usu. Et *ista quidem medicamina non debent administrari, nisi digesta materia, aliter esset timor ne componeretur quartana cum quartana, ut dicit* Auicenna, *&* Galenus *in libro de prognosticatione, narrat historiam de* Eudemo Romano, *ad hoc propositum uide eum. Septima intentio completur per medicinas quæ à proprietate conferunt, & sunt sicut radices plantaginis quatuor, datæ in potu cum ℥. 4. uini, & tantundem aquæ, ut dicit Serapio:* Laudatur *etiam pentaphillon & similiter millefolium.* Dioscorides *etiam dicit, quod si sumantur septem cimices in faba, in potu cum uino quod curant quartanam.* Dicit *etiam* Nicolus, *quod si fiat inunctio ex sanguine asini circa spinam dorsi quod curat quartanam. Dicit etiam quod habuit à fide digno, quod si capiatur æs nouum nunquam tamen elaboratum, & nouem diebus igniatur, & totidem extinguatur in succo chelidoniæ, deinde ex eo fiat annulus qui in digito annulari manus sinistræ teneatur, quod curat quartanam. Multa alia & infinita ponuntur ab auctoribus præcipue à* Nicolo *quæ gratia breuitatis omitto &c.*

Cura quartanæ non puræ.

PRo *cura quartanæ non puræ,* Primo *uidebitur qualis debet esse cura, quantum ad regimen in sex rebus non naturalibus. Secundo ad medicinalia deueniemus.*

Quantum ad dietam in cura quartanæ non puræ, factæ per adustionem humorum, qualiscunque fuerit dieta, debet declinare plus ad humidum, & minus ad calidum. Et ubi fuerit à sanguine adusto, uel cholera adusta, esset maior indigentia in infrigidatione, incipiendo ergo ab aere, aer debet esse humidior. Et si fuerit à sanguine adusto, uel cholera adusta, aer debet esse frigidior quam in quartana, proueniente à phlegmate adusto, aut melancholia naturali adusta. Cibi sint sicut ptisana hordei, far hordei, amygdalatum. Olera sint, sicut blites, borago, lactuca in cholera adusta. Carnes sint sicut pullorum gallinarum, caponum, phasianorum, perdicum, turturum, & qualearum, hæc omnia à Nicolo conceduntur: Item alæ anserum & anatum: Item carnes hœdi, & agni annualis, castrati iuuenis: Item hepata gallinarum, testiculi gallorum nondum coeuntium: Item laudantur pisces petrosi. Et si placet facere epulum gratum infirmis, quod in colore est album, capiantur pulpæ dictarum carnium, scilicet pullorum uel piscium, & contundantur, deinde cum lacte amygdalarum dulcium, & cum saccharo, simul cum brodio leuiter decoquendo fiat deinde epulum. Et si placet condire cum speciebus, præcipue in illa quæ est phlegmatica in qua habenda est consideratio de confortatione stomachi, & præcipue de eius digestiua. Species sunt sicut cynnamomum in modica quantitate. Fructus qui possunt exhiberi, sunt sicut passulæ, cappares conditæ, amygdalæ mundæ, melones, & persica in cholera adusta. Persica quidem sunt cõcessa ab Auicenna nisi timeatur putrefactio. Melones nisi timeatur prouocatio urinæ. Potus sit ui-

num album lene, & cum aqua cocta limphatum, considerata uirtute & consuetudine. Motus & quies. *Motus debet esse paruus respectu quartanæ non ueræ.* Somnus etc. *Somnus debet esse prolixior uigilia.* Inanitio &c. *Dieta debet esse minus grossa, præcipue in phlegmatica, uel cholerica quæ ut plurimum sunt minoris durationis respectu aliarum.* Accidentia animæ. *Gaudium & moderata lætitia conueniunt.* *Circa medicinalia condescendendo breuiter. Si fuerit à phlegmatæ adusto: primo præcedat uentris lenitio, quæ & qualiter fieri debet, satis dictum est. Post deueniendum est ad digestionem materiæ, dando oxymel simplex, permixtum cum melle rosato colato, uel loco eius detur sirupus acetosus de sacchàro ubi timeretur de calore febrili. In processu uero sirupum acetosum compositum cum aquis appropriatis, puta scolopendriæ, apii, fœniculi, & similium. Digesta uero materia fiat euacuatio cum decoctione polypodii, epithymi, & turbith, aut agarico, in qua dissoluatur caßia fistula, uel diacatholicon. Et doßis eorum stat in æstimatiua medici, habendo considerationem ad ætatem &c. Item loco dictæ medicinæ posset administrari electuarium indum, quod quidem est in usu, et cum decoctione passularum, scolopendriæ, sticados & similium, aut loco eius aliqui dant de diasene, sed non est in usu in* Papia. *Conceditur etiam euacuatio per uomitum, & est utilis in hoc casu, & quæ fit cum oxymelle simplici, dissoluto in aqua decoctionis seminis anethi. Confortatio stomachi fit tam per interius quàm per exterius administrata. Per interius cum aromatico rosato descriptione communi, aut* Gabrielis, *& est mul-*

tum in usu, aut cum saccharo rosato, aut melle rosato, aut cum aromatico gariophilato, sed est parum in usu. Ab extra uero fiat inunctio cum oleo masticino, aut nardino. Si uero fuerit ex cholera adusta, præsupposita uentris lenitione, quæ fit ex decoctione prunorum, uiolarum, in qua dissoluatur caßiafistula, uel mannæ, uel diacatholiconis. ℥. i. sirupus uiolarum. ℥. s. uel circa. Digestio autem fit cum sirupo acetoso simplici, aut oxisacchara addendo de sirupo uiolato, propter humectationem suam, sicut superius dictum est. Omnes enim istæ quartanæ indigent humectatione, ut dicit Nicolus capite de cura quartanæ continuæ, auctoritate Guilielmi, uoluit quod non negligenda sit humectatio, quia calida quartana obtundit, & siccitatem materiæ melancholicæ destruit. Euacuatio fit postea cum infusione mirobolanorum citrin. & indorum, in aquis endiuiæ, fumiterræ, & buglossæ, aut in aqua lactis quæ dicitur mater infusionum à me, capite proprio. Et ut uult Auicenna, ubi caliditas esset uiolenta, posset sola aqua lactis administrari, nisi in eo in quo stomachus esset remollitus, aut in eo dominaretur humor frigidus, & humidus, tunc enim non datur aqua lactis, ut uult Auicenna. Et ubi esset opus phlebotomia, puta quia materia esset sanguini mixta, tunc posset fieri de basilica manus sinistræ, secundum quod dictum est in cura quartanæ de sanguine adusto. Si uero fuerit ex sanguine adusto, prius facta lenitione uentris fiat phlebotomia ex basilica manus sinistræ, deinde pro residuo materiæ derelictæ, illam digeres cum sirupo conuenienti, dicto in cura quartanæ prouenientis à cholera, postea detur solutiuum tale: Recipe

caßiæ fiſtulæ, diacatholiconis ana.℥.s.uel ana.ʒ.s.cum decoctione paſſularum, liquiritiæ, capilli ueneris, ſcolopendriæ, fumiterræ, florum bugloſſæ, & boraginis, in qua quidem decoctione diſſoluantur prædictæ medicinæ, ſcilicet caßia, & diacatholicon, & hæc quidem medicina ſatis eſt conueniens, & ſufficiens in caſu illo in quo uult Auicenna, quod euacuatio ſit leuis, ſubtilis, & debilis. Si melancholia fuerit naturalis aduſta, quamuis illa nunquam aut raro reperiatur, cura eius eſt ſicut cura quartanæ ueræ, addendo humectantia & remißiora calefacientia. Cura quartanæ continuæ eſt, ſicut cura interpolatæ, uerum differt in tribus. Quorum primum eſt quantum ad infrigidationem, quæ debet eſſe maior propter aßiduitatem caloris febrilis. Secundum eſt quod phlebotomia plus & audacius conceditur quam interpolata, & eſt magis neceſſaria, ſcilicet ubique, ut dicit Nicolus: Tertium eſt circa adminiſtrationem regiminis, quod debet eſſe ſubtilius, quia eſt breuioris terminationis. Item uniuerſaliter debet eſſe minus calidum propter cauſam dictam, ſcilicet propter aßiduitatem febris, & ſic eſt finis.

Cura febris hecticæ.

CVra hecticæ conſiſtit in duabus intentionibus generalibus, quarum prima eſt debita adminiſtratio rerum non naturalium, ſecunda eſt adminiſtratio medicinarum conferentium hecticæ.

Quantum ad primam incipiendo ab aere, aer in æſta-

te debet esse decliuis ad frigidum, ut uult Rasis 10. Almansoris, & qualiter fiat satis patet ex alijs capitulis. Cibi sint sicut panis infusus in aqua frigida, aut sit lotus in ea bis uel ter, & postea infusus in uino albo delectabili, & bene limphato: Item confert ptisana hordei, & carnes sint sicut hœdi, phasianorum, perdicum, paruarum auium, & pullorum, & præcipue alæ prædictarum auium, & testiculi gallorum nondum coeuntium in lacte nutritorum, & sine lacte: Item carnes caponum nutritorum ex amylo & frumento. Pisces petrosi & nati in bonis aqis dulcibus: Item cancri fluuiales, testudines, limaciæ, & ranæ: Item oua sorbilia, præcipue in aqua decocta: Item caseus recens non salitus: Item lac, non existente febre putrida coniuncta, ut dicit Serapio, de quo lacte infra magis dicetur. Olera sint sicut lactuca, portulaca, blitis, cucurbita, malua, & spinachia, & similia. Fructus sint sicut cerasa, pruna, mora, persica, granata, præcipue muza, melones indi, cucumeres, citruli, poma arantia, ficus humidæ, uua bene matura, sed in parua tamen quantitate. Potus sit aqua hordei, aut uinum album, debile, subtile, clarum aromaticum, & cum aqua limphatum, & tam cibi quàm potus debent esse actualiter frigidi, & plus declinantes ad humidum quàm ad frigidum, quia in febre ista plus indigemus humectatione quàm infrigidatione, ut uult Auerrois 2. colliget. Motus & quies: uitetur motus, utatur quiete, aliquis tamen motus paruus & mitis ante cibum coueniens est, & similiter lenis fricatio, præcipue cum intendimus somnum prouocare, quia iuuat, ut Rasis dicit loco præallegato. Somnus & uigilia, somnus

debet esse prolixus, unde Auicenna dicit, quod oportet ut hecticus declinet ad quietem, tranquilitatem, scilicet animi & somnum, & uitet quantum potest instantiam uigiliarum. Inanitio & repletio. uitet repletionem superfluam, etiam ieiunium, & ideo ut uult Auicenna, non debet tolerare famem, aut sitim. Dieta tamen debet magis declinare ad grossum quam ad subtile, propter prolixitatem morbi, sed quia uirtus est debilis, non potest regulare multam quantitatem cibi in una uice, ideo oportet partire in multis uicibus, ut puta ter in die naturali, & cœna debet esse amplior prandio, & debent cibi esse facilis digestionis, boni nutrimenti, non tamen faciliter dissolubilis in corpore. Accidentia animæ. gaudeat & lætetur moderate. Secunda intentio principalis quæ est circa medicinalia conuenientia, quatuor habet intentiones, quarum prima est ad causam febris hecticæ, non neglecta tamen febre, secunda est ad hecticam febrem, prout hectica est, tertia est ad dispositiones complicatas cum ipsa febre hectica, quarta est ad accidentia coniuncta cum causa. Prima intentio completur per ea quæ contrariantur ipsi causæ, ut si fuerit ulcus in pulmone, aut in pectore, sicut contigit in phthisi debent remoueri ipsa ulcera non negligendo tamen curationem febris hecticæ. Et similiter si fuerit tristitia quod administretur contrarium, scilicet lætitia. Si fuerit ira remoueatur cum patientia, ut dicit Isaac, & sic intelligendo de aliis causis, de quibus esset prolixum narrare. Secunda intentio completur per medicinas frigidas & humidas, & quamuis Auicenna concedat trochiscos de camphora, qui sunt sicci, intelligi de-

bet, quod non admittantur soli, sed mixti cum aliqua re humectante: ut cum sirupo uiolarum, aut simili, ut uult Nicolus. Ad hanc etiam intentionem confert aqua hordei cocta cum cancris fluuialibus, & modus faciendi eam est, ut accipiantur cancri fluuiales recentes, & euellantur cortices, & extrema ab eis, & abluantur cum aqua frigida, cinere, & sale tribus uicibus, & plus donec remoueatur ab eis ille odor grauis, deinde lauentur iterum cum aqua frigida sola, postea conterantur & coquantur cum aqua hordei excorticati, dosis istius aquæ est lib.s. Ad hanc intentionem ualet sicut iulep uiolatum, sirupus uiolarum, sirupus de papauere, & ista possunt administrari permiscendo cum aqua frigida, aut cum aqua endiuiæ: Item laudatur sirupus de iuiubis, Item electuarium restaurativum descriptum à Gordonio, & multa alia restaurativa. Electuaria sunt descripta à practicis, præcipue à modernis de quibus esset longum dicere, sed inter cætera apud practicos modernos, & excellentes uiros laudatur unum electuariũ descriptum à Francisco de Pede montiũ quod dicit esse expertũ, & confert tã in hectica febrili quã in hectica senectutis, hæc.n. electuaria restauratiua iuuãt, propterea quod ultra hoc quod humectãt, et restaurant, unde Auicẽna uult quod omnes medicinæ quæ conueniunt in tali febre hectica, sint frigidæ & humidæ, & cum hoc nutritiuæ: Item in hac intentione multum confert lac humanum quod sugitur ab ubere, aut lac asininum, quod apud aliquod magis commendatur propter humiditatem suam, & eius subtilitatem, unde faciliter transit in nutrimentum, & debet eligi asina iuuenis, quæ

sit in colore flaua propinqua partui per duos uel tres menses, & eius lac sit bonæ substantiæ, quod cognoscitur cum destillatur super unguem, aut speculum, quia non extenditur uersus latera, & debet nutriri asina ex herbis frigidis & humidis, sicut endiuia, lactuca, & similibus, dosis eius sit incipiendo primo à pauca dosi, ut Auicenna *dicit.* ʒ.x. *postea deueniendo usque ad* 30. Franciscus *de* Pede *montium, incipit à quātitate.* ʒ.iii. *& postea ascendit usque ad.* ʒ.iiii. *aliqui à principio incipiunt à quantitate* ʒ ii. *& postea ascendunt usque ad lib.s. & ego do.* ʒ.iii. *usque ad* 4. *& debet dari stomacho ieiuno, & causa propter quam experitur in modica quantitate, est ne sequatur læsio corporis, & sequatur febris putrida.* Signa *autem læsionis sunt augmentum, sitis, angustia, anhelitus, & calores recepti apparent, quæ quidem accidentia quando sciuntur, tunc abstinendum est à lacte, & etiam est abstinendum ab eo ubi febris putrida coniuncta fuerit, sicut supra dictum fuit nisi lac esset factum acetosum, & esset prius extractum butyrum.* Modus *autem faciendi lac acetosum est positus ab* Auicenna, *capitulo de cura phthisis, & debet sumi stomacho ieiuno, & debet esse nouiter mulctum ab ubere ne corrumpatur.* Ab *extra ualet inunctio facta dorsum cum oleo uiolato, & istud communiter est in usu apud me.* Item *laudat* Franciscus *de* Pedemontium *quoddam cerotum, quod dicit esse expertum, cuius descriptio uideatur ab eo:* Item *confert epithima ad pectus frigidum uirtualiter, non tamen actualiter, ut dicit* Nicolus, *debet administrari ante cibum, & & Rasis dicit loco superius allegato, laudatur ab aucto-*

re balneum ex aqua frigida, sed ut dictum est de mente Gentilis in capitulo de cura putridarum in generali apud modernos non est in usu. Tertia intentio est ad dispositiones complicitas cum ipsa febre, quarum inter cæteras plurimum reperitur febris putrida, unde in casu isto interdum oportet administrare solutiua, quæ non conueniunt in cura hecticæ, ut hectica est, cum sit immaterialis, sed ratione putridæ quæ plurimum causatur propter indigestionem, ex qua aggregantur superfluitates multæ, quæ sunt à corpore euacuandæ, sed non cum pharmaco solutiuo forti, propter timorem exiccationis, & debilitatis uirtutis, sed cum pharmaco solutiuo debili & leni euacuandum est, qualia sunt cassia, manna, mirobolani, qui licet sint sicci, tamen laudantur ab Isaac, sed puto quod debent esse permixti cum medicinis lenitiuis dictis, aut cum sirupo uiolato.

Quarta intentio est correctio accidentium coniunctorum cum ipsa febre hectica, quæ ut plurimum sunt sicut sincopis, fluxus uentris, & tussis, unde si fuerit sincopis curatur dando aquam carnium hœdi, aut aliarum carnium laudabilium supra scriptarum, & permiscendo succum de succo pomorum macianorum & similium, ut puta de succo granatorum, & cum decima parte uini odoriferi, aut ut dicit Serapio, detur uitellus oui sorbilis, & rorctur facies sæpe cum aqua rosarum. Fluxus uentris curatur exhibendo in potu lac acetosum à quo extractū est butyrum, & similiter exhibendo in potu trochiscos de spodio constrictiuos, ut dicit Rasis loco sæpe allegato. Et ubi modo esset uentris stipticitas leniatur uenter cum

manna, aut caßia, aut cum decoctione prunorum & similium, aut fiat clystere ex brodio pulli, aut uitellis ouorum cum saccharo rubro, & oleo uiolato, & tale clystere est singularißimum, & ego frequenter utor, habita intentione ad restaurandum, liniendum, infrigidandum, & humectandum. Tußis curatur, *si fuerit secundum quod plurimum contingit complicita cum fluxu uentris, tunc detur sirupus myrtinus, & teneat sæpe in ore diadragantum lambendo.*

Cura hecticæ senectutis.

Cvra huius consistit in duabus intentionibus generalibus, quarum prima est circa debitum regimen, secunda est circa administrationem medicinarum. Prima intentio, *aer debet esse calidus & humidus, & quomodo fiat, satis dictum est in capitulo de cura quartanæ.* Cibi *sint calidi & humidi, facilis digestionis, uelocis descensionis à stomacho, & facilis penetrationis ad membra, non habentes superfluam uiscositatem oppilantem, & sint multi nutrimenti, & isti sint, sicut carnes pullorum, & uitelli ouorum, lac humanum quod ab ubere sugitur, aut lac asininum, lac enim multum ab auctoribus commendatur, quod tamen debet esse decoctum cum lapidibus fluuialibus ignitis, tale enim dicit* Auicenna, *esse ultimi nutrimenti, & carnes suprascriptæ possunt præparari cum aliquibus speciebus, puta cum cinnamomo, gariophilis, & similibus, ut iuuetur digestiua membrorum naturalium, ut stomachi & hepatis, unde cibaria taliter*

præparata

præparata meliùs digeruntur, & tales species laudantur à Nicolo auctoritate Constantini. Potus sit uinum debile, subtile, odoriferum, non nimis antiquum, ne corpus desiccet, & sit paucæ quantitatis, ne nimis grauetur stomachus. Motus & quies. modicus motus & facilis, & paulatim factus in loco amœno est conueniens. Somnus & uigilia. Vitet uigiliam præcipue superfluam, quantum potest & adhæreat somno, quoniam iuuat humectando, non tamen sit nimis superfluus. Inanitio & repletio. abstineat à fame & siti, & ieiunio, sit tamen cibus modicæ quantitatis, ita quod non sumatur multa quantitas cibi in una uice, sed partiatur in multis uicibus, & abstineat à coitu. Accidentia animæ. gaudeat & lætetur, & forte aliqua ira conuenit, ut dicit Nicolus. Secunda intentio quæ est debita administratio medicinarum, in ea conueniunt medicinæ quæ calefaciunt, incipiendo semper à debilioribus & ascendendo ad fortiores, medicinæ leues sunt sicut mel, aut mel rosarum, fortiores sunt sicut zinziber conditum, & ad hoc fortiores sunt sicut dianuscus, theriaca, & mithridatum. Ab extra uero fiat inunctio ad uentrem cum oleo masticino, aut nardino. De his etiam quæ per interius sumuntur, laudantur clysteria facta ex decoctione capitum & pedum agni, permiscendo secum de chamomila, anetho, & similibus, & decoquendo in dicta decoctione, postea ponendo de oleo sisamino, aut de amygdalis dulcibus, quando dictum oleum non potest haberi, nam talia clysteria quæ sunt calida et humida, & restaurativa, laudantur à Serapione, & etiam ab Auicenna, & similibus clysteribus ego usus sum in Augustino

de Biscoßis Papiæ & liberatus est. Laudantur etiam bal nea facta cum chamomila, & similibus à Serapione po sitis, & ego feci addere in dicto balneo de capitibus & intestinis agni, & inueni multum iuuare, & multum im pinguare, & sic est finis becticæ senectutis.

Cura febris pestilentialis.

C*Vra febris pestilentialis in duabus consistit in tentionibus generalibus. Quarum prima est cir ca debitam administrationem in sex rebus non naturali bus. Secunda est circa administrationem medicinarum conferentium in curatione eius, quamuis parum respi ciat illam, iuxta doctrinam Auicennæ in principio capi tuli signorum febris huius dicens: Hæc febris est quieta exterius, conturbans interius, secundum plurimum per dominans. Prima intentio debet esse decliuis ad frigi dum, & potius ad siccum quàm ad humidum, ut resista tur putrefactioni aeris & eius malignitati, fiat ergo sic, roretur camera, aut locus habitationis ex aceto & aqua, & præcipue rosarum, & cum sandalis, & cum campho ra, nisi uehemens esset instantia uigiliarum, aut multum timeretur de prostratione appetitus, quæ dispositio sæpe contingit in patientibus febrem pestilentialem, in quo ca su uitanda tunc esset camphora iuxta poßibile, quia de iicit appetitum, conuenit etiam ponere in camera de fo lijs salicum, & uitium, iuxta modum positum in alijs capi tulis, maxime in capitulo de cura tertianæ puræ, & ut dicit Nicolus, bonum est, ut infirmus transportetur de*

una camera ad aliam odoriferam, & postea camera recti ficetur secundum modum dictum. Cibi debent esse facilis digestionis propter debilitatem uirtutis, quæ communiter coniungitur propter uenenositatem materiæ, & ideo debent esse tales, ut poßint bene digeri, unde cibi qui conceduntur in hac ægritudine, primo incipiendo à pane, cum sit in communi usu magis quam alii cibi, & ferè in omni ægritudine debet esse panis de bona farina, & bene fermentatus, & in quo, tempore fermentationis ponatur parum aceti. Fercula sint sicut ptisana hordei, & panatella, prius bene lauando panem, ter, aut bis, secundum modum dictum alias, præcipue in cura tertianæ puræ: Item laudatur ferè ab omnibus auctoribus medicinæ lac acetosum à quo est extractum butyrum. Carnes quæ conceduntur sunt, sicut carnes hœdi, aut uituli, aut uitulæ lactantis: Item carnes pullorum, phasianorum, perdicum, auium paruarum & minutarum, & debent esse dictæ carnes præparatæ assando & non elixando, nec debent esse multum pingues & unctuosæ, nam elixa & unctuosa uitari debent quantum poßibile est, ut dicit Nicolus, & debent esse præparatæ cum aceto, seu cum aliis rebus acetosis, ut cum agresta sicut arantii, aut limonum, & similium, & debent comedi actu frigidæ, omnes enim cibi & etiam potus, ut dicit Nicolus debent esse actu frigidi. Olera quæ conueniunt sunt sicut blites, endiuia, lactuca, portulaca, cicorea, & acetosa præcipuè, & ista et am conueniret præparare cum rebus dictis acetosis, conceduntur etiam uitelli ouorum similiter præparati cum aceto, & aliis rebus acetosis dictis, ut uult Rasis in di-

diuisionibus. Fructus *qui conceduntur sunt sicut limones, pruna, arantia, succus citri, granata, muza, aut acetosa, pruna mediocriter matura.* Ista *tamen debent sumi in mo dica quantitate & sæpe, nisi aliquod accidens impedierit, ut dicit* Franciscus *de* Pede *montium.* Potus *sit aqua hor dei actu frigida, & cum succis prædictis, ut granato rum, & similium, ut dicit* Franciscus *de* Pede *montium, & ut dicit, sint in quantitate multa, ne eorum paucitate inflamment, & statim augeant, nisi fuerit quod prohibeat:* Item, *ut dicit* Auicenna *conuenit acetum mixtum cum aqua frigida:* Item *aqua frigida multa & subito bibita in una uice, aut pluribus uicibus: illa enim, ut dicit, est iu uatiua ualde, pauca autem frequenter bibita fortasse no cet, & est quia excitat caliditatem, & non extinguit si cut facit aqua plurima, tamen utputo hoc debet intelligi, quod datur aqua in multa quantitate ratione medicinæ, non autem ratione potus permixti cum cibo, quoniam ta lis aqua in multa quantitate exhibita sua grauitate face ret descendere cibum indigestum.* Conceditur *etiam uinum granatorum cum aqua ueri frigoris à* Guilielmo *in practica sua, conceditur etiam à* Rasi *uinum album odoriferum, cui sit admixtum quintuplum aquæ frigidæ dulcis, & hoc in diuisionibus.* Franciscus *de* Pede *mon tium dicit, quod uinum debet esse album, acerbum permix tum secundum quod exigit dispositio febris, & tolerat di spositio stomachi, & ubi non reperiretur uinum album, dicit* Nicolus, *quod loco eius posset dari uinum rubeum ponticum & odoriferum.* Motus *et quies. quiescat æger & non moueatur quantum poßibile est, ne neceßitas at*

trahendi aerem malum pestilentialem augeatur. Somnus & uigilia. dicit Nicolus, quod debent uitare uigilias, & pro posse dormiant in loco odorificato, nisi accidens pro funditatis somni dormitioni contradixerit. Franciscus autem de Pede montium in hoc aliqualiter uidetur aduersari Nicolo, quia dicit quod parum dormiant, & magis uigilent ut caliditas interior ad extrema trahatur. Sed pro concordia puto esse dicendum quod quilibet procesßit cum æstimatiua sua, habendo considerationem ad uirtutem, ætatem &c. Inanitio & repletio. uitari debet repletio superflua, unde Auicenna dicit, quod cibi multi sunt mali, quia ex eis fit additio materiæ morbi, debet tamen se abstinere à fame, ut uult Gulielmus, qui etiam uult quod omni die æger habeat lenitionem uentris, sint ergo cibi paucæ quantitatis in una uice, & cibetur pluribus uicibus in die naturali, ut fiat nouorum spirituum regeneratio quæ est necessaria propter corruptionem festinam quam recipiunt, unde spiritus non sufficiunt pro sustentatione uirtutis, & ideo ut fiat eorum regeneratio necessarius est cibus in parua quantitate, ut dictum est, & facilis digestionis, & cogendus est patiens, & inuitandus ad sumendum cibum, nam dicit Auicenna, & restaurentur ad comedendum, id est, inuitentur, & cogantur, & postea subiungit, & plurimi eorum qui uiriliter comedunt, & uiolenter, & si non appetunt absoluuntur & uiuunt. Accidentia animi. caueat à malis, & suspectuosis paßionibus animi teneatur in spe bona cum gaudio & lætitia, & annunciatione rerum delectabilium, & præsentia delectorum, & etiam illorum qui liberati sunt à pe

stilentia. Cura quantum ad medicinalia consistit in sex intentionibus, quarũ prima est alteratio caloris febrilis, secunda est confortatio membrorum principalium, maxime cordis & spiritus, & eorum depuratio, tertia est euacuatio materiæ peccantis, quarta est digestio ipsius, quinta est diversio uaporum à corde, & pororum apertio, sexta est accidentium correctio. Primæ *duæ intentiones complentur dando in potu trochiscos de camphora cum acetositate citri, ut dicit* Rasis *decimo* Almansoris, *quos trochiscos etiam laudat* Auicenna, *& ubi non haberes acetositatem citri, loco eius capiantur aliqui succi frigidi, utputa granatorum acetosorum, & similium.* Aut, *ut uult* Auicenna, *detur cum aqua ros.* Item *ad hanc intentionem cõuenit saccharum rosarum, confectio triasandali, & ista debent dari à principio usque ad finem, nam licet non conueniant stiptica à principio febris putridæ, ut uult* Auicenna *in capite putridarum in generali, in febre tamen pestilentiali gratia exiccationis humiditatis superfluæ putrefactæ, aut aptæ putrefieri, & gratia etiam putrefactionis membrorũ principaliũ, & spirituum conueniunt dicta stiptica.* Idem *dicit* Nicolus, *quod istæ duæ intentiones primæ non sunt postponendæ, imò à principio usque ad finem impleri debent quantum est poßibile.* Ab *extra uero conuenit epithema factum ex aqua rosata, & aqua buglossæ cum sandalis, & in summa fiat sicut dictum est in aliis capitulis, & præcipue in cura causonidis.* Tertia *intentio quæ est euacuatio materiæ, completur cum euacuatione quæ debet esse eradicatiua, nisi debilitas uirtutis dissentiret, quæ ut plurimum*

accidit in febre pestilentiali, propter uenenositatem materiæ, ex qua uirtus debilitatur, sed ubi uirtus, permitteret esse fiendam eradicatiua, sicut si esset in materia furiosa, fiat. sufficiat igitur considerata uirtutis debilitate, euacuatio minoratiua, non quidem parua, sed sufficiens, aut saltem quoad bonam partem materiæ eradicet, siue talis euacuatio fiat cum phlebotomia, seu cum pharmacia, & talis euacuatio debet fieri cum medicina respiciente materiam propriam, & non solum cum medicina leniente, quod satis Auicenna dedit intelligere cum dixit: oportet ut incipiatur in eo ad euacuandum, non dicit leniendum, nec digerendum, conueniens est igitur euacuatio materiæ propriæ à principio, & non expectata digestione. Vnde si materia fuerit sanguinea, aut sanguini commixta, fiat phlebotomia, & primo de basilica dextra, deinde de sinistra, iuxta doctrinam Auicennæ undecima tertii, capite de cura ægritudinum cordis in generali. Nam phlebotomia facta primo ex basilica dextra, euacuat repletionem existentem circa cor, facta uero ex sinistra, euacuat uapores existentes circa cor, debet tamen ante phlebotomiam præmitti clystere lenitiuum, ex regula generali habita ab auctoribus medicinæ, & præcipue ab Auicenna qui uult quod stante necessitate phlebotomandi & pharmaciæ, scilicet lenitiuæ, præmitti debet pharmacia scilicet lænitiua, & quia intentione habita ad leniendum clysteria sunt magis dilecta, ut Auicenna dicit, capite de cura putridarum in generali, ideo clystere lenitiuum primo præmittendum est. Si uero materia fuerit alia à sanguine, aut à sanguine separata, tunc fiat euacuatio cum medi

cinis respicientibus materiam propriam, quæ medicinæ tamen sint benedictæ, ut dicit Nicolus auctoritate Auenzoar. Vnde in materia cholerica fiat euacuatio cum rheubarbaro & manna. Si uero fuerit materia phlegmatica, euacues cum agarico, præcipue quia attrahit materiam à membris spiritualibus: unde Auicenna in de uiribus cordis, connumerat agaricum inter medicinas cordiales. Si uero materia fuerit melancholia, euacuetur cum sena, polipodio, hepithimo, aut mirobolanis indis. Et si materia fuerit adusta, euacuetur cum rheubarbaro, & fumo terræ, & aqua casei. Et si materia fuerit mixta, euacuetur cum suis medicinis, permiscendo eas adinuicem secundum diuersitatem materierum mixtarum, postea minorata materia deueniendum est ad aliam intentionem, ut infra. Quarta intentio est digestio materiæ quæ remansit post euacuationem minoratiuam. & completur digerendo, digestiua sint diuersa secundum diuersitatem materiæ, taliter tamen quod quodlibet digestiuum recipiat acetum, ut dicit Nicolus, & etiam de aliis medicinis resistentibus putrefactioni, de quibus dictum est supra, de digestiuis autem conuenientibus sunt sicut sirupus de acetositate citri, & sirupus acetosus simplex, quem Franciscus de Pede montium ponit pro digestiuo, & quem ego facio administrare ferè in omni materia digerendo, postmodum digesta materia restat euacuare residuum eius in totum, uel secundum partem, ut uirtus permittit, & necessitas exigit. Quinta intentio est diuersio materiæ ad exteriora, quæ præcipuè uidetur esse conueniens, ut uult Auicenna, quando patiens deuenit ad hoc ut hypocondria

eius tendantur, & extrema infrigidentur, & prolongantur uigiliæ, & fit permixtio mentis, & uidemus pectus & quod est supra ipsum eleuari, tunc autem dicit, necesse est administrare regimen, trahens caliditatem ad exteriora cum fricationibus & calefactionibus, & similibus, ut diuertantur uapores qui retinentur in membris spiritualibus & aliis membris interioribus causantibus prædicta accidentia. Sexta intentio est correctio accidentium quæ ut plurimum coniunguntur cum febre pestilentiali, & ista sunt sicut uermes propter fugam eorum à materia uenenosa, & propter eorum generationem ex materia putrefacta & corrupta: Item prostratio appetitus propter malas materias & corruptas in stomacho existentes: Item sincopis propter destructionem & corruptionem spirituum à materia uenenosa. Si igitur fuerint uermes fiat clystere ex decoctione sebesten: Item detur decoctio de cornu cerui adusto, quod est multum usuale, præcipue apud me. Item conuenit sorbire aliquid aceti tempore somni ex sententia Auicennæ capitulo de signis uermium. Si fuerit prostratio appetitus, fiat sicut dictum est in cura febris phlegmaticæ. Si fuerit sincopis, fiat sicut dictum est in capite de cura febris sincopalis, & sic est finis.

Cura uariolarum, & morbillorum.

CVra uariolarum & morbillorum, qui morbilli apud Auicennam dicuntur uariolæ cholericæ, consistit in duabus intentionibus generalibus, quarum

prima est circa debitam administrationem in sex rebus non naturalibus, secunda est circa medicinalia. Prima intentio in principio & ante apparitionem earum, aer debet esse temperatus, aut ad frigiditatem decliuis, ubi inquietudo aut inflammatio esset uehemēs, cum autem apparere inceperint, & similiter in processu earum, custodiendus est patiens ab aere frigido, & ingeniandum est ut stet coopertus cum pannis, præcipue coloris rubei, maxime de scarlato, nam in eis est proprietas extendendi materias calidas ad exteriora cum frequenter aspiciuntur, non sit tamen coopertura talis quod grauet infirmum, aut ipsum debilitet, sed istud quod de aere calido dicitur conuenire post apparitionem earum debet intelligi, nisi patienti acciderit tremor, & sincopis, & cum magna inflammatione calor febrilis, quia tunc ponendus esset patiens in aere frigido, ut cor eius temperetur. Cibi sunt diuersificandi secundum diuersitatem temporum morbi, nam in principio ante apparitionem earum, conueniunt sicut lentes excorticatæ, & decoctæ cum aceto. ptissana hordei, amylum, lactucæ cum aceto, aut cum agresta, portulacæ, cucurbitæ, & in dicto tempore uitentur carnes, & uitelli ouorum sorbilium, donec febris omnino mitigetur, ut uult Rasis uigesimo continentis, nisi ut dicit Nicolus, casus uirtutis exigeret, quo casu tunc conceduntur, sed præparentur cum agresta, aut similibus acetosis. Potus in dicto tempore, scilicet principii ante earum apparitionem sit, sicut aqua hordei, aut iulep uiolatum, aut rosatum, & in summa conueniunt cibi & potus dicta in cura febris pestilentialis, tamen ante cibos dictos,

conuenit præponere aliquos cibos ad leniendum,ut spina chia, & similia,ut exhibendo sicut caßiam,& mannam, & similia, utputa infusionem prunorum , namut dicit Auicenna, oportet,ut in principio natura sit lenis,est enim eius lenitio iuuatiua ualde sicut constrictio est nocíua ualde. Ad hanc intentionem, scilicet lenitionem, uentris,ultra prædictas medicinas singularißime ualent tamarindi, qui multum ab auctoribus cōmendati sunt in hac cura in intentione euacuationis, & lenitionis uentris, & præcipue ab Auicenna, quia cum hoc quod sunt lenitiui,sunt etiā extinctiui caloris,& ebullitionis materiæ sedatiui,post etiam earum apparitionem, & in tempore declinationis febris,conueniunt cibi temperati,aut ad aliquam caliditatem declinantes,unde tunc conueniunt carnes auium laudabilium,ut pullorum & pullarum,& similium,laudantur etiam tunc uitelli ouorum sorbilium. Et potus conueniens per tunc sit uinum album potius quàm rubeum, ut uult Nicolus , quamuis Franciscus de Pede montiū uideatur laudare rubeum. ego autem utor albo,& adhæreo in hoc opinioni Nicoli, quoniam est magis aperitiuum,& cæteris paribus minus calidum,& sit permixtum cum aqua calida cocta,uinum tamen ante earum apparitionem non debet dari, si patiens potest ab eo excusari, quod si non, in dicto tempore,scilicet principii,ante earum apparitionem,sit rubeum & stipticum,ut dicit Nicolus,post etiam apparitionem dictorum morbillorum,& uariolarum,uitandi sunt cibi & potus lenitiui, nam ut uoluit Rasis 20.continentis,post eorum exitum nullo modo exhibendum est aliquid mollitiuum,quia sæpe

in fine morbi accidit fluxus uentris, ut testantur auctores medicinæ, præcipue Rasis *loco allegato, & frequenter apud me uisum est in experientia.* Motus & quies. Motus *temperatus & in aere temperato factus, & ubi non flent uenti in principio morbi, & similiter in declinatione conuenit, & similiter fricatio sub coopertura pannorum facta, quia poros aperit, & uapores excludit, & materiam ad exitum præparat, ut dicit* Nicolus: Somnus & uigilia. *Somnus sit temperatus ante apparitionem earum, sed quando incipiunt apparere minuatur somnus propter causam notam, & augeatur uigilia.* Inanitio & repletio. *Vitetur repletio superflua, tam cibi quàm potus, & uitetur coitus.* Accidẽtia animi. *Vitetur sollicitudo, tristitia, ira, furor, licet forte aliqualis ira parua post earum apparitionem non esset illaudabilis, studeat tamen pro posse gaudere.* Quantum ad medicinalia, *cura consistit in quatuor intentionibus generalibus, quarum prima est ad causam, siue materiam morbi, secunda est ad morbum, tertia est ad accidentia applicata, quarta est custodia quorundam membrorum à nocumento eorum.* Prima *intentio quæ est ad causam siue materiam, stat in tribus intentionibus, quarum prima est ad æquationem siue ad digestionem materiæ, secunda est ad euacuationem eius, tertia est ad diuersionem materiæ ad exteriora.* Prima *intentio primæ intentionis generalis quæ est digestio materiæ, diuersificari debet secundum diuersitatem temporum morbi, quantum scilicet ad principium eius, scilicet ante apparitionem uariolarum, uel morbillorum, & quantum ad temporis processum & apparitionem earum, nam*

ante apparitionem earum sirupus digestiuus qui conuenit debet esse ingrossatiuus materiæ facientis morbum, & prohibitiuus ebullitionis materiæ, unde in casu isto sanguine existente subtili & cholerico, uel in quo dominatur cholera, & proprie in morbillis & non existente materia furiosa quæ poßit expectare digestionem, fiat digestio cum infrigidantibus, & inspissantibus sanguinem, in quo casu concedit Auicenna sirupum de dactylis immaturis, qui sirupus apud nos non reperitur, & ideo ut puto loco eius potest exhiberi sirupus de iuiubis, aut de succo acetoso, aut de acetositate citri, & isti duo sunt multum usuales apud modernos practicos, potest etiam dari sicut sirupus de ribes, aut sirupus rosarum, aut sirupus de granatis acetosis, & cum aquis conuenientibus, ut portulacæ, lactucæ, & similium. Si uero sanguis fuerit grossus &c. præcipue ante tempus apparitionis eorum, in quo casu Franciscus de Pede montium, concedit decoctionem fœniculi, & anisi, credo quod loco istius decoctionis conueniret sirupus de bisantiis, quo ego communiter utor in casu isto & sine aceto, propter timorem fluxus uentris, & excoriationis intestinorum. Aquæ quæ possunt permisceri cum dicto sirupo, sunt sicut aqua endiuiæ, fœniculi, & similium, diuersificando eas in caliditate maiori, aut minori secundum diuersitatem corporis in complexione eorum, & secundum diuersitatem materiæ in minori aut maiori großitie, & secundum diuersum graduum caloris febrilis, & in casu isto, scilicet post apparitionem earum & eorum, & similiter in principio apparitionis eorum & earum, laudatur ab Auicenna inter cæteras me

dicinas una decoctio, quæ est multum in usu apud practicos modernos, & præcipue apud me, & quæ est secunda ab eo posita, & quæ ut dicit expellit caliditatem à partibus cordis, & prohibet pulsum cordis, & hoc facit expellendo materias ad exteriora, hæc tamen exhibitio prouocantium, & aperientium debet fieri post phlebotomiam, si phlebotomia expedit, id est, consentiant particularia de phlebotomia fienda, ut uirtus, ætas &c. oportet etiam præcessisse lenitionem uentris, ut dicit Rasis *loco allegato, debent etiam hæc prouocatiua diuersificari secundum intentionem & remissionem febris, ut satis dictum est, & secundum diuersam dispositionem pororum corporis in apparitione & constrictione eorum, & secundum diuersitatem materiæ in subtilitate & grossitie eius, ut dicit* Nicolus. *Secunda intentio est euacuatio, quæ quantum ad opus, & intentionem medici debet esse prima, quia cum materia sit sanguinea, aut sanguini commixta, & ut præsupponitur apta per phlebotomiam euacuari, ideo ab ea incipiendum est, nisi natura per se euacuet per nares, aut hæmorrhoidas, aut menstrua, & stantibus conditionibus requisitis, & consentientibus ad eam, ut uirtus, ætas &c. & ubi non posset fieri phlebotomia, ponantur sanguisugæ proprie in natibus, spatulis, & dorso, uel ponantur uentosæ super spatulas cum sacrificatione, & hoc est magis usuale & securũ. Spacium uero temporis ad quod possumus peruenire ad faciendum phlebotomiam, non potest punctualiter aßignari, nam* Auicenna *dicit, quod spacium phlebotomiæ est usque ad quartum diem, tamen aliquando fit in secundo die, aut tertio, aut primo, ideo medi*

eus debet esse sollicitus ad phlebotomandum ante eorum apparitionem, quia post eorum apparitionem non est phlebotomia necessaria. Et eam Auicenna, & Rasis pro tunc prohibent, nisi uehemens fuerit repletio, & domini um materiæ superfluentis, dicit Auicenna, tunc enim phlebotomatur quantitate quæ exiccet, id est, educat illud superfluum, ita quod quasi uidetur uelle quod non fiat phlebotomia magna, & quæ phlebotomia uidetur conuenire respectu causæ antecedentis solum, & non respectu causæ coniunctæ, quia traheretur ad interiora, & illud dicitur de phlebotomia, scilicet quod stante repletione conuenit phlebotomia non obstante tempore apparitionis earum & respectu materiæ antecedentis. Idem puto esse dicendum de euacuatione cum pharmaco solutiuo respiciente materiam propriam, scilicet cholericam permixtam cum sanguine, & quæ per phlebotomiam perfecte euacuari non poterit, talis enim euacuatio debet fieri cum facilitate, puta cum mãna, tamarindis, & similibus, prout concedunt auctores medicinæ, & ego multotiens deuenio ad exhibitionem rheubarbari in infusione, & hoc fuit in magistro Carolo de Caruis fatre phisici ducis Orlien sis, & à paucis diebus citra dedi in substantia filiæ paruæ Ioannis de Biscosis, & sic aliter operatus sum in aliis, inter cæteras tamen medicinas laudantur tamarindi prædicti, quia cum solutione sua sunt sedatiui acuitatis, materiæ cholericæ destructiui, & licet Rasis 10 Almansoris dicat, quod summopere cauendum est, post apparitionem uariolarum, & morbillorum, ne detur aliud quod uentrem soluat, hoc ut alias dixi debet intelligi, nisi

materia sit superflua 'sicut de phlebotomia dictum est, & sic etiam dicit Nicolus, uel aliter ut puto posset responderi, quod Rasis loquitur de solutiuo forti, euacuando materiam exoluendo, & hoc propter timorem fluxus, qui communiter accidit in ista ægritudine, ut dictum est, sed cum medicinis leuibus non inconuenit facere euacuationem, siue morbus fuerit in principio, siue in processu post apparitionem uariolarum, & morbillorum, & præcipue cum tamarindis, nam in principio competit talis euacuatio cum medicinis leuibus, & lenitiuis ad educendum materias feculentas intestinales, et ad mollificandum uenas primas, id est, meseriacas, & in processu ad educendum materias quæ remanserunt & non potuerunt perfecte euacuari per phlebotomiam, ut statim dictum est, non existente uero materia superflua, nullo modo competit euacuatio cum medicinis fortibus, nec etiam leuibus in processu post earum apparitionem, ita quod etiampro tunc cessandum est ab omni euacuatione, ita quod etiam à clysteris, ut dicit Nicolus, quia talia euacuantia diuertunt materiam ad contrarium, & hoc puto esse intelligendum, nisi uẽtris stipticitas coniungeretur, quod rarißime accidit, imo ut plurimum coniungitur fluxus uentris, quapropter in dicto tempore, scilicet apparitionis earum abstinendum est ab inunctionibus & emplastris, ut dicit Auicenna. Et similiter intelligendum est de oppilationibus, ut uolunt auctores medicinæ, & precipue Auicenna, & hic modus curationis obseruatur, præcipue apud practicos modernos.

Tertia intentio, siue ultima primæ intentionis generalis, quæ

ralis,quæ est diuersio materiæ ad exteriora, completur per administrationem rerum calidarum,scilicet aeris calidi,aut saltem ad calidum decliuis,& cum inspectione rerum rubrarum,& cum medicinis prouocantibus de quibus supra dictum est, maxime cum decoctione facta ab Auicenna, quæ est descriptio secunda, de qua facta est mentio in digestione materiæ, ad hanc intentionem ualent uentosæ cum scarificatione quas uidi aliquando conferre multum,maxime in domino Antonio de Barachiis, & Auicenna laudat odorare crocum,sed hoc non est in usu,et in hoc tempore apparitionis uariolarum et morbillorum, prohibendus est patiens ab omni re repellente materiam ad interiora et oppilante, & ideo Auicenna, pro tunc prohibet dictorum administrationem, quæ quandoque fit febre maxime acuta, utputa ad dorsum cum oleo uiolarum,maxime in pueris ut dictum fuit de mente Gentilis,super capitulo de cura putridarum in generali, propter quam causam in tempore apparitionis eorum, prohibeo semper administrationem epithematum super membra principalia,quæ communiter in febribus administrari solent,nam in administratione prædictarum medicinarum est timor de subita constrictione anhelitus,& de malo fluxu uentris,& de mictu sanguinis,ut uult Auicenna, & similiter Rasis 18. continentis. Secunda intentio principalis quæ est ad morbum, scilicet uariolas, post complementum apparitionis earum in casu isto quinque sunt habendæ intentiones, quibus parum aut nihil fere egent morbilli. Quarum prima est maturatio earum. Secunda post earum maturationem aperitio earum. Ter-

tia post aperitionem earum exiccatio, si fuerint magnæ, quia si fuerint paruæ necessaria non est talis exiccatio. Quarta est ut subueniatur ulceri succedenti. Quinta & ultima est curatio uestigiorum earum, & concauitatis earum. Prima *intentio quæ est maturatio cum pertranseunt septimam diem, ut uult* Auicenna, *& in nona die non complete maturantur, oportet quod artificialiter prouideatur, quod fit faciendo decoctionem caricarum, passularum enucleatarum, dactylorum pinguium, & cum dicta decoctione fomentando eas, est etiam alia decoctio scilicet maluarum, altheæ, fœnugræci, seminis lini, & similium, aut ut uoluit* Rasis *18. continentis, suffumigetur facies in locis uariolarum cum aqua calida, in qua decocta sit chamomila, & ego alias feci fieri istam decoctionem, in qua infundebantur petiæ lini, & superponebantur locis uariolarum, nam ultra iuuamentum maturationis sequebatur iuuamentum sedationis doloris earum. Secunda intentio quæ est eruptio earum post maturationem, ubi à natura non rumpantur, tunc uult* Auicenna *quod hoc fiat artificialiter, ut cum acubus aureis pungendo in duobus, aut tribus locis, & auferatur ab eis humiditas fluens cum coto leuiter ipsum applicando sine uiolentia & compreßione, aut loco puncturæ dictarum acuum incidantur forpicibus, ut quidam faciunt remouendo modicum de pelle earum, ne remaneat in eis materia putrida, sed tota ab eis effluat absque expreßione, & hoc frequenter uidi facere, & talis eruptio solum habet fieri in magnis quia paruæ solum*

indigent exiccatione materierum, post earum apertionem cum remanentia multæ humiditatis & sordiciei, etiam exiccatione indigent. Tertia intentio quæ est exiccatio earum fieri potest multis modis, primo cum aqua salis, in qua est uirtus, croci, ut dicit Auicenna: Item cum aqua decoctionis tamarisci, lentium, & ros. in qua aqua infunditum cotum ponatur super eas, hoc enim maturat & exiccat, ut dicit Auicenna, & eas cade re facit cum uelocitate, talis enim exiccatio ubi fuerint uariolæ magnæ, non debet fieri ante maturationem suppurationis, & apertionem, quia tunc uehementer augeret dolorem, ut uult Rasis loco allegato, scilicet 18. continentis: Item ad hanc intentionẽ exiccationis suffumigatio facta ex tamarisco, est iuuatiua ualde, ut uult Auic. Item si fiat cum oliuarum foliis desiccat eas, ut dicit Rasis loco præallegato. Alius modus exiccationis, ut uult Auicenna, fit per dormitionem patientis super farinam, rizi, milii, fabæ, & hordei, & melius ut ista ponantur implendo culcitram, quæ sit rara ex prædictis rebus ut penetret eorum uirtus, & quando quærimus exiccationem, pro tunc uitandum est oleum quia est malum, ut dicit Auicenna, quia prohibet exiccationem, ueruntamen facta conuenienti exiccatione, ubi cortex uariolarum esset fœdus, qui remansisset desuper in modum escaræ, inunctio multotiens facta cum oleo communi tepido, cum modico croci uidetur esse conueniens, & hoc remedium ponitur à Rasi decimo Almansoris, & ego plu ries feci hoc administrare, & u di conferre & sedare dolorem, & debent prohiberi patientes ne scalpent se, ne re.

maneant ueſtigia rupta, & concauitates,ut dicit Nicolus, *quæ ſi remanſerint remoueantur ſecundum modum ſtatim dicendum.* Quarta *intentio,ſcilicet ulceris curatio, ſit cum unguento facto ex ceruſſa,& albumine oui,& oleo roſarum,aut cum unguento de ceruſſa:& lithargyrio,ut dicit* Auic.

Quinta *intentio ſcilicet ueſtigiorum & concauitatum curatio,ad ueſtigia remouenda conuenit aqua ſublimationis pedum uitulorum,radicum ſerpentariæ & florum fabarum cum aqua roſata, aut aqua limonum, aut citrangulorum etiam conuenit,ut dicit* Nicolus, *& multa alia ſunt ab auctoribus medicinæ poſita, præcipue ab* Auicenna, *& à* Franciſco Pedemontio, *tam ſimplicia quàm compoſita,de quibus eſſet prolixum narrare.* Ad *concauitates eorum remouendas,dicit* Franciſcus de Pedemontium,*quod ſi remanſerint non replebuntur,quia ulcerauerunt interiora,ſcilicet cutem & mirach,quæ cum ſint de radicantibus membris,ſcilicet ſpermaticis,non reſtaurantur.* Nicolus *tamen ponit regimen dicens,quod adiuuat regimen impinguantium, & inunctio facta ex carne teſtudinum marinarum aduſtarum, & ſubtiliter tritarum,& mixtarum cum oleo.* Tertia *intentio generalis quæ eſt circa correctionem accidentium coniunctorum cum uariolis,& morbillis,& licet plures ſint quæ poſſunt coniungi, de quibus eſſet prolixum narrare,tamen tangentur ſolum iſta quæ ut plurimum euenire ſolent,& de quibus cura magis eſt adhibenda, quæ accidentia ſunt ſicuti inflammatio caloris feb.ſincopis,fluxus uentris,punctio in plantis pedum, aut in palmis manuum.*

Si igitur fuerit inflammatio, ita quod non obstante dimi ßione rerum calefacientium, tam intus quàm extra tempore apparitionis earum, ista inflammatio non minoratur, imò potius augetur postq̃ febris cessauit, et iterũ redit sicut prius, in quo hoc casu tunc redeundum est ad phlebotomiam, scilicet basilicæ, aut uenæ communis, aut saphenarum, si fuerit retentio hæmorrhoidarum, aut menstruorum, & ad administrationem infrigidantium sicut dictum est supra, & inter cætera sirupus uiol. est utilis in casu isto. Si fuerit fluxus uentris dentur trochisci de spodio cum seminibus acetosæ, & de similibus, ut dicit Rasis in diuisionibus. Si fuerit sincopis curetur sicut dictum fuit in cura febris sincopalis. Si fuerit punctio plantæ pedum, aut palmæ manuum, ponantur dicta membra aßidue in aqua calida, ut dicit Nicolus, & ego uidi multum conferre. Quarta intentio generalis, est quorundam membrorum custodia ne lædantur, aut si aliqua ex eis fuerint læsa eorum læsio remoueatur, quæ sunt sicut oculi, sicut sæpe accidit, ne scilicet incurrant ophtalmiam, aut aliquod uestigium malum in oculis, propter quod frequenter uisum fuit aliquos amisiße uisum. Est etiam custodiendus æger ne incurrat squinantiam, aut ulcus in meri, aut aliquam aliam malam ægritudinem in dictis membris, etiam nares quandoque ulcerantur: Item pulmo & membra pectoris ne patiens suffocetur, aut phthisim incurrat, uel aliqam aliam malam ægritudnem. Si igitur timeamus de læsione oculorum omißis multis alijs medicinis ab auctoribus medicinæ positis, præcipue ab Auicenna, conuenit administrare aquam rosarum, in qua sit in

fusum sumach, hoc enim remedium à multis auctoribus medicinæ est maxime laudatum, præcipue à Rasi, *& ab* Auicenna, *& ego utor aliquando hoc medicamine, & sæpe utor aqua rosarum, sine sumach, & facio ponere de saccharo candido, nec usque nunc sum usus alio medicamine ad istam intentionem, & facio destillare ad intra oculos cum coto infuso in dicto medicamine, & postea ponendo liquorem ad intra oculum, aut cum penna de plumis. Ad guttur fiat gargarisma cum diamoron, & aqua rosarum, & hoc est in usu, aut cum succo granatorum, & hoc est etiam usuale, & est medicamen satis delectabile, de quo communiter utũtur principes. Et ubi in gutture esset dolor, aut excoriatio, æger non gargarizet, sed ut dicit* Nicolus, *potius paulatim suget de dicto medicamine, unde* Auicẽna *dicit, quod quãdo patiens cõqueritur de dolore, quod tũc lãbat de rebus eorũ, scilicet aliud post aliud Ad nares ne ulcerẽtur,* Auicẽna *laudat ut extra fiat epithema sup nasum quod sit factũ ex aqua decoctionis rosarũ, sandalis albis, & rubris, etiã cõuenit de dicta decoctione ad intra nares ponere: Item odorare acetum solum, & est multi iuuamenti, ut dicit* Auicenna, *& ubi nares essent ulceratæ, conuenit cerotũ factũ ex oleo uio. dragagãto, & cera, ut dicit* Rasis *19. cõtinẽtis. Pro pectore, & pro pulmone ne lædãtur, laudatur loch factũ ex lẽtibus quod nõ est in usu, sed loco eius cõuenit diadragantũ, ut ponit* Nicolus, *et quo ego sæpe utor. Et sic librum de cura febrium absoluimus.*

FINIS.

CAESARIS LANDVLPHI DE curis febrium liber.

Cura tertianæ puræ.

PRO Cura recte fienda in tertiana pura, primo ponetur regimen sex rerum non naturalium. Secundo ponetur regimen medicinalium facientium ad eandem curam. Incipiendo primo ab aere qui debet esse frigidus, laudatur ut camera sit locus terraneus, & non posita ad intra duos solarios. In mane aer expellatur qui fuit tempore noctis inclusus cum flabellis & pannis, & si fenestræ respiciãt uersus septentrionem, uel uersus orientem, aer tunc est putrior, prout est sententia Auicennæ secunda primi, capitulo de caussis aeris. Camera aspergatur sæpe numero cum aqua frigida, aceto, & aqua rosarum. Camera sit mundata à superfluitatibus, sternantur folia salicum, & uitis, & nenufaris, & rosarum sed non teneatur in camera in qua manet infirmus cathedra in qua egeritur, aut si tenetur remoueatur fœtor cum herbis calidis. Cibi sint frigidi & humidi, ut lactuca, portulaca, borago, endiuia, buglossa acetosa. Panis sit infusus in aqua frigida, & exprimatur bis aut ter. Conuenit ptisana hordeacea, iuxta sententiam Hippocratis laudatur super omne genus ferculi. Si potest abstineat à carnibus, & si non potest, eligantur carnes facilis digestionis, ut carnes pullorum, aut uitulorum, ponendo in uentre pullorum semina frigida, aut lactucam,

agrestam, ligentur omnia in petia aliqua. Carnes uituli alterentur cum succis frigidis. In declinatione conueniunt uitelli ouorum prius in aqua infusi, & decoquantur in aqua, & aceto. Pisces petrosi, prius elixati, & postea assentur, & superaspergantur cum succo arantiorum, uel limonum. Potus sit uinum album pauciferum, & uinosum. uersus declinationem misceatur cum aqua cocta simplici. In principio aut statu bibant aquam hordei, & aquam saccari, quæ non solum extinguit sitim, sed etiam abstergit, si non uellet contentari solo potu aquæ, detur de uino albo, aut cisolo, & si iste habet stomachum fortem, ita quod non percepit acetosationem, detur cum aqua hordei, si autem acetosetur, detur cum aqua cocta simplici. Somnus extra paroxysmum conuenit quia infrigidat & humectat, multæ uigiliæ cauendæ sunt, tempore paroxysmi non dormiant, in declinatione conuenit, sed in corporibus multæ sensibilitatis apud statum conuenit, prout est sententia Auicennæ de cura putridarum in generali, dormiat super mataratio, aut super lecto sub quo sint pelles, aut linteamina duplicata. Motus laboriosus non conuenit, quia inflammat, quies magis conuenit, utantur dieta tenui & non se repleant, prout Hippocrates secundo aphorismorum. Corpora non pura &c. non tamen famem tolerare debent, detur unus bolus lactucæ, uel aliquid simile. Accidentia animi: caueant ab ira, furore, & rixa, gaudium sit temperatum, habitet cum personis sibi gratis & paucis. Quantum ad medicinalia in principio inspiciatur urina si fuerit ignea, citrina, & subtilis. Sed si fuerit satis grossa cum rubedine clara, consentiente

uirtute & aliis, phlebotometur ex uena cephalica. Sed si sentiret magnam inflammationem in hypocondrio dextro, conuenientior phlebotomia ex basilica, lenitiuo prius præcedente, ut Recipe decoctionis maluarum, matrum uiolarum lib. i. cassiæ nouiter extractæ. ℥.i. olei uiol. ℥.iii. pulueris sacchari. ʒ.s. salis communis. ʒ.ii. sequenti die post phlebotomiam detur lenitiuum per superius, ut Recipe cassiæ nouiter extractæ. ʒ.vi. tamarindorum, si infirmus non habeat stomachum debilem. ʒ.iii cum saccharo fiat bolus. Si timeremus debilitatem stomachi damus. ʒ.x. cassiæ. Si in forma potabili. Recipe cassiæ ʒ.x. dissoluatur cum decoctione communi, cui addatur parum sirupi uiolati. Transeundum est postmodum ad digestiua non neglectis clysteribus, ut Recipe sirupi acetosi simplicis. ℥.i. sirupi de endiuia. ℥.s. aquarum lupulorum, endiuiæ, & buglossæ ana. ℥.i. misce. Endiuia habet proprietatem cum hepate, lupulus mundificat sanguinem, buglossa cum corde, & ideo in omnibus sirupis administranda est buglossa. Alii sirupi sunt, sirupus uiolatus, sirupus de oxisaccharo. Et si timeremus excoriationem intestinorum, cum acetoso admiscemus sirupum uiolatum. Et si infirmus habet debilitatem stomachi, aut ægritudines pectoris, daremus loco sirupi acetosi, sirupum de endiuia, post sirupum acetosum danda est aqua hordei, post sirupos, apparenti signo digestionis, danda est medicina solutiua, ut diaphenicon, diaprunis solutiuum, electuarium de succo rosarum, electuarium rosarum Mesue, diamanna, cuius descriptionem ponit Mesue, & in usu non habetur, electuarium de psillio, quod etiam non est in usu, diaphe-

micon non solum euacuat choleram sed phlegma, & licet tertiana sit pura, dandum est tamen, quia non euacuat à remotis, quia per indigestionem multiplicatur in stomacho & in meseraicis phlegma. Compositio: Recipe *dia prunis non solutiui.℥.s.diapheniconis.ʒ.ii. electuarij ros. Mesue.ʒ.i.s.misce, & cum decoctione communi fiat potio, cui addantur sirupi uiol.℥.i.quia ista solutiua inflamm āt. Sed si sit diues.* Recipe *rheubarbari.ʒ.iii. spicæ parum, infundantur in aquis endiuiæ, & buglossæ ana quantum sufficit, cui addatur mannæ.℥.i. assumatur in hora frigidiori diei, & post sex horas assumat.℥.ii. aquæ hordei cum saccharo, post horam detur prandium leue. Sequenti die:* Recipe *sirupi uiolati.℥.i.s. ex infusione rosarum siccarum. Si intendimus maiorem confortationem, & præcipue quando euacuatio fuisset multa, facta euacuatione fiat intentio remotionis malæ complexionis, ut* Recipe *diarhodon Abbatis, aut descriptione communi, aut confectione triasandali ʒ.i.per horas tres ante cibū cum aquis endiuiæ, & cicoreæ. Epithema:* Recipe *aquæ endiuiæ.℥.viii.aquæ rosatæ.℥.ii. aceti.℥.i. triasandalorum, spodii, subtiliter incisorum ana. ʒ.s. infundantur panni aliqualiter calefacti in manu, & applicanda sunt per horas duas ante cibum tempore febris uersus declinationem.* Recipe *diabuglossati, diabroginati ana.℥.i.cum tribus folliculis auri, fiat mixtura quæ administretur cum aqua buglossæ. Pro prouocatione somni,* Recipe *foliorum salicum, uitis, lactucæ ana.m.i.florum anethi.m.s. anethi flores à proprietate proucant somnum, capitum papaueris albi grosso modo contusorum numero septem,*

& post cibum per horam cum dimidia recipiat infirmus fumum eleuatum. Si ista non sufficiunt, detur. ℥.i.s. sirupi de papauere cum aqua simplici, aut fiant unctiones cum unguento populeon, aut oleo nenufarino. Pro *extinctio ne sitis, colluatur os cum aqua frigida, aut teneat in ore de damascenis.*

Cura tertianæ continuæ.

CVra hæc completur cũ intẽtionibus iam dictis in cura tertianæ interpolatæ puræ, & cum eisdem medicinalibus, sed fortiores sunt istæ intentiones in continua quam in interpolata. Primo *est fortior intentio ad infrigidandum, quia in ea est maior flamma & incendium maius, & ideo oportet aerem esse frigidiorem habitando in camera frigidiori, in qua sternantur multa folia frigida, ut salicis, & uitis, & nenufaris, & aspersio aquæ cũ multa aqua frigida, & cũ notabili quãtitate aquæ rosatæ, infundẽdo ẽt linteamina in aqua frigida, quæ appendantur ad parietes cameræ, & sæpe cum flabellis renouetur aer aperiendo fenestras, & hostium in ortu solis, ut nouus aer frigidus ingrediatur.* Cibi *sint frigidi, et similiter potus &c.* Ideo *conuenit maior quantitas lactucæ, portulacæ, cucurbitæ cum aceto, uel agresta.* Conue*nientior erit exhibitio magnæ quantitatis, potus aquæ frigidæ, & magis debemus studere ad subtiliationem diætæ propter morbum esse acutiorem, & omnino dimittatur uinum, quod si concedatur, sit ualde paucæ quantitatis temperatum cum multa aqua recenti, non cocta, si fue*

rit boni fontis, quoniam aqua per decoctionem remittitur in sua uirtuali frigiditate, sed ubi dubitamus de nimia eius mora in stomacho, quia aqua frigida plus figitur, & cocta citius labitur, tunc temperetur uinum cum aqua cocta quæ actualiter sit frigida. Carnes dimittantur si poßibile est, & si dentur, sint multum alteratæ ad frigidum cum agresta, succo limonum non salsorum, uel arantiorum, aut uino granatorum, faciendo gelatinas, & alia cibaria cum rebus frigidis. Fortior est etiam intentio ad digerendum quia materia faciens continuam, est inobedientior uirtuti, cuius signum est, quia materia interpolatæ expellitur extra uenas, faciens continuam non ideo si interpolatæ semel exhibetur sirup. in continua exhibetur bis, uel exhibebimus sirup. acetos. in maiori dosi, aut alium sirupum. Intentio prouocandi urinam etiam est fortior in continua, quia sanguis unctuosus est, & plus infectus, & est maioris quantitatis, & ideo ubi in interpolata sufficiebat aqua hordei subtilis, uel decoctio quatuor seminum communium frigidorum, in continua utemur sirupo acetoso simplici cum decoctione radicis endiuiæ, miscendo lac quatuor seminum communium frigidorum, ut Recipe sirupi acetosi simplicis. ℥.i.s. aquarum endiuiæ, lupulorum, & buglossæ ana. ℥.i. uel emulsionis suprascriptæ. ℥.iii. & ista prouocatio conuenit quando aliquæ præcesserunt lenitiones. Intentio in leniendo uentrem est fortior, quia feces sunt magis exiccatæ, & maior est timor de raptu choleræ uersus superiora, & per consequens de phrenesi. Maior quantitas foliorum matrum uiolarum cũ maiore quantitate olei uiol. ponen-

tur in clysteri, ut Recipe foliorum maluarum.m.i.matrum uiolarum.m.ii.caßiæ nouiter extractæ.℥.i.quæ dissoluatur in decoctione suprascripta, olei uiol.℥.iiij. Per superius: Recipe caßiæ nouiter extractæ. ʒ.vi. tamarin. ℥.s.simul tabellentur & cum saccharo fiat bolus. In forma potabili: Recipe diaprunis non solutiui.℥.s.caßiæ.ʒ. vi.cum decoctione prunorum tamarindorum fiat potio, à medicinis solutiuis maxime scammoneatis caueamus quantum est poßibile. Et si necesse est, euacuamus cum medicina solutiua, eo quod natura non tentet crisim facere, ut Recipe rheubarbari.ʒ.iii.minutim incisi, infundantur in aqua endiuiæ, & lupulorum ana.quantum sufficit, & post 12.horas fiat fortis expreßio, in qua dissoluatur mannæ.℥.i.aut diaprunis non solutiui.℥ s. & si non esset copia rheubarbari, fiat ut infra. Recipe mirobolanorum citrinorum.℥.s.aut.ʒ.vi.contundantur & infundantur in aquis endiuiæ, & lupulorum ana. quantum sufficit cum modico passul.aut gummi arabici, & post 20. aut 24.horas, fiat leuißima expreßio omnium, addatur diaprunis non solutiui.℥.s.sirupi uiolati.℥.i. & fiat potio. In die sequenti exhibeatur iste sirupus. Recipe sirupi ros.℥.s.aquarum endiuiæ.℥.i.s.buglossæ.℥.i. De phlebotomia fiat ut dictum est in cura præcedenti. Epithema ut infra conuenit. Recipe aquæ ros. & aceti ana.℥.ii. aquæ endiuiæ.℥.vi.sandal.omnium corallorum albi & rubei subtiliter puluerizatorum ana.ʒ.i.ligni aloes, & gariophilorum ana.℈.i.camphoræ grana 4.croci.℈.s.uini albi.℥ i.misce, & fiat epithema pro corde. Epithema pro hepate, & unctio pro renibus, & decoctiones somni-

feræ,& reliqua talia fiant,sicut dictum est,in cura immeditate præcedenti.

Cura tertianæ non puræ.

CONsequenter dicendum est de cura febris tertianæ non puræ, quæ causatur ex putredine choleræ permixtæ cum phlegmate, & dicitur tertiana nota maioris famæ, uel causatur ex admixtione melancholiæ cum phlegmate quæ raro euenit,& dicitur minoris famæ,quia sit hæc febris frequentius à cholera permixta cum phlegmate propter multitudinem eius & uiscositatem,quæ ambo faciunt phlegma faciliter permisceri cum cholera, ideo de ista principaliter ponetur cura,quemadmodum ponit Auicenna, *& primo ponemus succincte regimen sex rerum non naturalium. Secundo ad medicinalia deueniemus.* Eligatur *primo aer temperatus,& ideo bonum est habitare in camera situata inter duo solaria,in qua frequenter & maxime in mane remoueatur aer,expellendo aerem uaporosum retentum tempore noctis,& non oportet sternere folia plantarum frigidarum,neque oportet multam facere irrorationem cum aqua frigida, & aqua rosata,sed debet teneri camera purgata,& bene mundificata à sordiciebus, ita ut aer sit boni odoris & non fœtidi,& ideo potest suffumigari aliquantulum cum sandalis citrinis, & modico corticum granatorum,ut* Recipe *sandalorum citrinorum.ʒ. ii.corticum citri pulucrizentur,& incorporentur cum modico ceræ uel laudani, & fiant formulæ similes lupinis,*

quarum una proiiciatur super carbones ignitos in mane, eleuabitur fumus boni odoris, qui fumus modico tempore in camera retineatur, remanebit iste aer boni odoris & erit cōfortatiuus cordis. Cibi sint temperati quales sunt carnes pullorum, hœdorum uitulorum, castratorum iuuenum, perdicum, phasianorum, & auium paruarum degentium in uineis & pratis. Fercula sint far, panis tritus cum quo post eius decoctionem misceatur uitellus oui recens, qui prius sit alteratus in aqua per duas horas, uel tres ante. Similiter panis de simila recenter & decenter coctus, infusus in brodio carnium suprascriptarum. Inter olera laudatur blitis, buglossa, borago. Vitent omnes pisces, utantur capparibus cōd.tis cum aceto, & modico uini cocti, utantur brodio cicerum rubeorum, potest concedi brodium caulium non multum decoctum. Vinum sit album non potens, uel uiuidi coloris, mixtum cum aqua sacchari, ita ut sit una pars uini, & duæ partes aquæ. Et licet Auicenna uituperet cibationem fieri ea die in hac febre, ideo secundum eum solum in die quietis, & alio die non, & hoc sit, sumpta tamen indicatione à paroxysmo, qui multum prolongatur in ista febre, sumpta tamen indicatione à consuetudine moderni temporis laudo, quod in die quietis bis cibentur, in die autem paroxysmi cibetur semel hora magis quieta, ut in declinatione uel hora quietis in eadem die si haberi poterit, cibetur tamen patiens magis sobrie, in die afflictionis quàm in die quietis. Dandum est enim aliquid consuetudini, ut fuit sententia Hippocratis in isto aphorismo. Et quibus semel aut bis, aut amplius &c. Fuit etiam sententia eiusdem in secundo

regiminis acutorum: Et *non permittas uenas inaniri, quod dictum secundum communiter exponentes intelligitur de morbis chronicis, sed quia hæc febris est chronica igitur &c.* Canon *tamen est obseruandus, scilicet quod quando intendimus cibare ægrum cibemus taliter, quod inter tempus cibationis, & tempus paroxysmi sit spacium quinque, aut sex horarum.* Circa *somnum & uigiliam breuiter dicitur sicut de aliis dictum est supra, quod in declinatione paroxysmi conuenit somnus maxime apud statum in corporibus delicatis.* In *aliis tempore paroxysmi dimittat in die quietis, sit somnus æqualis uigiliæ.* Circa *motũ & quietem, laudatur quod in die quietis deambulẽt leuiter per cameram si possunt, & fiant firicationes in mane cum pannis tepidis, incipiendo à coxis trahendo uersus inferiora, deinde ascendendo ad humeros, & ad brachia, deueniendo ad partes pectoris, & hypochondriorum, & bene perspice si habeat uentrem, & hypochondria tractabilia, ubi si essent tensa fortior requireretur fricatio, deinde cum oleo de spica, & de chamomilla, fiat inunctio circa partes istas, & tandem reuertendo cum istis fricationibus ad coxas, & ad crura.* De *inanitione & repletione satis constat, quod grosior competit ei dieta quàm in tertiana interpolata, uel continua, licet uersus statum sit magis subtilianda quàm in aliis tẽporibus.* In *accidentibus animi, fiat ut dictum est supra.*

Deueniendo igitur ad medicinalia, cum primo occurrit infirmo, inspiciatur si urina sit rubea & grossa, tunc aliis consentientibus fiat phlebotomia ex basilica dextri lateris, uel ex nigra, si basilica haberi non poßit, præmisso

misso tamen clysteri lenitiuo summo mane in die quietis & minime acuto. Sequenti die exhibeatur sirupus ad digestionem materiei. ut infra. Recipe sirupi acetosi.℥.i.mellis rosati colati.℥.s.aqua endiuiæ,lupulorum,& buglossæ an.℥.i.misce,et sumatur duabus uel tribus uicibus. Et poterit postea exhiberi minoratiuũ propter multitudinem materiei quæ solet in hac febre peccare,cuius descriptio est hæc: Rec.caßiæ nouiter extractæ.ʒ.vi.diaphenicons.ʒ.ii.misce,& cũ saccharo fiat bolus,uel dissoluatur cum decoctione communi,& fiat potio, quæ administretur in aurora,& post 6.horas, uel 5. damus lauatiuum: ut Recipe aquæ hordei.℥.viii.pulueris sacchari primæ coctæ.℥.i.misce, & exhibeatur ante prandium per horas 5.hoc lauatiuum non solum conuenit in hac febre, sed etiam in aliis laudatur hoc lauatiuum,quando exhibetur medicina scammoneata,ut agaricus, uel turbith,uel aliæ medicinæ fortes,quia ubi exhiberetur rheubarbarum solum, aut mirob. non esset tanta neceßitas istius lauatiui. Et die sequenti sumatur sirup.magis aperitiuus & prouocatiuus,ut infra. Recipe sirupi de duabus radic. cum aceto.℥.i. mellis ros.colati.℥.s.aquarum endiuiæ,apii,& buglossæ ana.℥.i.misce. Isti sirupi sunt continuandi 4.aut 5.diebus.& in istis diebus interdum debemus uti clysteribus acutis aliqualiter:ut Recipe maluæ, foliorum blitis,mercurialis ana.m.i.furfuris,farinæ tritici. ℈.iii.s. carthami grossomodo contriti.℥.s.misce pro decoctione de qua accipitur. ℥.xii.& in ea dissoluatur caßiæ nouiter extractæ, hieræ Galeni ana.ʒ.ii.olei communis.ʒ.iii. pulueris sacchari.℥.i.salis.℥.ii, & fiat clystere. Et post

assumptionem sirruporum potest exhiberi medicina sub hac forma. Recipe *diacatholiconis, qui euacuat materias adustas leniẽdo, unciam semis, diapheniconis. ʒ.ii. electuarii indi. ʒ.i.s. misce & cum decoctione communi fiat potio, quæ cum debita custodia recipiatur, sicut reliquæ medicinæ solutiuæ.* Sequenti *die fiat ut infra.* Recipe *sirup. ros. ʒ.i.s. aquarum absinthii, buglossæ, & cicoreæ. ana. ℥.i. misce.* Et *si febris perseueret odinetur alius sirupus aperitiuus, ut infra.* Recipe *sirupi de bisantiis cum aceto. ℥.i. sirupi acetosi compositi facti cum radicibus & seminibus, cuius descriptio habetur à* Mesue *in antidotario. ℥.s. aquarum buglossæ, absinthii, & fœniculi ana. ℥.s. misce.* Quo *continuato per tres aut quatuor dies exhibeantur pilulæ, ut infra.* Recipe *pillularum aggregatiuarum ex inuentione propria ipsius* Mesue. *℈.iiii. reformentur pillulæ 5. & exhibeantur cum modico aquarum, siue sirupis.* Istæ *pillulæ ut testatur, sunt expertorum iuuamentorum ad feb. antiquas, & ex diuersis generatis humoribus, & educunt superfluitates choleræ phlegmatis, & multa alia sequuntur iuuamenta posita à* Mesue *quæ in hoc casu sunt necessaria, uel si placet possumus formare has pillulas:* Recipe *pillularum aggregatiuarum. ℥ i. rheubarbari electi. ℈.i. misce, & cum sirupo de bisantiis fiant pillulæ 5. rheubar. ponitur in hac descriptione quia facit pro confirmatione stomachi & hepatis, quæ sunt relaxata & debilitata per medicinas præcedentes, ualent etiam ad hãc intentionem tam pillulæ aureæ* Nicolai, *quàm pillulæ aureæ* Mesue, *sed mihi magis placent pillulæ aggregatiuæ.* Et *hæc febris, ut testatur* Auicenna, *solet pro*

longari ad menses, ut duret circa medietatem anni, ex qua prolongatione corpus perducitur ad hydropisim, debilitato hepate. Ideo post usum medicinarũ solutiuarum, & siruporum, bonum est quo infirmus utatur trochiscis de rosis, & eupatorio, uel rheubarbaro, uel de absinthio, quorum omnium descriptionem ponit Mesue. Magis tamen sunt in usu trochisci de rosis, eupatorio, & de rheubarbaro, descriptio sit ut infra. Recipe trochisci de rosis, & eupatorio. ℈.ii. subtiliter puluerizentur, & cum sirupo de bisantiis fiant pillulæ tres, quas recipiant in aurora cum duabus uel tribus.℥. aquarum suprascriptarum. Similis descriptio potest fieri de trochiscis de rheubarbaro, & sunt magis calefactiui, & prouocatiui quam trochisci de rosis & eupatorio, quoniam illis de rheubarbaro ingreditur rubea tinctorum quæ excellenter est calida & prouocatiua. Habenda est bona diligentia circa stomachum qui solet ex longitudine febris multum debilitari, & ideo potest fieri inunctio secundum modum. Recipe olei masticini.℥.i. olei de spicanardi ℥.s. pulueris gariophil.ʒ.ii. misce, pro unctione stomachi ante cibum. Vel potest fieri ut infra. Recipe unguenti, seu ceroti Galeni emendantis uitia stomachi.ʒ.i.s. & cum eo inungatur stomachus, huius ceroti descriptio habetur à Mesue in antidotario. Pro confortatione omnium membrorum potest fieri confectio, ut infra. Recipe specierum diarhodon abbatis.ʒ.i. specierum aromatici rosati, descriptione Galeni.ʒ.ii. misce, & cum saccharo dissoluto in aquis absinthii, & buglossæ fiat confectio in morsellis, ex quibus accipiat patiens morsellum unum, pro quolibet ui

ce per duas horas,uel per tres ante prandium,dosis morsselli est.ʒ.ii.Et cum istis omnibus remediis liberabitur infirmus,si deus uoluerit.

Cura febris sanguinis.

IN *hac cura sunt duæ intentiones,prima est debiti regiminis admistratio,secunda est medicinalium exhibitio.Quantum ad primam intentionem regimen in sex rebus non naturalibus declinet ad frigidum, aer sit frigigidus,uel alteratus cũ rebus frigidis & boni odoris,sicut cum sandalis,camphora,rosis,uiolis, cum foliis salicum, cum foliis uitis,nenufaris,& similibus,ut cum aqua rosarum,& aceto.* Cibus *& potus sint frigidi actualiter & potentialiter,quales sunt cucurbita, endiuia cum aceto, portulaca,borago,& buglossa,quæ sanguinem faciunt bonum & cordialem,ptisana hordei,seu* kist,*seu ptisana facta ex farina lentium excorticatarum .* Potus *sit aqua hordei actualiter frigida.*Dimittantur *oua,carnes et uinũ nisi in casu necessitatis propter magnam uirtutis debilitatem,& tunc alterentur carnes pullorum cum rebus infrigidantibus, ponendo lactucas, & frusta cucurbitæ,& pruna damascena in corpore pulli cum decoquitur, & in processu, præmissis phlebotomia,& aliis euacuationibus de quibus dicetur:ponantur in corpore pulli quatuor semina frigida maiora,scilicet melonis,cucurbitæ,citrulli, & cucumeres,comeduntur expulsa, prius aqua, quæ facilis est putrefactionis,& oportet ut saliti præparentur cum aceto. In reliquis rebus non naturalibus fiat sicut*

dictum est in cura tertianæ continuæ. Quantum ad medic[illegible]alia sex sunt habendæ intentiones pro eius cura, quarum prima, est euacuatio, secunda, est substantiæ sanguinis rectificatio. Tertia, est infrigidatio. Quarta, est mundificatio, Quinta, digestio. Sexta, prouocatio & resolutio. Prima intentio completur cum phlebotomia, & in hoc bene aduertatur, quia si incendium magnum perciperetur in membris spiritualibus, & in hypocondrio dextro, circa regionem hepatis, debet aperiri uena basilica dextri lateris. Si autem esset plenitudo sanguinis in ambitu totius, & maxime si percipiatur inflammatio, & rubedo faciei cum extensione uenarum, oculorum, & frontis, & temporum, & maxime si sentiatur pulsatio in ipsis temporibus, tunc fiat phlebotomia ex uena nigra, seu ex uena cõmuni, quia euacuat à supioribus & inferioribus, & hoc constante uirtute, in corpore robusto naturaliter fiat usque ad sincopim, uel usque ad lipotomiam, & hoc si appareat incendium magnum cum magna multitudine sanguinis, quamuis sit tutius hac phlebotomiam copiosam ducentem ad sincopim dimittere, & eam partiri in duas uices, & mane & sero, inungatur phlebotomus cum oleo communi, & inungatur uulnus factum in uena cum oleo, quoniam propter hoc tardabitur eius consolidatio, & ita poterit fieri alia phlebotomia sine alia percußione facta in uena, ante tamen immittatur clystere lenitiuum descriptum, ut infra. Recipe decoctionis maluarum, & matrum uiolarum lib. i. caßiæ nouiter extractæ. ℥. i. olei uiolarum ℥. iii pulueris sacchari. ℥. s. salis. ʒ. ii. misce pro clysteri, et in die sequenti exhibeatur lenitiuum, pro ut infra. Re-

cipe caßiæ bene pinguis & nouiter extractæ.ʒ.vi.tamarindorum.ʒ.s.ſimul tabellentur,& cum ſaccharo fiat bolus,uel ſi libet in forma potabili fiat,ut infra. Recipe tamarindorum.ʒ.i.incidantur & bulliãt in ſufficienti quãtitate aquarum acetoſæ,fumiteræ,& endiuiæ,& ſemper fricentur cum ſpatula,aut manibus, deinde fiat colatura, de qua recipiat.ʒ.iii.& in eis diſſoluantur caßiæ nouiter extractæ.ʒ.x.uel mannæ electæ.ʒ.i.s.& fiat potio. Secunda intentio quæ eſt rectificatio ſanguinis, completur hoc modo, ſi ſanguis eſt groſſus cum rebus ipſum ſubtiliantibus;cuius großicies potißime cognoſcitur ex ſenſu uiſus,& ex difficili exitu ſanguinis extra uenam,ſtante tamen foramine mediocriter lato,& in hoc ualet aqua hordei,ſirupus acetoſus ſimplex, aqua endiuiæ, lupulorum,& fumiterræ ſic deſcribendo. Recipe ſirupi acetoſi ſimplicis.ʒ.i.s.aquarum endiuiæ,lupulorum,& fumiterræ.ana.ʒ.i. miſce, & ſi propter dulcedinem ſirup.læderet infirmum,recipiat unc.vi.de aquis ſupraſcriptis. Si ergo ſit ſubtilis et multum cholericus,quod ex multa eius ſpuma,& facili exitu,faciliter cognoſcitur , tunc exhibeantur ingroſſantia ipſum,qualia ſunt inter cætera rob uel ſirupus de iuiubis, & ſirupus uiolatus,& aqua portulacæ,& aqua decoctionis lentium, abiecta prima decoctione:ut Recipe ſirupi de iuiubis unc.i. ſirupi uiolati unc.s.aquæ portulacæ unc.iii uel aquæ decoctionis iuiubarum,aut lentium ſi placuerit.

Tertia intentio quæ eſt infrigidatio, completur cum illis de quibus dictum eſt, & aere frigido, & cum rebus medicinalibus, qualis eſt aqua hordei, & potus multus

aquæ limpidißimæ ſumptæ uſque ad ſanitatem. Quarta intentio, completur cum rebus mundificantibus ſanguinem ab humore cholerico, in quem faciliter conuertitur pars unctuoſa & ſubtilis ſanguis, & mundificando partem groſſam melancholicam, in qua ſanguis ſecundum aliquas eius partes conuertitur, fiat ergo poſt aliquos ſirupos mundificatio cum medicina, ut infra. Recipe mirobolanorum citrinorum. ℥.vi. contudantur & infundantur in aquis endiuiæ, lupulorum, & fumiterræ ana quantum ſufficit cum modico paſſul. uel dragaganto, & poſt 16. uel 20. horas fiat leuis expreßio, cui addatur uel caſſiæ nouiter extractæ. ℥.vi. uel diacatholiconis unc.s. & fiat potio quæ recipiatur in aurora, & parum ſuper eą dormiatur, tardando prandium uſque ad 9. uel 6. horas ſine aliquo lauatiuo. Quinta intentio quæ eſt digeſtio, completur cum rebus quæ æquant ſubſtantiam ſanguinis, de quibus dictum eſt in ſecunda intentione, completur etiam cum rebus prohibentibus putredinem in ſanguine, qualia ſunt ſirupi acetoſi ſimplicis, oxiſacchara, rob, uel ſirupus de agreſta, ſirupus de berberis, ſirupus de limonibus, aut ſuccus limonum, & arantiorum, & finaliter acetum, & omnis res acetoſa prohibet fieri, uel ſaltem notabiliter intendi ipſam putredinem in ſanguine, & propter hoc in ferculis conuenienter exprimitur ſuccus limonum, uel arantiorum, uel parum agreſtæ ad intentionem ſupraſcriptam.

Sexta quæ eſt reſolutio, completur cum rebus prouocantibus urinam, & ſudorem, & dilatantibus poros cutis ad facilem exitum uaporum, & ideo conueniunt mul-

tum fricationes in casu nostro, & ad prouocationem uri næ, fiat, ut infra. Recipe *sirupi acetosi simplicis unc.i. s. emulsionis quatuor seminum communium frigidorum maiorum unc.ii. aquæ decoctionis radicum endiuiæ unc. iiii. misce.* Si *etiam ponuntur emulsiones quatuor semi num communium frgidorum minorum, scilicet lactucæ, portulacæ, endiuiæ, & scariolæ, erit etiam bonum.* Pro *prouocatione sudoris accipiantur unc.vi. uel 8. aquæ hordei calidæ, & si uult aliqualiter eam alterare, seu dul corare imponatur parum sacchari, sed quanto erit maior eius quantitas, tanto erit melius, & cooperiatur linteami nibus & pannis, & stet sub culcitra, tamen cum facie di scooperta, & ponantur uasa plena aqua calida dulci, circa coxas, circa dorsum, & circa hypocondria, quia sudor faciliter prouocabitur.* De *correctione accidentium hic non scribitur, propter longitudinem sermonis, sed recurratur ad suprascripta inter quæ est sitis, cui blandiri oportet, cum retentione rerum frigidarum, & humidarum in ore, & nihil solet esse gratius aqua frigida, & quia profunditas somni solet in hac febre causari, propter uapores multos & grossos, qui eleuantur à sanguine non stimulantes panniculum, sed oppilationes inducentes meatibus, spiritus sensitiui & motiui, inter cætera commendatur acetum forte, in quo infundantur spongia, & ponatur tempore superflui somni sub naribus, & pro iiciatur ad intra angulos oculorum lachrymales aliquod aliqualiter acre & acutum, ut succus arantii, & limonis, aut modicum uini.*

Cura febris phlegmaticæ.

PRo cura febris phlegmaticæ, primo ponetur regimen obseruandum in sex rebus non naturalibus, secundo deueniemus ad medicinalia. Pro primi expeditione, aer debet declinare ad calidum & siccum, & propterea laudatur quod infirmus habitet in camera situata inter duo solaria, in qua fiat ignis de lignis & foliis iunipe ri, & ex lignis & foliis rorismarini, uel saltem in defectu illorum, ex lignis quercus non putridis, et potest fieri suffumigium in camera secundum nomen descriptum. Recipe corticum citri, gariophilorum, nucismuscatæ, thuris, sandaracæ ana. unc. i. ligni aloes, macis ana. ʒ. s. subtiliter pulnerizentur, & in modico laudani fiant formulæ similes lupinis, ex quibus una, uel duæ ponantur super carbones ignitos, & hæc potissimum fiant, si tempus fuerit frigidum, uel hyemale. Cibi sint temperati ad aliqualem caliditatem declinantes, sicut carnes caponum, gallinarum, iuuenum, perdicum, phasianorum, cuniculorum, lepusculorum, turturum, & turdorum, & reliquarum auium minutarum degentium in rubis & pratis, & uitentur carnes aquaticarum, sicut anserum, et anatum, & similium. Panis sit recens & decenter coctus, factus ex farina frumenti participante aliquali furfure. Pro ferculis utatur panata, pane trito confecto cum uitello oui, prius aliquantulum infuso in aqua frigida, ex farre, ex rizo, & similibus. Pro oleribus, ualent extremitates fœniculi, buglossæ, boraginis, radices teneræ petroselii, bliتes cum modico saluiæ. Vinum sit album subtile non po-

tens, uel sit medii coloris, clarum, boni odoris & saporis, mixtum cum aqua sacchari, plus uel minus secundum potentiam uini, & secundum consuetudinem patientis, uersus principium ægritudinis, minori utatur quantitate uini. In processu autem potest uti aliqua dieta ampliori. Somnus sit æqualis, uel quasi æqualis uigiliæ, ut resolutio fienda in uigilia bene proportionetur digestioni fiendæ tempore somni. uitetur somnus quantum est possibile circa principium paroxysmi, loco motus & exercitii, fiant fricationes cum panno, aliqualiter aspero & calido moderate, incipiendo ad coxas, ascendendo ad hypocondria, ad dorsum, & ad pectus, & postremo redeundo ad coxas, & ad crura. De inanitione & repletione, dic iuxta regulas duas, & Galenum primo aphorismorum, & iuxta sententiam Auicennæ in capite de cibatione febricitantium, quod debemus incipere à dieta grossiore descendendo ad subtiliorem usque ad statum, sed uerum est quod in cura tentatiua incipimus à dieta tenui ut possit natura uacare ad digestionem materiæ peccantis. Quod si nobis apparuerit ex postpositione & tardatione apparitionis signorum digestionis, statum esse notabiliter remotum, à principio debemus ingrossare, & postea subtiliare uersus statum. De accidentibus animæ, patiens moderate gaudeat & lætetur habitando cum dilectis, etiam si fuerint mulieres iuuenes, abstinendo tamen à coitu, neque cadat deceptio propter unam sententiam Aristotelis in primo problemate quinquagesimo, in quo quæritur propter quid est quod coitus confert in ægritudinibus phlegmaticis, quam sententiam ponit Auicenna in 20. tertii in capite

de iumamentis coitus circa principium, quia istud est uerum, ut ponit Auicenna, quando corpus habuit caliditatem innatam multam, & fortem ita quod non debilitetur ex emißione spermatis, & intelligitur ista sententia ubi in corporibus non sint putredines, neque præparatio, ut in scabiosis leprosis, & sibi similibus, & quia huiusmodi corpora patientia talem febrem sunt debilia & præparata putredini, igitur &c. Veniendo ad medicinalia multiplices sunt habendæ intentiones in cura talis febris, prima est uentris lenitio, secunda est digestio, tertia est euacuatio, quarta est prouocatio, quinta est membrorum confortatio, sexta & ultima est accidentium correctio.

Pro prima expeditione, debet primo fieri clystere lenitiuũ, ut infra: Recipe foliorum maluarum, blitis paruæ & mercurialis ana.m.i. furfuris.m.s. decoquantur in sufficienti quantitate aquæ, de qua accipe lib.i. caßiæ fistulæ.℥.i. pulueris facchari, & mellis rosati ana.℥.s. olei communis bene maturi.℥.iii. salis.ʒ.ii. misce pro clysteri. Per superius stantibus materiebus multis in stomacho fiat lenitio, ut infra: Recipe pulpuæ caßiæ. ℥.i. uel mannæ.℥.i.s. sed plus placet caßia, quia est potentior in educendo materias grossas, dissoluantur cum decoctione passularum, iuiubarũ, & liquiritiæ, & fiat potio. Et non frequentetur lenitio uentris per superius, ut non nimis mollificetur stomachus. In processu autem possumus uti clysteribus lenitiuis, sed fortioribus: ut Recipe decoctionis supra scriptæ lib.i. decoquantur in ea carthami grosso modo contusi.℥.s. deinde coletur, & in colatura addatur caßiæ fistulæ. ʒ. vi. hieræ picræ simplicis Galeni. ʒ.ii. misce,

Pro secunda intentione, primo incipiatur à leuioribus:ut Recipe *oxymellis simplicis.℥.i.mellis rosati colati.℥.s.aquarum lupulorum, buglossi,capilli ueneris ana.℥.i. misce. Sed in processu possumus uti digestiuis fortioribus:*Recipe *sirupi de duabus radicibus,scilicet fœniculi,& petroselini,℥.i.mellis rosati colati.℥.s.aquarum fœniculi, & buglossæ ana. ℥.i.s.misce.*Aliud *fortius digestiuum:*Recipe *sirupi de quinque radicibus,uel sirupi acetosi compositi.℥.i.mellis rosati colati.℥ s.aquarum fœniculi,& maratri,seu fœniculi,& apii ana.℥.i.s.misce.*Pro *tertia intentione,primo dicitur quod non debet fieri euacuatio cum medicinis appropriatis, neque cum clysteribus fortibus,nisi transactis tribus diebus,id est,nisi incipiat apparere aliquale signum digestionis, & tunc pro euacuatione minoratiua,laudat* Rasis *in* 10. Almanso*ris,in capitulo de cura febris phlegmaticæ, quam sententiã uidetur imitari* Auicenna,*in capitulo proprio,medicinã de turbith omni nocte quæ sic describitur:*Recipe *turbith gummosi,& arundinosi,zinziberis,& masticis ana. partes æquales,saccbari,ad pondus omnium misce;& subtilissime puluerizentur, de quo puluis accipitur qualibet nocte.ʒ.i.cum modico aquæ fœniculi.*Vel *fiat sic:* Recipe *agarici trochiscati.ʒ.s. pillularum alefanginarum ℈.s.misce, & cum melle rosato fiant pillulæ tres,quæ ut innuit* Auicenna, *laudantur sumi debere qualibet nocte. Sed nostris temporibus tutius uidetur,quod cum interpolatione istæ medicinæ minoratiuæ accipiantur, ita quod inter unam,& alteram medient duo uel tres dies,in quibus accipiantur sirupi digestiui, & hoc modo faciendo*

paulatim digeremus, & paulatim euacuabimus. Si tamen appareret materia notabiliter digesta, uel quasi notabiliter digesta, ita ut possimus uti medicina eradicatiua, fiat sic. Recipe agarici trochiscati.ʒ.ii. rheubarbari electi.ʒ.i. spicæ, zinziberis, salis gemmæ ana. parum, minutim incidantur, & infundantur in aquis fœniculi, & buglossæ ana. quantum sufficit, cum oxymelle simplici, & post duodecim horas fiat fortis expressio, cui addatur dia phenicon.ʒ.i. electuarii indi.ʒ.s. diacatholiconis.℥.s. & fiat potio. Item: Recipe pulueris sacchari.℥.i. pro lauatiuo: Item. Recipe diabuglossati, & diaboraginati ana.℥.i. s. sacchari rosati.ʒ.i. misce pro die sequenti. Et si placeret magis recipere in forma pillulari, fiat ut infra: Recipe pillularum aggregatiuarum descriptione Mesue.℈.i. misce, & cum sirupo de bisantiis, uel cum oxymelle simplici, fiant pillulæ quinque, uel septem. Sed circa euacuationem fiendam per phlebotomiam, dicitur quod in quocunque tempore apparuerit urina rubicunda & grossa, ex qua iudicemus mistionem esse factam sanguinis cum phlegmate, tunc debet fieri phlebotomia, extrahendo quatuor uel quinque.℥. ex basilica, præmissa tamē uentris lenitione. Sed debemus bene considerare ne cadat deceptio, quia posset ista rubedo apparere propter putredinem phlegmatis magnam, & non propter sanguinis mixtionem, propter quam facta magna ebullitione in phlegmate, & ipsum phlegma ad rubedinem tenderet, & istam putrefactionem maxime cognosceremus, & ex malo & fœtido odore exeuntium, ut fecum, urinæ, sudoris, & reliquarum talium. Circa prouocationem quæ est quar-

ta intentio, primo est procedendum cum lenibus prouocatiuis à principio, postea ad fortiora transcendere debemus iuxta ordinem digestiuorum datum supra, quia ipsa digestiua sunt prouocatiua. Et quando essent præmissæ multæ euacuationes, & appareret notabilis digestio in materia, tunc iuxta sententiam Auicennæ in capitulo proprio dicitur quod semen urticæ est in hoc casu mirabile; fiat ergo sic: Recipe seminis urticæ ʒ.i. cuscutæ ʒ.s. subtiliter puluerizentur & exhibeantur cum aliquo de suprascriptis sirupis, aut cum aqua fœniculi uel apii. Gentilis autem in fine capituli de cura phlegmaticæ continuæ multum commendat succum apii sirupizati cum saccharo uel melle, asserens curasse iuuenem phlegmaticum, qui sex mensibus hoc morbo laborauerat. Fiat ergo ut infra: Recipe succi apii bene depurati, facta prius residentia quantitatem quam uolueris, decoquatur & sirupizetur cum sufficienti quantitate sacchari, uel mellis, de hoc exhibetur. ℥.i. uel 2. hora sirupi infirmo.

Quinta intentio. Circa quintam debemus esse solliciti de conseruatione stomachi, faciendo inunctiones cum oleis, uel unguentis appropriatis, ut Recipe olei mastici ni, olei de spica, olei de absinthio ana ℥.s. misce, pro unctione stomachi ante cibum: Item: Recipe ceroti Galeni emendantis uitia stomachi ℥.ii. galliæ alephanginæ ʒ.s. misce pro unctione stomachi, sirupus de succo appii non est dandus ubi infirmus sit dispositus ad epilepsiam, & potest uti confectione stomaticha, ut infra: Recipe specierum aromatici rosati descriptione Gabrielis, specierum diagalangæ ana ʒ.ii. specierum diarhodon abbatis ʒ.i.

pelliculárum interiorum stomachorum gallinarum bene præparatarum.℈.ii.misce,& cum saccharo quantum sufficit dissoluto in aqua absinthii,& buglossæ,fiat confectio in morsellis.ʒ.ii.de quibus accipiat unum pro qualibet uice per duas horas ante prandium. Quia tamen in hac febre faciliter reiterantur oppilationes, dabimus bis, uel ter in hebdomada,maxime quando præcesserunt euacuationes,medicinas quæ partim sint aperitiuæ,partim subtiliatiuæ,& conforttaiuæ membrorũ naturalium: ut Recipe trochiscorum de absinthio præcipue, uel trochiscorum de rosis,& eupatorio,uel trochisc.de rheubarbaro,capiendo.℈.ii.de uno istorum trochiscorum & cum melle rosarum,uel sirupo de bisantiis faciendo in pillulis. Sexta intentio. Circa ultimam intentionem duo sunt accidentia mala, quæ solent coniungi cum ista febre, scilicet profunditas somni in principio paroxysmi, & rigor ualde intensus. Ad prohibendum somnum fiat sicut dictum est de febre sanguinis. Et ad prohibitionem nimii rigoris,aut frigoris,fiat inunctio super totam spinam dorsi, ut infra: Recipe olei rutæ.ʒ.vi. uini maluatici, unc. x. simul decoquantur usque ad consumptionem uini,& in isto oleo ante aduentum paroxysmi per aliquantulum temporis fiat inunctio,ut dictum est. Vomitus prouocatus in principio paroxysmi,non solum remittit istud accidens calefaciendo, sed etiam est causa abbreuiationis paroxysmi,& de uomitiuis dicatur,sicut dictum est de prouocatiuis,ut incipiendo primo à leuioribus transeundo, postea ad fortiora. Leue fiat,ut infra. Recipe oxymellis simplicis unc.i.s. aquæ tepidæ unc.viii.misce,& deinde

prouocetur uomitus cum digitto,uel cum penna inuncta oleo.Si fortius,fiat sic. Recipe decoctionis raphani unc. iii.aquæ tepidæ unc.vi.oxymellis simplicis unc.i. misce. & fiat ut infra.Et fortius fiet sic:Recipe seminis raphani.ʒ.i.subtiliter teratur,& misceatur cum unc.viii.aquæ tepidæ & unc.i.oxymellis simplicis, & sic est finis.

Cura quartanæ.

PRo cura quartanæ periodicæ, primo ponetur regimen obseruandum in sex rebus non naturalibus.Secundo ad medicinalia deueniemus.Aer in quo habitat febricitans declinet ad humidum principaliter,& ad calidum secundum plus uel minus,iuxta diuersitatem humoris melancholici geniti ex adustione sanguinis, choleræ phlegmatis,uel melancholiæ naturalis,ideo si sit aer frigidus fiat ignis in camera ex lignis salicum, uel populi seu albare,quia iste ignis non multum notabiliter exiccat,sed ponantur uasa plena aqua dulci calida,& clara, à qua eleuentur uapores dulces,qui moderate calefaciēt, & humectabunt aerem cameræ,& pro bono odore aeris fiant pulueres, uel formæ similes lupinis ex aromatibus sæpe dictis, qui ponantur supra carbones ignitos, quibus addantur uiolæ,& flores nenufaris,ad remittendum superfluam illarum medicinarum odoriferam siccitatem. Circa cibum & potum uitentur omnia cibaria multiplicatiua humoris melancholici, qualia sunt carnes grossæ & maxime salitæ omnia genera leguminum,præcipue lentes,omnia olera,excepta lactuca,& buglossa, quia ut est

sententia

ſententia Auerrois quinto colliget, omnia olera generant humorem melancholicum, excepta lactuca, & bugloſſa. Et inter ea maxime uitentur caules, & euitetur caſeus antiquus & ſalitus. Sint igitur cibi temperati, uel declinantes ad aliquam caliditatem, uel humiditatem, quales ſunt carnes pullorum, gallinarum iuuenum, caponum, perdicum, phaſianorum, columborum, turdorum iuuenum, & auium minutarum degentium in pratis & arboribus. Et ſint iſtæ elixatæ magis quàm aſſatæ, oua etiam recentia ſorbilia decenter cocta, uel decocta in aqua cum butyro recenti multum conueniunt, & maxime conueniunt brodia pinguia ſumpta ex laudabilibus carnibus, & maxime brodia gallinarũ, quoniã uehementer temperãt humores, imò cõfortant hepar, & impinguãt, de cuius debilitate eſt ſuſpicandum propter longitudinem febris. Conueniunt rapæ abiecta prima decoctione, & poſtea decoque cum aliqua laudabili carne de ſupraſcriptis. Et conueniunt carnes caſtratorum iuuenum unius ſcilicet anni, conueniunt cappares. Conuenit ſinapis diſſoluta cum uino cocto, & uinum ſit parum, & purum, & album, uel modici coloris, ſubtile & clarum. Sed in ſanguinea uel cholerica aliqualiter temperetur cum aqua ſacchari. Circa ſomnum & uigiliam. Somnus ſit longus ad humectationem corporis, ſed ab eo caueatur in principio paroxyſmi. De motu & quiete dicitur, quod caueat à motibus corporeis fortibus, & laborioſis exiccantibus, & potiſſimum ante uniuerſalem declinationem totius febris. In declinatione uniuerſali cum incipiunt paroxyſmi notabiliter fieri leuiores, & minus ſæuorum accidentium, ex-

perientia probat, quod ante paroxysmum per aliquod tempus, facto forti motu equitando, saliendo, multotiens prouocatur sudor, propter quem tollitur paroxysmus, uel notabiliter remittitur, & declinatio ista uniuersalis minoratur. Circa *inanitionem & repletionem, primo laudatur ieiunium die paroxysmi, nisi forte in corporibus cholericis, quæ ieiunium tolerare non possunt, & regulariter dieta sit großior in principio, & in statu apparentibus paroxysmis longioribus & sæuioribus accidentibus dieta notabiliter attenuetur licet in cura tentatiua, aliquando à principio per unam septimanam, uerbi gratia, subtiliamus, & postea ingrossamus.* De *accidentibus animæ non est dubium, quod inter cætera debent euitare terribilia, & tristitiam inducentia, quoniam ista exterminant ab ea quæ est secundum naturam consistentia. tertio* Techni, *sed debent moderate gaudere & lætari, quia animus gaudens floridam ætatem facit, spiritus uero tristis exiccat ossa, prouerbiorum decimoseptimo, ponant annulos in eorum digitis, & gemmas induantur uestibus scarlatinis, uel de serico intincto in grana, & de reliquis talibus, & hæc sufficiant pro regimine.* Accedendo *ad medicinalia, sex sunt habendæ principales intentiones in cura istius febris, quarum prima est lenitio.* Secunda *est digestio.* Tertia *euacuatio.* Quarta *prouocatio.* Quinta *membrorum confortatio.* Sexta *accidentium correctio.* Pro *prima igitur intentione fiant à principio clysteria lenitiua cum decoctione maluarum et mercurialis, si fuerit phlegmatica, aut melãcholica.* Si *autem fuerit sanguinea, uel cholerica, addantur folia matris*

uiolarum,& ponantur à principio aliquales medicinæ in clysteribus quæ respiciant humorem melancholicum,sed in processu apparente digestione possunt apponi ita describendo: Recipe foliorum maluarum & mercurialis, & matris uiolarum,si fuerit ut dictum est,ana. m.i.folliculorum senæ, uel polypodii quercini,boni,non corrosi ℥.i.uel.ʒ.s.decoquantur in sufficienti quantitate aquæ, de qua recipiantur.℥.xii.in qua dissoluatur caßiæ fistulæ.℥.i.pulueris sacchari,℥.s.olei communis. ℥.iii.salis.ʒ.ii.misce pro clysteri,quod fiat in die quietis, & maxime per diem post paroxysmum,loquendo de isto clysteri electiuo respiciente materiam phlegmaticam, uel melancholicam,quia aliud clystere quodcunque lenitiuum potest in quocunque die quietis administrari, & per superius leniatur stomachus & intestina,cum caßia,uel cum manna secundũ modos sæpe suprascriptos.Circa digestionem incipiendum est à leuioribus aperitiuis, & subtiliatiuis, ut in sanguinea uel cholerica.Recipe sirupi acetosi unc.i.sirupi uiolati unc.s.aquarum buglossæ,& luporum ana.unc.i.s.misce.In phlegmatica autem uel fecali,seu melancholica. Recipe oxymellis simplicis unc.i.s.aquarum buglossæ unc.ii.fumiterræ unc.i.misce.Et in processu,maiore apparente digestione in materia utemur digestiuis incisiuis,& subtiliatiuis fortioribus,ut est sirupus de epithymo qui in digerendo etiam euacuat, cuius descriptionem ponit Mesue, & sirupus de pomis compositus,cuius duas ponit Mesue descriptiones unam in capitulo de cura sodæ melancholicæ,aliam ponit in capitulo de cura melancholicæ. Et istis potißimum utemur stante me-

lancholia phlegmatica,uel fecali:ut Recipe *sirupi de pomis compositi unc.i.oxymellis simplicis unc.s. aquarum scolopendriæ, tamarisci,& fumiterræ ana.unc.i. misce, & loco sirupi suprascripti de pomis,posterius adhuc magis apparente digestione utemur sirupo de epithymo iuxta descriptionem suprascriptam.* In *quartana autem sanguinea,uel cholerica,loco sirupi immediate suprascripti utemur sirupo de bisantiis:ut* Recipe *sirupi de bisantiis unc.i.sirupi de fumoterrræ unc.s. aquarum endiuiæ, fumiterræ, & buglossæ ana.unc.i.misce.* Circa *euacuationem debemus primo incipere cum euacuantibus debilioribus, & tandem transire ad fortiora.primi solutiui descriptio.* Recipe *folliculorum senæ,polipodii,quercini electi ana. unc. i. passul. parum,infundantur in aqua lactis caprini,uel uaccini,uel in defectu illorum,in aqua fumiterræ, & buglossæ ana quantum sufficit, deinde fiat fortis expreßio,cui addatur pulpæ caßiæ,& diacatholiconis ana.unc.s.fiat potio,& experta est à domino* Mesue. In *processu poßumus uti fortiori solutiuo. ut* Recipe *d acatholiconis unc.s.diapheniconis.* ℥.*i. confectionis bamech.*℥.*ii.s.dissoluantur cum aqua lactis caprini, uel uaccini,uel cum decoctione communi,cui in fine decoctionis parum addatur folliculorum senæ, & fiet potio,addendo sirup.de pomis simplicis unc.i.uel loco confectionis hamech, poßumus ponere tantundem de electuario diasenæ, cuius descriptionem ponit* Nicolaus *in suo antidotario.*Et *si in forma pillulari uellemus uti, utamur pillulis indis,uel pillulis de fumoterræ, uel de lapide lazuli,dosis est.*℈.*ii.uel iiii.reformando 5.uel 7. cum modi-*

co sirupi uiolati. Item: Recipe sirupi rosati unc.i.s.aquarum buglossæ unc.ii.lupulorum.ʒ.i.misce, pro die sequenti. Vel fiat sic: Recipe diabuglossati, & diaboraginati ana.unc.i.s.sacchari uiolati.ʒ.i.misce pro die sequenti, & recipiantur cum modico aquæ buglossæ. Et si ante cesserunt aliquæ euacuationes & timeremus de debilitate, & relaxatione membrorum possumus uti medicina infra: ut Recipe mirobolanorum indorum. ʒ.iii. mirobolanorum chebulorum, si peccauerit phlegma, uel citoniorum, si peccet cholera.ʒ.ii. contundantur & infundantur in aqua lactis caprini, uel uaccini, uel in aqua buglossæ, & lupulorum ana.quantum sufficit, addendo parum passularum enucleatarum, & post horas decem & octo fiat leuis expreßio, cui addatur diacatholiconis unc.s. rheubarbari electi subtiliter pulurizati. ℈.ii.confectionis hamech, uel diaphenic.drach.ii.& fiat potio, sumendo in die sequenti mixturam suprascriptam. De euacuatione autem fienda per phlebotomiam dicitur, quod si hæc febris sit facta per adustionē sanguinis, et uideamus urinā rubeam et grossam, debet fieri phlebotomia ex basilica dextri, uel sinistri lateris, dextri si apparuerit sanguinē esse superabūdantem ratione hepatis, ex sinistra si apparuerit dominiū sanguinis ratione splenis, & cum hoc appareat dolor, aut tumor circa regionem splenis, & aliqui doctores laudāt hanc phlebotomiā debere fieri in oppilatione splenis, quia facta maiori agitatione in humoribus, facilius educitur humor melācholicus, quod tamē nō fit à magistro Cæsare. Si autē fiat ex saluatella dextræ uel sinistræ, erit etiā cōueniēs. Circa prouocationē dicitur quod potest fieri uel pro.

uocādo uomitū,uel sudorem,uel urinā. Si intēdimus pro-
uocare uomitū à principio utimur uomitu leui:ut Recipe
oxymellis simplicis.℥.i.s.aquæ tepidæ.℥.viii.aut x.misce.
In processu utimur uomitiuo fortiori,ut descriptū est su
pra:ut Recipe aquæ decoctionis raphani.℥.vi. oxymellis
simplicis.℥.i.misce,& tepidū exhibeatur.Si fortius:Reci
pe seminis raphani.ʒ.i.conteratur & decoquatur in suffi
cienti quantitate aquæ hordei,& in potu exhibeantur.℥.
viii. Vomitus cōpetit in omni tempore febris quartanæ,
sed in principio paroxysmi,aut parū distanter ab eo mul
tū cōmendatur,quia aut eradicat,aut alleuiat.Et si uolu-
mus uomitiuū,aut solutiuū forte,melius est ut exhibeatur
per diem post paroxysmū.In die paroxysmi non solū leni
tiuū leue potest exhiberi,sed solutiuū leue in eadem die
per sex horas ante aduentū paroxysmi potest exhiberi,
et maxime in declinatione uniuersali,quia multū alleuiat,
fiat ergo sic:Recipe folliculorū senæ subtilissime pulueri
zatorū.℈.ii.exhibeatur cū unc.iii.uel.4.aquæ lactis,aut
brodii alicuius carnis laudabilis de suprascriptis.Prouo-
catio autem urinæ fiat à principio cum leuioribus, ut cū
digestiuis leuibus suprascriptis,quæ sunt etiā urinæ pro-
uocatiua,& in processu digesta magis materia,fiat cum
digestiuis fortiorbus,de quibus etiā dictū est.Sudoris pro
uocatio maxime conuenit in declinatione multū subtilia-
ta & paucificata materia,exhibēdo unc.iii. uini albi,cla
ri,subtilis,odoriferi,sed nō multū potentis, mixtū aquæ
saccharatæ tepidæ ℥.vi.misce,& totū ante paroxysmum
xhibeatur,et infirmus bene cooperiatur pannis,quia su
r facilius prouocabitur,uel exhibeatur theriacæ anti-

quæ & bonæ.ʒ.i.diſſoluẽdo ipſam cũ modico uini albi & ſubtilis,mirabiliter prouocat ſudorẽ,et materiã ſubtiliat, ita quod per tres dies,aut quatuor quartana deſinit,ſed p eã nõ faciamus quẽadmodũ empirici,qui in quocũq; tẽpore quartanæ exhibent theriacam, aut diarion pipereon uel diaſulphur,& componunt quartanam cum quartana, reſoluendo quod ſubtile eſt cum remanentia groſſi, & inflammando corpus, ita ut deueniant ad hecticam. Pro confortatione membrorum, quia iſte humor lædit ſua natura omnia membra principalia, debemus attendere ad confortationem cordis, hepatis, & cerebri, exhibendo unum morſellum ſeu.drach. ii.diamuſci dulcis,uel electuarii de gẽmis,uel electuarii Conciliatoris,ſimul cum eo exhibendo ʒ.i. ſacchari diabugloſſati, & poſt bibat parum aquæ bugloſſæ.Electuariũ etiã regũ,cuius deſcriptionem ponit etiã Meſue,mirabiliter ualet in hoc caſu. Pro pauperibus fiat mixtura ex diaboraginato,diabugloſſato,ſaccharo uiolarũ,& roſarũ, ponẽdo de ſaccharo roſarũ minus.Et ſi timemus nimis calefacere,fiat confectio refrata:ut Recipe ſpecierum diamuſci dulcis,ſpecierũ electuarij de gemmis ana.ʒ.i.s.ſpecierũ diarhodon abbatis.ʒ.i. miſce,& cũ ſaccharo quãtũ ſufficit,fiat confectio in morſellis.ʒ.ii.Et quia multũ in hac febre læditur ſplen,ita ut fiat in eo notabilis & tumor,uel durities, primo à leuioribus inchoando,faciemus iſtud medicamẽ:Recipe olei de capparibus ad ſubtiliãdum unc.i. olei amydalarũ dulciũ unc.s.aceti fortis parũ,uerbi gratia.ʒ.i miſce, & ſimul bene cõquaſſentur,& ex eis calidis inungatur regio ſplenis,faciendo fortẽ fricationem,ut uirtus medicaminis fa

cilius penetret, quæ durities si cum isto medicamine non remoueretur, applicetur sibi emplastrũ de meliloto, cuius descriptionẽ ponit Mesue, *quia in isto casu est singularissimum, ut* Recipe *emplastrũ de meliloto quantum sufficit, extendatur super petia lini, amplectente totam regionem splenis, & calidum superponatur, & cũ exiccatum fuerit remouetur.* Circa *correctionẽ accidentiũ, dicitur quod principale accidens magis lædens in tempore paroxysmi est fortissimus rigor, ideo fiat inũctio ad spinã dorsi cum oleo de ruta, decocto cũ dupla quantitate uini maluatici ad cõsumptionem uini.* Et *si fortius:* Recipe *olei rutacei unc.iiii. piperis & pirethri confractorum ana.ʒ.i. euphorbij.ʒ.s. decoquantur cum unc.x. uini maluatici usque ad consumptionem uini, & ex eo calido apud ignem fiat inũctio in spina dorsi ante principiũ paroxysmi: & amplexare mulierem iuuenem confert, quia est medicina temperata, caueat tamen se à coitu, licet humor melancholicus exiccet libidinem, quia faciliter uentosatur, iuxta sententiam* Aristotelis *quarto problematũ, propter quod melancholici sunt maxime uenerei, non quia sint multum fortes in coeundo, sed quia multũ &c.* Et *uomitus factus in principio paroxysmi multũ alleuiat rigorẽ, uel prohibet, cuius causa est fortis caliditas, quæ imprimitur in membris propter fortem agitationem.* De *quartana conti nua cura non scribetur, quia est raro eueniens.*

FINIS.